
NAZ. CENT.
R. BIBLIOTECA
VITT. EMAN. II
203
3 1
4
ROMA

HIERONYMI
DE LA RVA TOLETANI
DOCTORIS THEOLOGI,
ET IN SCHOLA TOLETANA
PRIVS PHILOSOPHIÆ, POST
SACRAE THEOLOGIAE
PVBLICE PROFESSORIS.

CONTROVERSIARVM THEOLOGICARVM
Partim Positiuarum, Partim Scholasticarum.

Pars Prior.

CVM DVPLICI INDICE; ET CONTROVERSIARVM in principio, & rerum in fine.

AD S. D. N. GREGORIVM XIII. PONT. MAX.

SVPERIORVM PERMISSV.

R O M AE,
Ex Typographia Vincentij Accolti.
M. D. LXXXIII.

BEATISSIMO PATRI, DOMINOQVE NOSTRO GREGORIO XIII. PONT. MAX.

Hieronymus dela Rua Toletanus Doctor Theologus.

S. P. D.

ON possunt illi non lætari, (Beatissime Pater) qui attentè perplura tua, ac ferè innumerabilia, ab initio felicis tui pontificatus, præclarè gesta contemplantur, atq; considerant: qui summam insuper prudentiam, miram humanitatem, singularem probitatem, curam deniq; & penè incredibilem diligentiam, quibus Petri nauiculam, Christi Redemptoris sponsam, ac eiusdem Dei Omnipotentis Ecclesiam moderaris atq; gubernas, intuentur. Exultant sanè, cum inter cætera piæ tuæ solicitudinis, ac propè diuinæ prouidentiæ opera, pro Christiana religione instauranda, Ecclesia repurganda, morum erroribus relegandis, introducendaq; Maiorum & antiquorum Patrum doctrina, necnon Sanctorum sana disciplina, tot studiosorum conspiciunt structas ædes, tot nationum & gentium vident instituta Seminaria, tot & tam innumera intuentur in Vrbe fundata collegia, in quibus non adumbrata aliqua appareat, sed solida insit, expressaq; Christianæ religionis disciplina: & ex quibus plures, quasi semina, diuersis terræ partibus mãdari possint, & tamquam Christi athletæ Ecclesiæ transfugis, fidei hostibus, suæ patriæ aduersarijs & inimicis resistere, priscorum Martyrum sectando vestigia, valeant. Gaudio rursum magno perfusi admirari non desinunt animum tuum sanè generosum, immo & heroicum, non in marmoreas dirutas & confractas imagines, restaurandas, non in signa ænea confracta & conscissa, fundenda denuò & expolienda: quæ tanto aliquando studio, ac innani

ſumptu (proh dolor) ab illis, qui ab eis longiſſimè abeſſe deberent, conquiſita fuere; ſed in Dei potius imagines ac ſimilitudines, in viros ſcilicet pietati, ſinceræ doctrinæ, ſanctarum litterarum amori, necnon honeſtæ ſtudiorum voluptati deditos, amplificandos; in eos, qui totis viribus refellendis ac profligandis hæreticorum rumoribus, & fraudibus; fideliumq́ ægritudinibus & morbis medendis opem attulerint, mille honoribus afficiendos; ac in illos demum, qui ingenij felicioris, eximiæq́ ſpei vniuerſam Chriſti domum exornare, eruditione decorare, atq́ tamquam luminaria candelabro impoſita valeant ſuo & opportuno tempore illuſtrare, altioribus ſedibus collocandos. Hinc tuæ laudes Beatiſſime Pater: hinc tuæ gloriæ: hinc te religionis inſtauratorem, Doctorum patronum, & ſapientum patrem, non ſine magna piorum omnium delectatione, viri appellant verè prudentes: hinc tua demum fama in æuum durabit æterna. Principio igitur in hanc almam Vrbem aduentus mei cum ſublimia hæc tua & certè miranda ex vna parte mente reuoluerem: ex alia inſuper, multis illud ſapiens contigiſſe non tantum audirem, verum & ego ipſe recognoſcerem; quod imprudentioribus architectis vſu venire ſolet, vt iacto feliciter fundamento, & eo ſolido, quod non mediocri fabricæ ſuſtinendæ par eſſe queat, ſumptuum penuria, aut conſilij interdum inconſtantia impeditum videmus, & illud tàm pulchrè quàm ſolide iactum planè ſit fruſtra, nullumq́ niſi obtrectationi, aut impedimento præbeat vſum. Ita & in litterario ædificio haud infrequenter contingere nos experientia commonſtrauit & docuit. Non pauci ſiquidem, qui maximam frugem ex ſuis ſtudijs Eccleſiæ Dei videbantur polliceri, tàm ex ingeniorum præſtantia, quàm præclara ſiue Theologiæ doctrina, ſiue Pontificij iuris eruditione, multos ſui fefellerunt tàm optata ſpe, quàm expectatione. Quidam enim manu aratro prius infixa, retro poſtea aſpicientes, prauis colloquijs, effrenibusq́ linguis (vt deteriora taceam, quæ ſine animi dolore nedum proferri valent.) mores corruperunt, ad caducasq́ mundi delicias lata illa perditionis via recurrerunt: Alij non minus infeliciter inſtituti ſua ſe reddiderunt inutiles expectationi; dum temporarijs rebus nimis intenti præteritorum laborum amplius recordari, euoluendis Doctoribus incumbere, in priſtinum & quod ab eis erat incœptum litterarum ſtudium, mentem dirigere, vltraq́ progredi, quaſi ſuo fuiſſet inſtituto aduerſum, neglexerunt. Iſthæc ergo & alia eius generis non pauca impedimenta, quæ inſidiator ille domus Dei Diabolus peruigil & indefeſſus eccleſiaſticis ſtruit, atq́ indefeſſe machinari ſatagit, cum animaduerterem; faciliùs vt vincerem, conſtanter vt ſuperarem, & tamquàm ſyrenes fugerem; vtq́ mediocrem

illam,

illam, vel (vt modestius loquar) tenuem Theologiæ notitiam, & controuersorum dogmatum cognitionem, innumeris laboribus, assiduis, magnisq; lucubrationibus, necnon indefesso studio comparatã conseruarem, eorumq; innatum & quasi inditum gustum retinerem saltem, aut neq; perderem; neuè tandem illud mihi accideret, præcauerem; quod istis quondam carminibus significauit Ouidius:

Adde, quod ingenium longa rubigine læsum
Torpet, & est multò quàm fuit ante minus.
Fertilis assiduo si non renouetur aratro
Non nisi cum spinis germen habebit ager.

Curaui equidem non mediocri studio, sed magno labore Theologicas quasdam Controuersias (quæ vulgò quæstiones quodlibeticæ nuncupantur) olim à me publicè in Toletano gymnasio habitas pro meis viribus repurgare & perficere, atq; in aliqualem forsan studiosorum vtilitatem proferre. In eo sane quod potui, præstiti: vtinam quod debui, fecerim. Illud de reliquo superesse visum est, tibi Beatissime Pater tamquam studiosorum patrono, litteratorum patri, & tamquam ei, cuius in fouenda ingenia summa propensio, nec non ad bonas artes & disciplinas propagandas curæ & solicitudines defixæ sunt, opus istud dicare & offerre. Non quia existimem me tuæ Beatitudini opere isto splendorem aliquem aut gloriam conciliaturum: sed vt tuo potius in posterum patrocinio protegatur; doctis eruditisq; viris (si sub nominis tui fulgore prodeat) commendetur, & acceptum reddatur. Sitq; rursum argumentum interni amoris erga te mei, non omnino quale vellem; sed quale possum isto tempore testimonium. Accipe obsecro Beatissime Pater qua soles benignitate, serui tui beneuolum animum, studia, labores, & quæ potest offerre munuscula: eiq; faueto, vt in posterum gratiora & vberiora donet ingenij, ac sui erga te studij munera et testimonia.

Dominus Iesus Christus suæ Catholicæ Ecclesiæ repurgandæ atq; instaurandæ S. T. quàm diutissime tueatur incolumem.



GREGORIVS PAPA XIII.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Cum sicut accepimus, dilectus filius Hieronymus de la Rua presbyter Toletan. diœc. Magister in Theologia, ac in vniuersitate Toletana prius Philosophiæ, ac postea Theologiæ publicus professor quoddam nouum opus primã partem Controuersiarum Theologicarum inscriptum, compilauerit, illudque in lucem edere desideret, sed vereatur, ne postmodum aliquis, seu aliqui alij ad eius imitationẽ dictum opus etiã imprimi curent, in graue ipsius Hieronymi damnum, & præiudicium. Nos eiusdem Hieronymi indemnitati, ac simul publicæ deuotioni, vtilitati, & commoditati in præmissis opportunè consulere, ipsumque Hieronymum specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, eumque a quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, a iure vel ab homine quauis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum præsentium dumtaxat consequẽdum harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, eius supplicationibus in hac parte inclinati, omnibus & singulis Christi fidelibus presertim librorũ impressoribus, & bibliopolis quouis nomine nuncupatis, tã in alma vrbe nostra & illius districtu, quàm toto nostro statu ecclesiastico nobis & Sãctæ Romanę Ecclesię mediatè vel immediate subiecto constitutis sub excõicationis maioris latę sententiæ, à qua nullus præterquã a nobis, vel a Romano Pontifice pro tempore existente absolui possit, & quingentorum ducatorũ auri de Cameræ, pro vna Cameræ Apostolicę, & pro alia dicto Hieronymo, eiusque heredibus, vel successoribus, aut ius, vel causam ab eo, vel ab eis pro tempore habentibus, & pro alia accusatori, ac pro alia quartis illorum partibus iudici exequenti, necnon amissionis Typorum librorum & operum eidem Hieronymo & suis predictis irremissibiliter applicandorum pœnis toties ipso facto etiam absque declaratione eiusdem iudicis incurrendis quoties contrauentum fuerit districtius inhibemus, & interdicimus, ne per quinque annos a prima dicti operis impressione computandos opus ipsum, vel aliquam eius partẽ, sub quacumque forma in toto vel parte, & quocumque idiomate, ac tam sub eodem, quàm sub quocumque aliò titulo, nec etiam cum quibusuis additionibus, summarijs, glossis, vel interpretationibus, neque sub cuiuscumque alterius generis adiunctionibus etiam ad instantiam cuiusuis alterius personę, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, nobilitatis, pręeminentię, & conditionis fuerit, quouis quęsito colore vel ingenio alicubi absque expressa licẽtia & assensu dicti Hieronymi auctoris, vel suorum prædictorum, imprimere, seu imprimi facere, aut etiam alibi, per quosuis alios, præterquam de licentia & assensu huiusmodi impressum vendere, seu venale proponere, aut in propria domo, vel alibi etiam ex mutuo vel dono, aut alias habere vel tenere audeant, seu præsumant, nisi ad hoc ipsius Hieronymi, aut suorum prædictorum expressus accesserit assensus, de quo per cedulam eius, vel eorũ manu propria subscriptum constare debeat; & nihilominus vniuersis & singulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs eorum vicarijs, & officialibus, necnon quibusuis aliorum locorum ordinarijs, & reliquis personis, in dignitate ecclesiastica constitutis etiam quacunque dignitate ecclesiastica fungentibus harum serie mandamus, vt quoties pro parte dicti Hieronymi, & successorum prædictorum fuerint requisiti, vel eorum aliquis fuerit requisitus eidem Hieronymo, & suis prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistant, eaque obseruari mandent, & faciant, ac contra inobedientes & rebelles per prædictas eis beneuisas sententias, censuras & pœnas, etiã illas sæpius aggrauando appellatione remota procedant, & exequantur. Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus Apostolicis, ac in vniuersalibus, prouincialibusque & synodalibus concilijs editis, & edendis specialibus vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus necnon etiam quibusuis etiam iuramẽto confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque indultis & litteris Apostolicis etiam quibusuis superioribus, & personis in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus & formis, etiam motu proprio, ac aliàs in contrarium quomodolibet etiam pluries & iteratis vicibus concessis in posterumque concedendis: Quibus omnibus etiam si de illis specialis mentio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quòd præsentium transumptis, vel exemplis, etiam in ipsis operibus impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis plena, & eadem prorsus fides vbique etiam in iudicio adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xj. Decembris, M. D. LXXXIII. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

Cæ: Glorierius.

PRAEFATIO AVCTORIS IN Controuerſias Theologicas.



IN Toletana Accademia ab eius origine conſuetum fuit (lector optime) ab ijs, qui laurea ſacræ Theologiæ inſigniri deſiderant, ad ſummumque Doctoris honorem adſpirant, Theologicas quaſdam & difficiles controuerſias (quæſtiones vulgò quodlibeticas nuncupatas) diſputandas aſſumere; ſimul & ſacrarum litterarum, ſiue eorum, quæ ſacram concernunt Scripturam, ſubobſcura quædam, abſtruſa, & ambigua declaranda, explicanda, & enodanda ſuſcipere: vt quo ſe quiſque modo in theologicis rebus aperiendis gerat, quanta ingenij dexteritate polleat, qua diſpoſitione, quali etiam ſententiarum pondere atque delectu ea explicet, percipi valeat; qua inſuper in enarrandis ſacræ Scripturæ teſtimonijs fuerit cura vſus, quanta in Sanctorum Patrum ſcriptis peruoluendis diligentia, & quod deniq; circa vniuerſa iudicium habeat, cognoſci poſſit. Sed quamuis precipuus ſit iſte illius Academiæ ſcopus, quantumque in ſtudijs Theologicis vnusquiſque profecerit, eius Patres primùm experiri conentur, vtraque adhuc etiam eidem diſputationi coniuncta & connexa eſſe voluerunt; vt delectationi ſimul & audientium guſtui conſulerent; liberaque animi oblectatione tædium propulſarent. Quis enim vnius diei ſpatio pro alma eccleſia Toletana, pro inſigni Diuæ Catherinæ collegio, pro quocunque fratrum mendicantium conuentu, pro ſingulis demum eius ſcholæ Doctoribus binas propoſitas controuerſias, earumq; omnium non ſine incredibili laureandi labore, neque ſine ſalutis, vel honoris periculo conquiſitas, diſpoſitas, memoriæ commendatas, atque recitatas ſolutiones, ſine moleſtia & tædio audire valeat? Oportebat ergo inſerta eſſe nōnulla, quæ honeſtam voluptatem adferrent, tædium leuarent, mentem reficerent, atque audientium animos recrearent. Cum igitur præfata in Schola ſuperioribus annis ſimilem ingreſſus fuiſſem laborem, perpluraque vnius diei ſpatio diſputanda ſuſcepiſſem, placuerunt (Deo fauente) non ſolum Patribus illis; verum & multis alijs præſtantiſſimis viris, doctrina, litteris, ac religione clariſſimis ea, quæ non ſine magno labore, magna diligentia pro meis viribus, diu, noctuque adhibito ſtudio hinc, inde conquiſieram, diſpoſueram, atque vi & diſcurſu mei qualis qualis ingenij ratiocinando adinueneram. Suaſerunt poſtea multi, vt illa in lucem darem, ſtudioſiſque omnibus, & illis, qui aliorum labores grato ſuſcipiunt animo, primum fœtum parturirem. Verùm cum ſuperioribus

bus illis annis quottidianæ lectiones, & Philosophiæ, & Theologiæ, me totum occupatum tenuerint, vixque eis perficiendis necessariam, quantò magis pro voluntate desideratam operam, dare valuerim; neque istud simul præstare, & illud non omittere potuerim; editionem differendam statui, commodiorem expectans opportunitaté. Igitur pro votis animiq; sententia cũ in hac alma vrbe cõmoditaté postea nacti fuissemus, & trienio superiori iterũ atq; iterũ ea oĩa introspicere, intimius considerare, ordinatius disponere, & pro virili nostra postremam eis manum imponere licuisset, ecce iam Controuersias nostras in lucem damus. Neque ignoramus haud defuturos obtrectantium cauillos, neq; innumeros inuidorum obijcientium defectus. Sed non moramur: virtus enim (vt dixit ille) semper æmulos habet, feriuntque summos fulgura montes; ac remotum procul a fori litibus & turbis, latentemque inuenit inuidia. An ignorant prudentes, & ij, qui claris oculis res considerant, felices fore artes, si de eis solum artifices iudicarent? Illud tamen admonere non prætermittam, multa & difficilia hisce breui controuersijs prætacta fuisse, quæ & fusioribus extensa commentarijs dari possent: sed a nostro aliena tunc instituto fuissent. Ita namque difficultatum vires & anfractuum hiatus ob oculos ponere, demonstratos fugere, non solum verbis, sed meliori, quo ad fieri possit, via satisfacere; quietamq; mẽtem reddere, oportebat: vt temporis angustiæ breuitate consuleremus. Accipe ergo modò, candide lector, breues istas controuersias prima diei parte recitatas, quibus te ad reliquas alias secunda Controuersiarum parte simili ordine dispositas (quæ anuente Deo futuræ sunt) acceptandas paratiorem reddam, quia facilè mihi bene sperare licebit de reliquo, si hunc primum laborem probaueris, & benignè susceperis. Vale.

ELENCHVS

ELENCHVS CONTROVERSIARVM Theologicarum, quæ in hac priori parte continentur.

PRIORVM POSITIVARVM.

I.

QVID intellexerit Lucas per sabbathum secundo primum, cum au cap. 6. Factum est autem in sabbatho secundo primo cum transiret per sata &c.

II

An Codices Hebraici, quos nunc habemus, ab originalibus antiquis discordent, Iudæorumve perfidia corrupti fuerint?

III.

Potuerint ne olim Iudæi vnius tribus vxores diuersæ tribus ducere?

IIII.

An Apostoli & Euangelistæ aliquid ex veteri testamento citauerint, quod fideliter nō adduxerint?

V.

Cum Genes. cap. 11. Arphaxad dicatur genuisse Sale, quomodo Lucæ cap 3. dicitur: Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad?

VI.

Quomodo Apostolus Iudas in sua epistola Canonica dicat: Prophetauit autem septimus ab Adam Enoch; cum liber Enoch vt apocryphus ab Ecclesia reyciatur?

VII.

Vtrum inter fideles, lugere bene mortuos, pium & concessum sit?

VIII.

An festorum dierum celebritas & obseruatio diuino iure instituta fuerit; & qua illorum origo?

POSTERIORVM SCHOLASTICARVM.

I.

NVM Persona diuina in opinione S. Thomæ diuinis relationibus vt relationes sunt, constituantur & distinguantur?

II.

Per quid peccatum intrinsice constituatur in esse peccati?

III.

An summus Pontifex si a fide deficiat, sit iure diuino pontificia dignitate priuatus?

IIII.

Num Verbum diuinum non solum in Incarnatione verum corpus assumpserit; sed in resurrectione cum omnibus partibus, quæ in humanis corporibus esse solent, vnierit?

V.

Vtrum in Diuinis ponendum sit indiuiduum Deitatis; videlicet hic Deus, præintellectum tribus Personis?

VI.

Num lex euangelica precipuè & propriè sit gratia diffusa in cordibus fidelium?

VII.

An Apostoli omnes fidem amiserint tempore passionis Christi.

VIII.

Num humanitas Christi causare possit gratiam, & quomodo?

De dispositione & ordine omnium Controuersiarum.





Heologicas omnes Controuersias sic disponere & ordinare visum est, vt a Controuersia positiua (eam sic appello, quam nostra Schola quæstionem nominat sine argumentis, & quæ scholasticam difficultatem antecedit.) respondere semper incipiam: postmodum verò scholasticæ quæstioni, (quæ cum argumentis cõsueuit nuncupari,) satisfaciam; vt eo ponantur ordine, quo in almo gymnasio recitatæ fuerunt, consulamusque melius lectoris voluptati & gustui, si forte vllus esse, capique possit in eis perlegendis. Et quamuis nullum dependentiæ ordinem vnius quæstionis ab alia inter sese, neq; scholasticæ, neq; positiuæ; neq; istæ cum illis, aut e contrario seruent; mirari propterea non oportet, operæpretium cum fuerit, varietatem potius in simili labore quærere, quàm pro omnium impossibili inter sese ordine laborare. Est etenim in vnaquaq;, dispositio, methodus, & ordo attendendus: in omnibus verò simul, varietas, & multiplicium rerum indagatio. Vtruq; namq; ita intentum fuisse significauimus, vt vnum sine alio delectationi, & audientium gustui forsan non fuisset. Quia tamen in omnibus ordinem commemorati gymnasii obseruare intendimus, vniuersas controuersias in duas diuidemus partes: in quarum priori eas lectori dabimus, quas a summo mane ad meridiem vsq; recitauimus: in posteriori verò reliquas eius diei residuo expisitas exhibebimus.

EARVM PRIOR PARS EST, QVÆ SEQVITVR.

Ecclesiæ censuræ omnia submissa vult auctor.

ANtequam tamen rem aggrediar, beneuolum atque prudentem lectorem plurimùm rogatum velim, vt si quid in hoc opere boni ac recti inuenerit, Deo Opt. Max. bonorum omnium auctori acceptum referat: si quid autem peccatum est, aut minùs rectè dispositum, mihi benigne indulgeat; igneq; charitatis absumat. Quippe id semper mihi cordi fuit, quod ore & scripto vbiq; protestatus sum, nolle me vllo pacto a Sacris Orthodoxæ fidei, Sanctæq; Romanæ Ecclesiæ, atque Doctorum ipsius dogmatibus, vel latum vnguem discedere. Quare & me, & vniuersa mea, siue scripta, siue ore prolata, eorum omnium, nec non & aliorum rectiùs me sentientium iudicio submitto.

CONTROVERSIAE THEOLOGICAE, PARTIM POSITIVAE, PARTIM SCHOLASTICAE.

Auctore

HIERONYMO DELA RVA TOLETANO,
DOCTORE THEOLOGO, ET IN SCHOLA TOLETANA
PRIVS PHILOSOPHIAE, POST SACRAE THEOLOGIAE
PVBLICO PROFESSORE.

EX DVABVS CONTROVERSIIS, QVÆ POSITÆ FVERVNT pro primo Proponente Almæ Ecclesiæ Toletanæ, prima Positiua fuit.

Quid intellexerit Lucas per Sabbathum secundoprimum, cum ait cap. 6. Factum est autem in Sabbatho secundoprimo, cum transiret per sata, vellebant; & cet.

SVMMA CONTROVERSIAE SEQVENTIS.

Positis Sabbathi acceptionibus, anni apud Hebræos diuersis initijs, diuersisq; Hebræorum festiuitatibus, & vnius diei & plurium, verba D. Lucæ intelligenda esse, de die septimo festiuitatis Azymorum, qui apud Hebræos sabbathum secundoprimum dicebatur, ostenditur.

A POSTQVAM Christus Dominus, Lucæ cap. 5. Pharisæorum obiectioni satisfecerat, cur eius discipuli non ieiunarent, principio cap. 6. alteri respondet Scribarum & Pharisæorum obijcientium, Christi Apostolos sabbatha non seruare iuxta legem Leuit. cap. 23. statutã; eò quòd spicas vellerent, manibusq; confricarent. Id enim in Sabbatho accidisse narrant Matthæus, cap. 12. & Marcus, cap. 2. Lucas item in Sabbatho, sed addidit secundoprimo, quæ quidem additio summam habet difficultatem, quid scilicet, intellexerit Euangelista per sabbathum secundoprimum. cap. 6

B In qua re explicanda adeo Sancti Patres tam Græci, quàm Latini laborauerunt, vt inter eos neq; duos fere eorum in eadem conuenientes explicatione reperias. *Labor SS. Patrum in explicandis Euãg. Lucæ verbis.* Hieronymus etenim in epistola ad Nepotianum de vita Clericorum, post medium, (licet Erasmus falso citet epistolam ad Rustichum monachum, in qua neque verbum de hoc) vt huius rei difficultatem ostenderet, in hæc verba locutus est: *Hieron.* Præceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus, rogatus à *Gregor. Nazian.*

me, vt exponeret, quid ſibi vellet in Luca illud ſabbatho δευτεροπρώτῳ ideſt, ſe- A
cundoprimo, eleganter luſit; docebo te inquiens ſuper hac re in Eccleſia, in
qua mihi omni populo acclamanti cogeris inuitus ſcire, q; modo neſcis. Chry-
Diuerſæ interpretationes.
ſoſtomus vero, vt dubitationi ſatisfaceret, homilia 40. in Matthæ. ſabbathum
ſecundoprimum eſſe arbitratur, quando erat duplex feſtum, tam in ſabbatho,
quàm in altera ſollemnitate ſuccedente. Theophilactus inſup hac de re in hunc
modum ſuper Lucam ſcribit: Iudæi omne feſtum ſabbathum vocant; quo-
niam ſabbathum requiem ſonat. Sæpenumero igitur incidebat feſtum in Pa-
raſceuem, & vocabant Paraſceuem ſabbathum propter feſtum. Itaq; quod pro-
prie ſabbathum erat, nominabant ſecundoprimum, quòd ſecundum eſſet ab
altero feſto & ſabbatho quod præceſſerat. Hugo deinde Carrenſis per ſabba-
thum ſecundoprimum illud intelligit, quod a præcedenti eſt proximum & ſe- B
cundum. In qua ſignificatione omnia ſabbatha, excepto primo, ſecundoprima
appellari poſſent. Miſerabile vero dictu, quantum hoc loco ſeſe torqueat Petrus
Commeſtor in omne ſe vertens latus, neq; tandem difficultatem elabitur. Om-
Allegorica interpretatio. Ambroſij, & Bedæ.
mito allegoricam interpretationem D. Ambroſij & venerabilis Bedæ, de ſabba-
tho ſpirituali ſiue euangelico ab eis ſecundoprimo nominato; tum quia legis Iu
daicæ ſabbatho ſucceſſerit; tum quia illo præſtantius fuerit. Plura item alia anti-
quorum Patrum placita ommitto, quæ refert Eraſmus in annotationibus in 6.
cap. Lucæ, quo loco ipſe tandem poſt multa cõcludit, difficultati tamen minime
ſatisfaciens, & quaſi propriã inſcientiam prodiẽs, hæc melius explicaret Iudæus.

Nos autem, vt prædicti loci veram & germanam interpretationem in mediũ
adducamus, quamuis non Iudæi, ſed Dei gratia Chriſtiani & Catholici ſimus, C
nonnulla prius de Iudæorũ feſtis ac ſabbathis, quæ ex diuerſis collegimus aucto
ribus explicare operpretium putauimus, initiũ facientes a varia & multiplici ſab
Multiplex ſabbathi acceptio.
bathi ſignificatione. Sabbathum igitur multifariã ſumi ſolet. In primis enim ac
cipitur ꝑ hebdomada, vt adnotauit Hieronymus, quæſtione 4. ad Edibiã. Quo
ſenſu & ſignificatione dixit Phariſæus, Lucæ cap. 18. *Ieiuno bis in ſabbatho*, & dicitur
Ioan c. 20. *Una autẽ ſabbathi Maria Magdalena venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent.*
Et Marci cap. 16. *Et valde mane vna ſabbathorũ veniunt ad monumentũ orto iam ſole.* Con-
ſueuit etiã in ſacris litteris, pro ſeptimo die hebdomadæ accipi. Sic Exodi cap.
31. & Leuit. cap. 23. dicitur; *Sex diebus facietis opus: in ſeptimo autem ſabbathum eſt.*
Qua in ſignificatione ſabbathi nomen vſque in hodiernũ diem remanſit in ec-
cleſia ex inſtitutione B. Silueſtri Papæ, auctore venerabili Beda, libro de ratione D
Inſtitutione B. Sylueſtri apud Chriſtianos remanſit appellatio ſabbathi.
tẽporũ, cap. 4. & lib. de natura rerũ, c. 8. vt refert Vualdẽſis lib. de ſacramẽtalib.
cap. 140. & cõſtat ex vita eiuſdẽ Silueſtri de Greco in latinum cura & diligentiã
Aloyſij Lyppomani verſa, tomo. 5. Sumitur deniq; ſabbathũ pro quacunq; fe-
ſtiuitate, qua ſignificatione dicitur Leuit. cap. 23. à veſpera in veſperã celebrabi-
tis ſabbatha veſtra, & Eſai. cap. 1. Neomenias veſtras, & ſabbatha veſtra odiuit
anima mea. Et hæc quidẽ ſignificatio ea eſt, quæ ad noſtrum ſpectat inſtitutũ.

Scire itẽ oportet q̃s mẽſis apud Hebræos dictus fuerit primus, & a quo annus
apud eos inceperit, vt accuratius cõſtituto mẽſiũ ordine poſtea cognoſcere valeã
mus, q̃bus mẽſibus extiterint ſollẽnitates & feſta Iudeorũ. Etenĩ apud Hebræos,
vt adnotarũt Nicholaus Lyranus in cap. 7. Geneſe⋅s & idẽ Lyranus atque Bur-
genſis

A genſis in cap. 12. Exodi,& ex iunioribus, Ioannes Lucidus lib. 1. de emendatione temporũ, cap. 2. atque inſignis ille conciuis noſter Didacus Couarruuias lib. 4. Variarum Reſolutionum cap. 18. duplex erat anni computatio. Alia a menſe תשרי Tisri, a quo incipiebant Iudæi numerare annos Iubilei, & annos, qui pertinebant ad ſabbathum, ſiue requiem terræ, ac omnium contractuum quo-ad res ciuiles, vt colligitur ex Leuit. cap. 25. & Deut. cap. 15. Altera præſtantior ac magis præcipua, cuius initium erat a menſe ניסן Niſan, teſte Ioſepho lib. 1. antiquitatum Iudaicar. cap. 5. a quo menſe connumerari incipiebant feſta totius anni, & alia quæ ad ſollemnitates ſpectabant. Secundum quam computationem intelligitur illud, quod ſtatuit Dominus Exodi cap. 12. *Menſis iſte* (ſilicet Niſan) *erit primus in menſibus anni, cuius quartadecima die; &cet.* Quis autẽ noſtrorum menſium huic Hebræorum menſi, dicto Niſan correſpondeat, non eſt apud omnes certum. Rupertus ſiquidem, referente Lyppomano Catena in Exodum cap. 12. exiſtimat apud Hebræos primum illum menſem Aprili noſtro correſpondere. Ipſe vero Lyppomanus eo in loco ita loquitur: Menſis primus, quem Caldaico nomine vocant Niſan, plerunquè reſpondet Martio noſtro; ſed quandoque Aprili: nam initium eius aliquando præcedit, & aliquando ſequitur æquinoctium vernale, ſecundum quod annus embolyſmicus prope vel longe fuerit. Idem item docuit Ioanes Lucidus in opuſculo illo, de vero die paſſionis Chriſti cap. 4. & Sanctes Pagninus in ſuo Theſauro linguæ ſanctæ, dictione ניסן Niſan, Sed ne in hac re diutius, quam par eſt immoremur, ſciendum eſt, primum diem menſis Niſan fere ſemper correſpondere diei men-
C ſis Martij; quia vt plurimum nouilunium Niſan euenit in Martio: licet plures, & ſubſequentes dies illius Niſan etiam correſpondeãt diebus menſis Aprilis. Quamobrem quilibet Hebræorum menſis participat ex diebus duorum mẽ ſium noſtrorum. Quoniam verò principium menſis Niſan coreſpondet vltimis diebus Martij, ideo abſolute cum Benidicto in concordantijs, dictione Menſis, vulgo conceditur, menſem Niſan correſpondere noſtro Martio, & conſequenter loquendum de alijs menſibus quoad correſpondentiam. Sic etiam & Aſtrologi in ſupputationibus anni initium a Martio ſumunt. Similiter inter Italos, Florentini menſes numerare incipiunt, vt adnotauit S. Pagninus in dictione בול. Bul. Immo & olim idẽ mẽſis apud Romanos extitit anni primus, ita à Romulo nũcupatus in honorẽ aui ſui Martis, teſte Solino in Pollyhiſtore,
D cap. 3. & Macrobrio lib. 1. Saturnalium cap. 12. Vnde Ouidius lib. 1. faſtorum.

Duplex anni principium apud Hebræos.

Martius apud Romanos aliquando anni primus.

Martis erat primus menſis, Veneriſq; ſecundus.
Hæc generis princeps, ipſius ille pater.
Et lib. 3.
A te principium Romano ducimus anno
primus de patrio nomine menſis erit.

Quare, vt obiter cum eodem Macrobrio eodem lib. 1. cap. 13. & 15. dicam, a temporibus Numæ Pompilij primus anni menſis fuit Ianuarius. Addidit namque Numa Pompilius anno duos menſes, Ianuarium ſcilicet & Februariũ; cum ſolum decem menſes Romulus apud Romanos inſtituiſſet. Quod ſignificauit Ouidius lib. 1. Faſtorum, dum dixit.

Numa Pompilius anno Roman. addidit Ianuarium et Februarium.

A 2 *Iane*

Iane biceps anni tacitè labentis origo A

Et lib. 2.

Primus erat Iani menſis, quia Ianua prima eſt.

Vt igitur ad rem veniamus, computatio anni apud Hebræos quoad res ciuiles à menſe incipiebat תִּשְׁרֵי Tiſri correſpondente Septembri. Supputatio verò quoad feſtiuitates, & reliqua alia ſacra, initium habebat a menſe נִיסָן Niſan, correſpondente noſtro Martio. Quamobrem relicta priori anni ſupputatione iuxta ſecundam intelligenda ſunt, quæ in poſterum dicentur.

Conſiderandum eſt præterea tertio, apud Hebręos menſium initium & exordium ſecundum Lunæ mutationes, inchoationes, & finitiones attendi ſolitos fuiſſe. Dies etenim inchoationis Lunæ dies primus dicebatur illius menſis: & conſequenter dierum numerus ſecundum Lunæ variationem & volutationem B numerabatur. Sed in vnoquoque menſe primus dies illius alicuius erat ſollemnitatis apud Iudeos, & dicebatur Græce νουμηνία id eſt nouilunium, ſiue noua luna & in his diebus non erat ceſſatio ab opere ſeruili; neq; enim erat ita ſolemnis, ſolum ab alijs diebus in eo quantum ad ſacra diuerſus erat, quod in illo additio fieret quorumdam ſacrificiorum ad communia cuiuſq; alterius diei ſacrificia, iuxta inſtitutionem Numerorum. cap 28. vbi dominus primum illum diem aliquo modo ſacrum inſtituens præcepit Iudæis, vt in Kalendis id eſt menſium exordijs offerrent holocauſtum domino, vitulos de armento duos &c. vbi obiter nota Iudeorum ſtultitiam & blasfemiam, aſſerentium in ſuo Thalmud, ordine 4. tractatu 6. diſtinctione 1. Deum ideo præcepiſſe Iudeorum populo, vt ſingulis nouilunijs ſacrificium vnius hœdi peragerent ad expiandum C ſcœlus a ſe ipſo commiſſum, quando lumen quod iniuſtè a Luna ademerat, Soli attribuit. Hanc eorum blasfemiam irridet Burgenſis. 2. parte ſui ſcrutinij ſcripturar. diſtinctione. 6. cap. 8. Præterea ſeptimus dies hebdomadæ cuiuſcunq; menſis ſanctificatus erat Domino, ita vt in eo Iudei neq; cibos, neq; alia neceſſaria alimenta pararent, ſed ex antecedenti die parata relinquerent. Dixerat enim Dominus, Exodi cap. 20. *Memento vt diem ſabbathi ſanctifices: ſex diebus operaberis, ſeptimo autem die ſabbathum domini Dei tui eſt, non facies omne opus in eo, &c.* Sed præter hæc feſta cuicunq; menſi communia, erant & aliæ feſtiuitates & ſabbatha peculiaria, tum ex lege; preſertim ex libro Exodi cap. 12. ex Leuitic. cap. 23. & ex Numer. cap. 29. collecta, tum etiam & alia maiorum & ſeniorum decreto ſtatuta ac confirmata, & poſteritati per traditionem relicta, quæ breuiter in vnoquoq; menſe, ob oculos ponere congruum & gratum fore duxi. D

Sollemnitates communes anni apud Hebræos. Neomenia

Feſta ſpecialia, primum Phaſe.

In primo ergò menſe Niſan, qui, vt diximus, noſtro Martio correſpondet, erat feſtum ab Hebræis dictum פֶּסַח Pheſach, id eſt tranſitus, a verbo פָּסַח Phaſach, quod ſignificat tranſire, ſeu ſaltando tranſilire; & vulgo appellatur Phaſe, & a nobis dicitur Paſcha. Fuitq; inſtitutum hoc feſtum a domino Leuit. cap. 23. *Menſe*, inquit, *primo, quartadecima die menſis ad veſperum, Phaſe domini eſt. Et quintadecima die menſis huius ſollemnitas azimorum domini eſt. Septem diebus azyma commedetis; &cet.* Sed eſt hic adnotandum, in veſpera decimæquartæ diei incipere diem decimumquintum, & propterea dicere menſe primo, quartadecima die ad veſperum Phaſe domini eſt, hoc eſt, incipit Phaſe do-

A ſe domini; cum tunc incipiat decimusquintus dies. Etenim omnes Hebræorum feſtiuitates a veſpera in veſperam celebrabantur, id eſt, ab occaſu ſolis vnius diei, vſq; ad occaſum diei ſubſequentis. Et ita clarius dicitur Exodi cap. 12. *Primo menſe quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azyma vſque ad diem viceſimamprimam eiuſdem menſis, ad veſperam.* Ideoquè appellabatur feſtum hoc, פֶּסַח Pheſach, ſiue tranſitus, quia in nocte decimæquartæ diei menſis primi, cum Aegyptiorum primogenitos Angelus per ſingulas domos percuteret, ædes Iſraelitarum ſanguine ſignatas ex diuina miſericordia tranſilijt. Atq; ita dicitur Exodi cap. 12. *Tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lædere.* & paucis in teriectis ſubditur: *Et cum dixerint vobis filij veſtri, Quæ eſt iſta religio? Dicetis eis, Victima tranſitus domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in Aegypto, percutiens Aegyptios, & domos noſtras liberans.*

B Vnde in hac feſtiuitate, quæ durabat per ſeptem dies, panes azymos, & ſine fermento manducabant, vt recordarentur illius temporis, quando ab Aegyptijs propriæ mortis timore è terra eiecti & expulſi portabant farinam conſperſam, antequam fermentaretur, & ſic dicitur in illo cap. 12. Exodi. *Quod vrgebant Aegyptij populum Iſrael de terra exire velociter dicentes, Omnes moriemur.* Et poſt Hebræorũ egreſſum additur: *Coxeruntq; farinam, quam dudum de Aegypto conſperſam tulerant, & fecerunt ſubcineritios panes azymos: neq; enim poterat fermentari, cogentibus exire Aegyptijs, & nullam facere ſinentibus moram.* Ex quibus & feſtiuitas, & ratio atq; cauſa inſtitutionis eiuſdem ſatis aperte colligitur.

In tertio menſe dicto, סִיוָן Siuan, correſpondente noſtro Maio (vt ſecun-
C dum menſem אִיָּר Iiar, qui eſt apud nos Aprilis, prætermittamus) cum in eo nulla apud Hebræos peculiaris feſtiuitas extiterit) erat feſtũ שָׁבֻעוֹת Sabunòth, id eſt hebdomadarum, quod celebrabant poſt ſeptem hebdomadas expletas à die primo ſollemnitatis azymorum excluſiuè, & Grecè dicitur πεντηκοστή, & vulgò Pentecoſtes, ſeu quinquageſſimus; videlicet dies, & celebrabatur ſexto die tertij menſis Siuan. Et ita dicitur Leuit. 23. *Numerabitis ergo ab altero die ſabbathi, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas, vſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ primæ, id eſt, quinquaginta dies: & ſic offeretis ſacrificium nouum domino.* Et paullo poſt. *Et vocabitis hunc diem celeberrimum atq; ſanctiſſimum; omne opus ſeruile non facietis in eo. Legitimum ſempiternum erit in cunctis habitaculis & generationibus veſtris.* Si verò rationem & cauſam quæras, ob quam fuerit feſtum hoc
D inſtitutum? Legis Doctores & Hebræorum periti docent fuiſſe inſtitutum, vt in eo gratias Deo agerent, quod eis legem tabulis illis contentam dederit. Atq; ita in collectis & orationibus illius diei, ſolum illius maximi beneficij mentio fiebat. Vnde Deut. cap. 16. poſtquàm iſta hebdomadarum ſollemnitas poſita eſt, pro ratione ſubditur. *Et recordaberis quoniam ſeruus fueris in Aegypto: cuſtodiesq; ac facies quæ tibi præcepta ſunt.* Quaſi dixerit, Recordaberis, quod dederim tibi legem, cuius præcepta cuſtodias.

Feſtum hebdomadarum ſiue Penthecoſtes.

Ita Lucidus in fine Canonum feſtor. mobilium.

In quarto menſe תַּמּוּז Tamuz, cui reſpondet Iunius, obſeruabatur decimaſeptima die ieiunium ex traditione: eò quòd fractę fuerint legis tabulæ a Moyſe deſcendente de monte, ob Idololatriam vituli. Exodi 32.

In quinto menſe dicto אָב Ab, qualis apud nos eſt Iulius, erat feſtum quodam

dictum

dictum תִּשְׁעָה בְּאָב Tiſnahbeab, quaſi celebratum die nono menſis quinti, dicti A Ab, in qua die plorabant Iudei, & lamentabantur, & incedebant pedibus nudis, ac ieiunabant cauſa templi, primum deſtructi a Nabuchodonoſoro Babyloniæ Rege, ac ratione captiuitatis a Ieremia, relatæ cap. vltimo ſuæ prophetiæ, & gẽtis tunc occiſæ: iegebantque eo die in Synagoga Ieremiæ lamentationes. Hoc vero erat feſtum traditionis, & non legis. Et in eodem die nono eiuſdem menſis Ab deſtructum eſt poſtea ac incenſum templum à Romanis, vt narrant Hiſtoriographi. Vnde pro eo quod legimus apud Ioſephum lib. 7. de bello Iudaic. cap. 14. templum concrematum fuiſſe a Cæſare die decimo Menſis Augusti, & apud Aegeſipum lib. 5. de excidio Hieroſolymitano cap. 42. apud Hebræos legimus, id factum fuiſſe die nono menſis Ab, forſan ex varia correſpondentia Menſium Hebræorum ſuperius prætacta, reſpectu noſtrorum menſiũ, B ea diuerſitas ſuborta eſt. Conueniunt tamen omnes vtrumq; excidium eodem die accidiſſe. Atquè ita Aegeſipus loco citato ait, inter Iudeos tunc temporis cõmunem eſſe mentium inclinationem, illum diem eſſe templo excidialem & funeſtum. In ſequenti & ſexto menſe אֱלוּל Elul, qui apud nos eſt Auguſtus, nullam inuenio fuiſſe peculiarem feſtiuitatem.

Sabbatha ieiunij ex traditione.

Septimi rurſus menſis תִּשְׁרִי Tiſri conſonantis Septembri noſtro primus dies erat apud Hebræos maxime ſollemnis, appellabaturq; ille dies ראשׁהשׁנה Roshaſanah, ideſt, caput, ſiue principium anni. Quoniam ille menſis principiũ erat anni quoad res ciuiles & politicas, vt diximus, quia, vt putabant Hebræorum aliqui, in eo menſe mundus habuerat principium, fueratq; a Deo conditus. Sed multis hæc non placent, quia cum abſolutè ſcriptura apellet Niſan, pri- C mum menſem, verius videtur mundum in eo fuiſſe creatum: quemadmodum & reproduci & perfici incœptum per Diuini Verbi incarnationem. Sed de hoc alibi. Interim tamen videatur Ioannes Lucidus lib. 1. de temporum emendatione cap. 2. Fuit igitur inſtitutum illud feſtum, Leuit. cap. 23. vbi loquens Dominus ad Moyſẽ, inquit: *Loquere filijs Iſrael, Menſe ſeptimo, prima die menſis erit uobis ſabbathum memoriale, clangentibus tubis, & uocabitur ſanctum. Omne opus ſeruile nõ facietis in eo, &cet.* Cauſa vero & ratio inſtitutionis ea fuit, ſi Rabbinis credimus, vt eo die a Deo poſtularent Hebræi, tamquam in principio anni ciuilis, proſperos terræ fructus, & eorum atque aliorum bonorum ciuilium, & temporalium conſeruationem; dicebaturque vulgo feſtum tubarum. Vel ſi Lucido credimus in Canone feſtorum mobilium ille dies celebris erat in memoriam libe- D rationis Iſaac ab immolatione, quando Geneſ. 22. aries inter fructeta cornibus hærens pro eo eſt immolatus, & ideo die illa clangebant in cornibus pecorum.

Feſtum tubarum, ſiue datæ legis.

Tertio etiam die eiuſdem menſis celebrabatur ieiuniũ ex traditione ob mortem interfecti Godoliæ, de quo late Hieremiæ. cap. 41.

Decimus præterea dies eiuſdem ſeptimi menſis erat ſollemnis Hebræis, & ab eis dicebatur יוֹם כִּפֻּרִים Iom Kipurim, ideſt, dies expiationum, ſeu expurgationum, & vulgo ab Hebræis dicebatur Sabbathum magnum, ieiunabantquè per integrum diem. Et ſic dicitur Leuit. cap. 23. *Decimo die menſis huius ſeptimi dies expiationum erit celeberrimus, & vocabitur ſanctus: affligetisq́, animas veſtras in eo, & offeretis holocauſtum domino. Omne opus ſeruile non facietis in tempore diei huius: quia dies*

Sabbathũ expiationum.

A *dies propitiationis eſt, vt propitietur vobis dominus Deus veſter: Omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac, peribit.* Ratio autem inſtitutionis fuit, vt in eo die peccatorum pœnitentiam agerēt, in quam Deus reſpiciens parceret & propitiaretur. Atq; in memoriam beneficij ſuſcepti quo Deus eis Idololatriæ indulſit peccatū in vituli conflatione cōmiſſum. Orabantque die illo in ſynagoga recitantes ordinem ſacrificiorū, & holocauſtorum, quæ tunc erant immolanda, & appellabatur illa oratio סֵדֶר עֲבוֹדָה Seder Nabodah, ideſt, ordo ſeruitij ſeu miniſterij. In eodem item ſeptimo menſe celebrabant feſtum סֻכּוֹת Sucot, ideſt tabernaculorū per ſeptem dies, de quo dicitur Leuit. cap. 23. *A quintodecimo die menſis huius ſeptimi, erunt feriæ tabernaculorum ſeptem diebus domino.* Et paullo poſt redditur ratio inſtitutionis, *Vt diſcant poſteri veſtri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cum educerem eos de* *Sabbathū tabernaculorū; ſiue ſcenopegia*

B *terra Aegypti, ego dominus Deus veſter.* Vnde docent Hebræi, præceptum hoc de figēdis tabernaculis ſingulis annis inter alia poſitum a Deo, vt in eis a ſuperbarum ædium libidine, ac illuſtrium ædificiorū appetitu temperarent, poſita ante óculos antiquorum tabernaculorum humilitate & paupertate; renouarentquè in illis tugurijs & vmbraculis ex ramis, folijsq; arborū contextis, memoriam libertatis, quando educti ſunt ex Ægypto. Qua de re videatur Ioſephus lib. 3. antiquitatum Iudaicar. cap. 13. Dicebatur autē hæc ſollemnitas Græcæ σκηνοπηγία Scenopegia. Cuius meminit Ioānes Euangeliſta cap. 7. cū ait: *Erat autem in proximo dies feſtus Iudeorum ſcenopegia, &c.* Eius feſtiuitatis ſeptimus dies dicebatur dies עֲרָבָה Narabah, hoc eſt, ſalicis, quoniam in eo die Iudei circum ambulabant in Synagoga portantes ſalices & canentes hymnos in memoriā captionis Hierico, *σκηνοπηγία*

C quæ fuit prima ciuitas ab eis circuitione & circūportatione Arcæ ſubiugata, & deſtructa. Ioſue, cap. 6. Poſt eos vero ſeptem dies tabernaculorum octauus erat etiam celeberrimus, vt conſtat ex præcitato cap. 23. Leuit. & ex lib. 2. Eſdræ, c. 8. Et dicebatur Hebraice עֲצֶרֶת Naſereth, hoc eſt cœtus & collectæ. Et licet omne feſtum apud Hebræos ita dici potuiſſet, cum in omni congregarentur, & colligerentur Iudei in Synagoga: tamen præcipue forſan dicebatur de octauo die tabernaculorum; eo quod non eſſet quidpiam peculiare ad cognominandum illum, ſicut erat in ſollemnitatibus Azymorum, hebdomadarum, & ſimilium. Vel potius, & credo verius, quia eo die colligebantur pecuniæ ex cœtu pro annuis ſacrificijs: Et de hac quidem feſtiuitate intelligitur illud Ioānis cap. 7. *In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſcenopegiæ*, de qua paullo ſuperius men- *Feſtum Cœtus & collectæ.*

D tionem fecerat, *ſtabat Ieſus & clamabat dicens; Si quis ſitit veniat ad me, & bibat.* Et in iſtis ferijs tabernaculorum ex præcepto domini, Numeror. cap. 29. feriebantur, & offerebantur in holocauſtum ſeptuaginta vituli, hoc ordine; vt primo die offerrentur tredecim; ſecundo die duodecim; & ſic conſequenter ſingulis diebus vnum minuendo: ita vt in ſeptimo die ſupputarentur occiſi ſeptem vituli, qui omnes conficiunt integrum numerum ſeptuaginta. Offerebantq; illos Iudei pro vera reductione, & conuerſione ſeptuaginta aliarum nationum: quaſi voluerit Deus, vniuerſorum dominus, cunctas gentes & vniuerſas nationes, veluti conuiuio quodam generali & ſplendido inuitare, & ad ſe allicere. Pro Iudeorum verò dilecto populo in octaua die celeberrima cœtus & collectæ

vnum

vnum offerri vitulum præcepit. Quæ omnia in figura contingebant illis. Sed longum eſſet ea omnia euoluere. A

Marxeſuan

In octauo menſe מַרְחֶשְׁוָן Marxeſuan, quem latini Octobrem dicunt, nullum reperio peculiare ſabbathum & feſtum.

Kiſleu
Sabbatum dedicationis templi, ex traditione.
Xanucah

Vigeſimusquintus dies menſis noni, כִּסְלֵו Kisleu, ſiue, vt vulgò dicunt, Caſſeu, qui reſpondet Nouembri, erat principium feſti חֲנֻכָּה Xanucah, ideſt, templi dedicationis; fuitq; illud feſtum inſtitutum a Iuda Machabeo & ab eccleſia Iſrael in memoriam illius inſignis victoriæ, quando a Rege Antiocho Epiphane victoriam reportarunt, lib. 1. Machabeor. cap. 4. Qua parta victoria templum antea profanatum & porcino ſanguine fœdatum, & coinquinatum mundauerunt; & accenderunt lucernas, quibus applicuerunt ex paruo oleo reperto in quodam vaſe obſignato ſigno ſummi ſacerdotis. Quæ quidem lucernæ per miraculum continuo octo dierum ſpatio conſeruarunt lucem. In quorum omnium memoriam ſtatuta fuit commemorata ſollemnitas, quæ durabat octo continuos dies, quamuis in illis a venditionibus & contractibus non ceſſarent. Erantq; intenti lectioni præfatæ hyſtoriæ, quando concludit dominus multos in manu paucorum. Etenim non in multitudine exercitus victoria belli, ſed a cælo fortitudo eſt. Huiuſmodi ſabbathum Grecè ἐγκαίνια dicebatur, quia καινόν, nouū dicitur, & ita inquit D. Auguſtin. tractatu 48. in Ioanem, quandocumq; nouum aliquod fuerit dedicatum, Encænia vocantur. Vnde dicitur, Ioanis cap. 10. quod facta fuerunt Encænia Hieroſolymis & hyems erat: quia vt dictū eſt Encænia fiebant menſe Nouembri. Et quamuis legamus in Scriptura ſacra triplicem templi dedicationem primam factam à Salomone decima die ſeptimi menſis Thiſri, in feſto expiationis, vt videre eſt lib. 3. Regum, cpa. 8. ſecundam factam ſub Zorobabel, eſt enim cœptum reædificari templum à Nabuchodonoſoro prius deſtructum poſt reditū ex Babylone, anno ſecundo & menſe ſecūdo, vt conſtat lib. 1. Eſdræ c. 3. tertiam & vltimā factam a Iuda Machabeo, qui poſt purgationem templi relatam, denuo illud conſecrauerat: de hac tn̄ vltima ſuperius loquuti ſumus. In menſe decimo טֵבֵת Tebet, ſiue Decembri, nullum legale feſtum celebrabatur, decimo tamen die obſeruabatur ieiunium ex traditione, quia in eo Nabuchodonoſor primùm Hieruſalem obſedit, ac poſt dirupit, vt conſtat Ieremiæ, cap. 52. In vndecimo autem שְׁבָט Xebat, ſiue Ianuario, nullum particulare & antiqum fectum inuenies.

ἐγκαίνια August.

Encænia quādo fierent.

B

C

Sollemnitas Phurim, id eſt ſortium, ex traditione.

At in duodecimo dicto אֲדָר Adar, qui eſt apud nos Febrnarius, erat feſtiuitas dicta; פּוּרִים Phurim, id eſt, ſortium. Erat namq; ea ſollemnitas inſtituta, vt conſtat Eſther. 9. in memoriam vltionis, qua vlti ſunt Mardocheus & Iudei de inimicis ſuis poſt ſuſpenſum Aman in patibulo; qui eo anno, menſe primo, Niſan cogitauerat contra eos malum, & miſerat ſortem in vrna, vt ſciret quo die, & quo menſe gens Iudeorum deberet interfici: & cecidit ſors in menſe duodecimo Adar, vt conſtat Eſther. cap. 3. Sed quoniam verſa ſorte in eodem menſe die decimotertio & decimoquarto Iudei ſuorum hoſtium ſeptuagintaquinquè millia occiderunt, ideo appellabant ſabbathum ſortium: & durabat feſtum per duos illos dies. Ita vt in primo ieiunarent, quia in eo præcibus Eſther ſuſpenſus eſt Aman, & appellabatur ieiunium Eſther. ſecundo die exultabant D

A bant maximo gaudio Iudei mittẽtes ſibi adinuicem epularum, & ciborum partes, in maiorem lætitiæ demonſtrationem.

Quoniam verò, vt diximus, apud Hebræos menſes ſecundum lunæ variationes,& reuolutiones numerabantur,ſuperſuntque aliquot dies præter duodecim menſes connumeratos inde eſt, vt apud eos ſint aliquot anni embolyſmici, quibus decimustertius additur menſis,conſtans illis omnibus diebus; & minutis redundatibus, ſicut eſt præſens annus 1581. qui quidem additus menſis apellatur וְאָדָר Veadar,quaſi ſit & alius additus menſis nomine duodecimi menſis Adar nuncupatus. Quotieſcumq́; tamen anno additus erat ille mẽſis Veadar, in eius die decimotertio & ſequẽti decimoquarto celebrabatur ſollemnitas Phurim,& non in Adar.

Annus embolyſmicus

B Ceterum quia horum omnium explicationem eò ſolum ingreſi ſumus,vt aliqualem Hebraicarum feſtiuitatum notitiam haberemus, faciliuſq́; poſſemus nonnulla Sacræ Scripturæ loca intelligere, hæc dicta ſufficiãt. Plura alia,quæ in quocumq́; numeratorum menſium adferri poterant, quia partim noſtro inſtituto haud neceſſaria,partim ab Hebræis poſt Chriſti domini aduentum addita, & conficta arbitramur,omittenda putauimus.

Ex omnibus ergo ſuperioribus colligamus,apud Hebræos duo fuiſſe feſtiuitatum & ſabbathorum genera. Alia ſimplicia & vnus diei. Alia per plures dies celebranda. Et quidem circa ſabbatha plurium dierum (reliqua enim ſimplicia & vnius diei parum ad explicationem verborum Euangeliſtæ Lucæ conferunt) illud eſt maxime aduertendum; priorem nempe diem fuiſſe celeberrimum; poſtremum etiam, & vltimum eadem fere ſollemnitate obſeruatum: intermedij verò non tam celebres & ſollemnes, & ſic appellabantur illi dies intermedij ab Hebræis, מוֹעֵד קָטָן Mogned Catá ideſt feſtiuitatis paruæ. Sicut & hodie intuemur in Sancta Romana Eccleſia, in qua feſtiuitates celebrantur aliquæ per plures dies; quorum primus eſt celeberrimus: octauus autem fere eadem ſollemnitate veneratur; cum eius diei officium recitetur duplex: at intermedij dimidiata & ſemiduplici ſollemnitate recipiuntur. Cum igitur apud Hebræos primus & vltimus dies fere æqualis ſollemnitatis exiſterent, vt primum diem ab vltimo aliqua nota, & ſigno diſtinguerent, intelligerentque facilius de quo die eorum ſermo inſtitueretur, conſueuerunt ipſorum maiores primum diem appellare ſabbathum primoprimum; diem vero vltimum ſabbathum ſecundoprimum. Quia licet ille dies vltimus ſollemnior eſſet alijs intermedijs diebus: non tamen erat ſollemnior primo die. Et in hoc ſenſu intelligitur illud Leuit. cap. 23. *Quintadecima die menſis ſollemnitas Azymorum domini eſt. Septem diebus Azyma comedetis. Dies primus erit vobis celeberrimus, ſanctuſque: omne opus ſeruile non facietis in eo: ſed offeretis ſacrificium in igne domino ſeptem diebus: dies autem ſeptimus erit celebrior & ſanctior; &cet.* Non quidem quod ſeptimus dies eſſet futurus celebrior, etiam primo, ſed alijs diebus a primo.

Duo genera feſtiuitatum apud Hebræos.

Sabbathum primo primũ, quod appellarent Iudei.

C (at "celeberri-/mum") D (at "ſecun-/doprimum")

Sed iam ad explicationem verborum Diui Lucæ veniamus. *Factum eſt*, inquit, Euangeliſta, *in ſabbatho ſecundoprimo, cum tranſiret per ſata, vellebant diſcipuli eius ſpicas & manducabant confricantes manibus. &c.* Quaſi dixerit Euang. Lucas: Factum

Explicantur verba Lucæ.

Explicantur verba Lucæ.

eſt,euenitque in quadam feſtiuitate & ſabbatho,ex his, quæ plures habent dies, A non quidem in primo, & celeberrimo die, ſed in ſecundoprimo, ideſt, in vltimo, qui ſollemnior eſt intermedijs, Apoſtoli vellebant ſpicas, & cet.

Verumtamen quoniam ex dictis facile vnuſquiſq; colligere poteſt, quatruor fuiſſe feſtiuitates pluriũ dierum; nempe ſabbathũ Azymorum in primo menſe Niſan; Tabernaculorum in ſeptimo menſe Thiſri; Dedicationis templi in nono menſe Kisleu, ſiue Caſſeu; & demum ſabbathum Phurim, ideſt, Sortium, in menſe duodecimo Adar, ſiue in decimotertio Veadar, interrogare amplius poſſet, in quo ſabbatho ſecundoprimo, ſeu in quo vltimo dictarum ſollemnitatum potuerit id contingere, quod narrat Euangeliſta? Cui,vt ſatisfaciamus,

De quo ſabbatho ſecũdo primo loquatur Lucas.

primo conſtituendum putamus, id non contigiſſe in vltimo die ſabbathi Phurim,ſiue Sortium. Quoniam illud ſabbathum incidebat in medio vltimi menſis correſpondentis Februario: in medio autem Februarij non ſunt maturæ ſpicæ; vnde neque potuiſſent Apoſtoli illas vellere, manibuſque, vt Lucas inquit, refricare. Deinde non euenire potuit in vltimo die feſti Dedicationis tẽpli. Tum ratione propoſita: quia in menſe Kisleu, ſiue Nouembri, in quo celebrabatur illud ſabbathum, non poterant eſſe ſpicæ. Tum quia in diebus eius ſabbathi non Vacabant, vt diximus, Hebræi a contractibus & operibus ſeruilibus. Vnde non increpaſſent Apoſtolos, eo quod ſpicas vellerent, & manibus defricarent. Præterea id non contigit in vltimo die ſabbathi Tabernaculorum, eadem bis repetita ratione. Nam ea feſtiuitas in menſe Tiſri,ſiue Septembri obſeruabatur: in ea tamen regione tunc temporis non ſunt fruges, quanto minus ſegetes maturæ. Quare debemus neceſſariò aſſerere, illud factum fuiſſe in vltimo die ſabbathi Azymorum; cum nulla alia ſuperſit feſtiuitas, de qua intelligi poſſint illa verba: *In ſabbatho ſecundoprimo*. Et ita interpretantur Iſidorus apud S. Thomam Catena in Lucam cap. 6. Epiphanius hæreſi Ebionitarum 30. & Caietanus in Lucam. Si quis vero obijciat, rationem, qua probabamus, id non potuiſſe euenire tempore ſabbathi Sortium, hic currere. Quoniam ſicut in Adar, ſiue Februario non ſunt ſegetes, ſic neque in Niſan, ſiue Martio ſunt ſpicæ maturæ, vnde non potuiſſet addere Euangeliſta, Apoſtolos ſpicas tunc manibus perfricare. Tum quia, ſi decerpebant ſpicas, & manibus defricabant, fruges & ſegetes maturæ erant. Tum etiam, quia cum minimum ſit temporis interuallum inter feſtiuitatem Sortium, & ſabbathum Azymorum, non videtur maior ratio, qua moti dicamus, id eueniſſe in vltimo D die ſabbathi Azymorum, quam in vltimo die feſti Phurim, ſiue Sortium.

B (margin)

De vltimo die Azymorum ſunt intelligenda verba Euangeliſt. C (margin)

Obiectio.

Solutio.

Sed procul dubio aſſerendum eſt, Lucam intellexiſſe de ſabbatho ſecundoprimo feſtiuitatis Azymorum, quoniam, vt docet Theodoretus quæſtione 32. in Leuit. & Vatablus Exodi cap. 32. & Sanctes Pagninus in principio ſui Theſauri, in dictione אָבִיב Abab, quæ ſignificat ſpicam primam, in illa regione ſegetes, & ſpicæ in Martio maturæ ſunt. Vnde Ioſepus lib. 3. Antiquit. Iudai. cap. 13. narrat, ſecunda die ſabbathi Azymorum, primitias nouarum frugũ ſolitas Deo offerri. Immo Exodi, c. 13. Niſan nuncupatur menſis nouarũ frugũ, atq; ita apellabatur ab Hebræis menſis Niſan alio nomine הָאָבִיב Haabib,

id eſt,

A id eſt ſpicarum primarum, quaſi in eo menſe fuiſſent primæ maturæ ſpicæ. Faciteque pro hac re apertũ teſtimonium Deutero. cap. 16. vbi principio capitis dicitur: *Obſerua menſem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias Phaſe domino Deo tuo: quoniam in iſto menſe eduxit te dominus Deus tuus de Aegypto nocte.* At conſtat apertè ex cap. 12. Exodi, populum fuiſſe eductum de Ægypto nocte quadam in menſe primo Niſan. Ceſſant igitur inconuenientia poſita: quoniam inter ſollemnitatem ſortium, & feſtum Azymorum erat interſtitium vnius menſis: intercapedo autem vnius menſis multum iuuat pro matureſcendis ſpicis. Quãobrem optime conſonant verba Lucæ intellecta de vltimo die ſabbathi Azymorum, quaſi explicare voluerit Lucas, & docere particularim, media illa additione ſabbathi ſecundoprimi, quod alij Euangeliſtæ generatim per ſabbathum
B abſolute poſitum, intellexerunt.

POSTERIOR CONTROVERSIA SCHOLASTICA
Pro Eodem Primo Proponente, & in ordine prima.

Num Perſonæ Diuinæ in opinione S. Thomæ Diuinis relationibus, vt relationes ſunt, conſtituantur, & diſtinguantur.

SVMMA EIVS.

C *Aſſerendum eſſe perſonas diuinas non conſtitui per relationes ſub conceptu abſoluto; neq; per relationes, vt relationes ſunt ſpecificatiuè: ſed potius per illas, vt relationes ſunt reduplicatiuè, & intra latitudinem relationis diuinæ formaliter, oſtenditur. Nec non quid per proprietates, vt conſtitutiuæ ſunt, & vt relationes ſunt, credendum ſit S. Thomam intellexiſſe, declaratur.*

INTER plures, & maximas, quas habet diuina Theologia difficultates, difficilior nulla Doctoribus Scholaſticis viſa eſt, quàm ea, quæ Diuinarum Perſonarum conſtituentes formas rimatur: modumquè iuxta humani intellectus imbecillitatem, ac noſtræ mentis hæbetudinem inquirit. Sed quoniam pro ſui amplitudine, quæ non parua eſt, ſumma cum difficultate coniuncta, multas ſane chartas implere poſſet, nos hic ſementem veluti iaciemus, vnde alijs & eruditione, & doctrina inſtructioribus, meſſem forſan vberrimam colligere liceat. Verſabimurquè ſolum intra D campos & limites doctrinæ S. Thom. vt vi totius difficultatis inſiſtere poſſimus. Relinquemusq; plura alia, quæ vnicuiq; non erit admodum difficile inuenire. *Intentum Auctoris in hac controuerſia.*

Prius tamen, quàm Thomiſtarum placita adducamus, breui ſermone difficultatem ſententiæ S. Thomæ ob occulos ponendam operæpretium duximus, vt facilius poſtea de qualibet opinione iudicare valeamus. Namque poſtquam S. Thomas. 1. Part. quæſt. 40. art. 2. contra Bonauenturam aſſeruit Diuinas Perſonas conſtitui, & primò diſtingui, non per origines, ſed per relationes, art. 4. eiuſdem quæſtionis docuit relationem Patris, vel cuiuſcunque alterius Diuinæ Perſonæ poſſe dupliciter conſiderari. Et primò ſecundum quod eſt relatio: & ſecundò pro vt eſt conſtitutiua Perſonæ. Vnde Paternitas, inquit, cõſiderata, vt eſt relatio, præſupponit ſecundum intellectum actum notionalem *Summa totius difficultatis in via S. Thomæ.*

generationis, quia fundatur in illo: Paternitas vero conſiderata, vt conſtitutiua A eſt, potius antecedit actum notionalem generandi, quia agens præintelligitur actioni. Ex his ergo quæ S. Thom. poſuit, ſequitur vel S. Thomam ſenſiſſe Diuinas Perſonas conſtitui per aliquid abſolutum, vel ſecundo, Patrem intelligi prius conſtitutum, quàm intelligatur Filius. Vtrumque tamen alienum eſt & à veritate, & à doctrina S. Thomæ, vt in diſcurſu notum fiet. Ea uero ex dictis S. Thomæ infferri ita probo. Quoniam vel ipſe intelligit per Paternitatem, vt conſtitutiua eſt, rem aliquam ſecundum noſtrum modum intelligendi formaliter abſolutam; & ita ſequitur Perſonam Diuinam conſtitui per aliquid formaliter abſolutum: vel intelligit aliquid formaliter relatiuium; & tunc, cum aſſerat Paternitatem conſideratam, vt conſtitutiua eſt, antecedere generationem, per quam producitur Filius, neceſſario infertur, Patrem antecedere Filium: expreſe enim confitetur Sanctus Doctor in illo art. 4. generationem præcognoſci ante proprietatem conſtitutiuam Filij. Igitur, cum generatio B præſupponat Patrem tamquam Perſonam generantem, ſatis clare videtur colligi, nos prius intelligere Patrem conſtitutum, quàm Filium. Hæc eſt vis totius difficultatis in opinione S. Thomæ, quæ inter explicandas, & confutandas Thomiſtarum explicationes clariùs apparebit. Sunt ergo pro dilucidatione multa, & diuerſa diſcipulorum. S. Thomæ placita.

Variæ Thomiſtarum ſententiæ. Prima Caietani.

Primum eſt Caietani in Commentarijs ad art. 4. cit. quo loco vnam, & eamdem relationem docuit poſſe dupliciter accipi. Vno modo (inquit ille) accipitur prout cõcepta. Alio modo provt exercita. Et tunc quidẽ conſideratur relatio provt concepta, quando accipitur, & cõſideratur ratio ſiue quidditas relationis C ſecundũ ſe, ſine eo quòd exerceatur illius actus, ſiue ſine eo quod actualiter referatur vnum extremum ad aliud: tunc verò accipitur vt exercita; cum in exercitio vnum refertur ad aliud. Hac ergo ſuppoſita diſtinctione exiſtimat Caietanus dicta S. Thom. ſic eſſe intelligenda, quaſi per Paternitatem ſumptam tamquam formam conſtitutiuam ſignificauerit S. Thomas, ipſam Paternitatem, prout conceptam, ſiue in actu ſignato conſideratam: per eamdem verò vt relationem, Paternitatem intellexerit exercitam, ſeu poſitam in exercitio. Vnde (inquit Caietanus) ſecundum S. Thomam, Perſonæ conſtituuntur per relationes, vt conceptæ, ſiue vt formæ conſtitutiuæ ſunt, & in actu ſignato, non verò p relationes in actu exercito, & vt relationes ſunt. Ex quibus colligit, Paternitatem vno modo antecedere generationem, & alio modo ſubſequi. Antecere D quidem, prout eſt paternitas concepta atque proprietas conſtitutiua: ſequi tamen, prout relatiue eſt exercita ac in exercitio poſita. Eadem diſtinctione conciliat omnia S. Thomæ dicta, & ea mediante, putat ſe ſoluere omnia argumenta, quæ contra S. Thomam effici conſueuere.

Exploditur Caietani ſententia. Primo quia ſub obſcura Explicatio facilis actus cõcepti & actus exerciti.

Sed iſta Caietani ſententia in multis videtur deficere. Primò quia ſub obſcurè loquitur de re, quæ clarè explicari poſſet. Etenim fere in omni re conſidera re poſſumus in primis eſſentiam, & quidditatem eius: vt in potentia intellectiua, quòd ſit principium potens producere intellectionem: in virtute temperantiæ, quòd ſit habitus inclinans, vt quis temperatè ſe habeat circa delectabilia guſtus & tactus, & ſic de alijs. Rurſum ſecundo cõſiderare valemus perfectionẽ

quamdam

A quamdam accidentalem, quæ ſe habet veluti complementum eſſentiæ, ſicut in exemplis appoſitis: per hoc enim, quod intellectus actu intelligit, perfectionem quam adquirit, quia perficitur accidentaliter in exercitio ſui actus: et ſimiliter de virtute temperantiæ aſſerimus eam perfici, dum ad actum reducitur. Et hic tenet locum illud Ariſtotelis lib. 2. de Cœlo cap. 3. Vnum quodque eſt propter ſuam operationem, ideſt, vnumquodque tunc eſt completè perfectum, dum actu reducitur ad operationem, in quam vltimò ordinabatur. Sed in his omnibus certum eſt, quidditatem & rationem formalem integram ſaluari ante perfectionem illam accidentalem, quæ erat veluti complementum naturæ, ſicut ſaluatur quidditas intellectus ante intellectionem, & eſſentia temperantiæ ante actum tẽperatè comedendi. Non diſſimiliter etiã in relatione reali poſſumus in B primis conſiderare quidditatem, & rationem formalem illius, qualis eſt habitudo, & ordo realis inter extrema realia & realiter diſtincta: ita vt totum eſſe vnius relatiui ſit poſſe in potentia proxima ad aliud refferri. Deinde poſſumus conſiderare perfectionem quamdam accidentalem, quæ eſt veluti complementum relationis realis, ſcilicet actualis comparatio, qua vnum extremum ad aliud refertur. Et quidem ante actualem comparationem ſaluatur integra ratio relationis, quia nulla exiſtente tali cõparatione, & hominibus omnibus nequaquã intelligẽtibus, vere alij ſũt patres, & alij filij: & verè eſt entitas realis paternitatis in patre, & filiationis in filio. Hoc eſt ergo ꝙ ſignificat Caietanus ſua illa diſtinctione. Namq; cũ aſſerit poſſe cõſiderari relationẽ vt conceptam, ſignificat poſſe nos conſiderare quidditatẽ relationis perciſe: cũ verò docet poſſe cõſiderari ut C exercitã, innuit poſſe nos cognoſcere eſſentiã relationis cũ actuali cõparatione.

Quomodo intelligẽdũ illud vnumquodq; eſt ꝓpter ſuã operationem.

Hec omnia eò poſui vt uideamus, quam parum neceſſaria fuerit in hac difficultate Caietani diſtinctio. Iſto namque loco loquimur de principio intrinſeco conſtitutiuo Diuinarum Perſonarum ſecundum noſtrum modum intelligendi, loquimurque de relatione ſecundum ſuam rationem formalem & ſecundum ſuam eſſentiam præciſe. Inutile ergo erit recurrere ad relationem in actu exercito, ſiue ad illam cum actuali comparatione vnius extremi ad aliud. Sed hæc parum obfuiſſent, ſi tandem, quæ in ea ſententia dicuntur, vera fuiſſent, remanet enim integra vis difficultatis in doctrina S. Thomæ propoſitæ adhuc cum ea diſtinctione. Quod his conuinco rationibus.

Diſtinctio Caietani de acta concepto & exercito non eſt propoſito neceſſaria.

Prima, loquendo de relatione, ut concepta & in actu ſignato, vel intelligit D Caietanus in ea ſaluari eſſentiam relationis; vel non. Si primum, cum relatiua ſint ſimul natura, & cognitione, ſequitur Patrem, & Filium in diuinis eſſe ſimul natura, & cognitione: at vero ex ſententia S. Thomæ (adhuc expoſita iuxta explicationem Caietani) ſequitur prius nos cognoſcere Patrem conſtitutum, quam cognoſcamus Filiũ. Igitur ea ſententia ſic expoſita ſtare non poteſt. Probatur minor, nam relatio Paternitatis concepta prior eſt ipſa generatione tam paſſiue, quam actiue accepta, vt docet S. Thomas, & per eumdẽ S. Thomã prior eſt generatio quæcunq; quàm Filius, cum per generationem intelligamus produci Filium. Ergo prius ſecundũ noſtrum modum intelligendi eſt Pater Paternitate conſtitutus, quàm ſit Filius, & tunc concedendũ erit, relatiua non eſſe ſimul natura & cognitione, ꝙ non ſolũ eſt contra Ariſtotelẽ cap. de ad aliquid, in

Non ſoluit Caietanus difficultatem. probatur prima ratione.

in Categorijs, ſed & contra omnes Theologos, adhuc & contra S. Thomam A expreſse, I. Part. quæſt. 42. art. 3. prȩſertim ad ſecundum; ſemper enim quod accipitur Pater in eſſe concepto, ſeu in actu ſignato, neceſſe eſt apprehendi Filiũ in eſſe etiam concepto, & in actu ſignato: niſi forſan quis (vt in ſecundo membro diſiunctiuæ dicebamus) aſſerat, Patrem in eſſe concepto non concipi conceptu relatiuo. quod dici non poteſt. Tum quia conſiderare rem in actu ſignato & concepto, & in actu exercito non variat quidditatem illius; ſemper enim remanet in vtroque quidditas, & eſſentia relationis. Tum etiam quia iam Caietanus concederet, Diuinas Perſonas per proprietates relatiuas ſub cõceptu abſoluto conſtitui: quod re vera non concedit, immo contra Capreolum probat id eſſe falſum. Manet igitur integra tota vis difficultatis.

Probatur Secunda ratione

Secunda ratio eſt: De conſtitutione Diuinarum Perſonarum nos loquimur B ſecundum noſtrum modum intelligendi: niſi enim ſecundum noſtrum modum cognoſcendi conſtituens & conſtitutum vt diſtincta apprehenderentur, nullo modo Diuinarum Perſonarum conſtitutio ſaluaretur: nam vbi nulla eſt diſtinctio, nulla eſſe poteſt conſtitutio. Cum igitur abſolute propter eminentiam, & Diuinæ naturæ infinitatem ſit verum, diſtinctionem rationis ratiocinatæ inter diuina prædicata inueniri, abſolute erit verum Diuinas Perſonas per relationes conſtitui. Sed ſecundum noſtrum modum intelligendi non poteſt eſſe relatio concepta, neque quidditas relationis ſine fundamento. Igitur relatio diuina etiam a nobis cognita, pro vt concepta præſupponit fundamentum: fundamentum vero diuinarum relationum aliud eſſe non poteſt, niſi actus notionalis generandi, ſiue ſpirandi. Igitur paternitas concepta præſuppo C nit generationem. quod eſt contra S. Thomam.

Obijcit Ferrarienſ. contra Caietan. quædam quæ non concludunt. Obiectio prima.

Contra eamdem Caietani explicationem tria obijcit Ferrarienſis lib. 4. Contra Gentes, cap. 26. quæ re vera contra Caietanum nihil probant. Cum enim. I. ita obijcit: Quod conuenit alicui ſecundum ſuam rationem formalem, conuenit illi inquantum tale. Ergo ſi relationi ſecundum propriam rationem formalem ipſius conuenit, quod ſit relatio concepta, conueniet etiam illi inquantum relatio eſt. Sed conſtituere Perſonas Diuinas conuenit in eſſe concepto ſecundum propriam, & formalem rationem relationis. Ergo conſtituere Perſonas Diuinas conuenit relationi inquantum relatio eſt, quod apertè negat. S. Thomas. Hæc ratio (vt ipſemet Ferrarienſis inſpexit) non concludit: nam relatio concepta (vt pro Caietano loquamur) includit naturam & quidditatem rela- D tionis, & vt ſic conſtituit: at vero non conſtituit inquantum exercet actum relationis, & hoc ſignificat S. Thomas, cum inquit, proprietatem non conſtituere Perſonã Diuinam, vt relatio eſt. Et cum rurſum obijcit contra hanc ſolutionem. Quoniam ſecundum Philoſophos & S. Thomam, cum vulgò aſſeritur aliquid non conuenire huic rei inquantum talis eſt, intelligitur non conuenire illi ſecundum ſuam rationem formalem. Ergo cum dicitur, paternitati vt relatio eſt, non conuenit conſtituere Patrem, intelligitur non conuenire ſecundum rationem formalem relationis.

Solutio obiectionis.

Reſpondetur, quod cum eadem ratio formalis diuerſo modo conſideratur, particula, *inquantum*, poteſt variare diuerſam conſiderationem, non variata ratione formali. Cum ergo eademmet formalis ratio

&

A & natura relationis poſſit primo conſiderari in actu concepto, & ſecundo in actu exercito, particula *in quantum*, variare poterit diuerſum relationis actum ſiue conceptum, ſiue exercitum, non variata ipſa ratione formali relationis. *Obiectio ſecunda.*

Secundò obijcit, quia cum aliqua cauſa cauſat ſecundum aliquam rationẽ, tunc exercetur actus illius rationis; exercere enim actum alicuius rationis eſt ipſam ad operationem applicare. Ergo ſi relatio formaliter, in quantum relatio conſtituit, actum exercet relationis. Et confirmat hanc rationem, quia nulla res ſub vna ratione determinata exercet actum formalem alterius rationis; nõ enim Diuina eſſentia ſub ratione ſapientiæ intelligitur reddere Deum formaliter iuſtum, ſed ſapientem. Ergo paternitas ſub expreſſa ratione paternitatis nõ exercet actum proprietatis conſtitutiuæ, ſi per proprietatem conſtitutiuam intelligitur

B alia, & diuerſa ratio a ratione relationis, vt relatio eſt. Reſpondetur quod in multis cauſis formalibus inueniemus duplicem actum, primum, & ſecundum: ſicut in anima, teſte Philoſopho lib. 2. de Anima cap. 1. inuenitur, quod ſit actus primus, & forma corporis, & inuenitur etiam actus ſecundus, qui eſt operatio. Et quidem prius intelligitur exerceri primus actus, quàm ſecundus: ſicut anima prius natura informat, quàm operationem exerceat. Et vt in accidentalibus loquamur paternitas in homine habet duplicem actum, primarium conſtituere hominem patrem, & ſecundarium actu refferre patrem conſtitutum ad filium. Per paternitatem conceptam tamquam per id, quod cõſtituit formaliter patrem, exercetur primus actus paternitatis. Per actualem vero cõparationem patris ad filiũ, exercetur actus ſecundus. Sed hic oportet aduerte- *Solutio obiectionis ſecundæ.* *Quando exercetur actus primus, & quando ſecundus.*

C re, quod cum ſimpliciter, & ſine addito concedimus exercitium alicuius rei, de exercitio actus ſecundi, & operationis intelligimus, ſicut & omnes philoſophi intelligunt. Vnde quoties Caietanus actum exercitum condiſtinguit contra actum conceptum, de exercitio actus ſecundi aperte loquitur, & de actuali cõparatione vnius relatiui ad alterum. Ad obiectionem igitur reſpondeo, quod cum aliqua cauſa formalis (iſta enim eſt, de qua difficultas videtur procedere) cauſat ſecundum propriam rationem cauſæ formalis, tunc exercetur actus primarius: qualis eſt rem conſtituere in tali vel tali ſpecie, quemadmodum anima quæ cauſat animatum, conſtituendo ipſum in eſſe animati exercet rationem cauſæ formalis, & paternitas conſtituendo patrem in eſſe patris exercet rationẽ formæ conſtitutiuæ conſtituentis intrinſice patrem, vt ſic. Sed hoc modo lo-

D quendo de exercitio primarij actus, qualis attenditur in conſtitutione formali alicuius, falſa eſt illa propoſitio, quæ ſubditur a Ferrarienſi, quod exercere actũ alicuius rationis eſt ipſam ad operationem applicare, non enim anima prout cõſtituit animatum, & prout informat illud, ad operationem applicatur: neque paternitas in quantum conſtituit patrem in eſſe patris, ad operationem applicatur, neque calor prout conſtituit calidum, & ſic de alijs. Vnde quando in conſequenti infertur. Ergo ſi formaliter relatio in quantum relatio conſtituit, actum exercet relationis, recte concluditur de exercitio primarij actus, nam relatio formaliter conſtituit relatiuum, & dat eſſe ad aliud, ita vt ſit relatiuum conſtitutum, & potens potentia proxima ad aliud actualiter comparari, & refferri. Si tamen intelligantur propoſitiones a Ferrarienſi poſitæ pro antecedenti *Exercitium ſine actus exercitus vt in plurimum ſumitur reſpectu actus ſecundi.*

& con-

& conſequenti de exercitio abſolute, & reſpectu actus ſecundarij ſunt falſæ. A Nam primò illud antecedens, Cum aliqua cauſa cauſat ſecūdum aliquam rationem, tunc exercetur actus illius rationis, eſt falſa, vt videre eſt in omnibus formis, quæ conſtituunt ſpecies ſiue ſubſtantiales, ſiue accidentales; cum prius natura aliquid conſtituatur in ſpecie, quàm operetur. Et ſine dubio in hoc ſenſu poſita eſt a Ferrarienſi illa propoſitio, vt conſtat ex eo, quod in eius probationē ſubiunxit: Quia (inquit) exercere actum alicuius rationis eſt ipſam ad operationem applicare. quæ propoſitio ſolum eſt vera de exercitio actus ſecundi. Deniq; id quod infertur: Ergo ſi relatio formaliter, inquantum relatio, conſtituit actum exercet relationis, aperte friuolum eſt; cum conſtitutionem relatiui vt ſic, aſſerat eſſe exercitium ſeu actualem comparationem. Sicut ſi quis aſſereret animam informare, & conſtituere animatum eſſe exercitium operationum animati, & B animæ. Ad confirmationē autē dicitur ſupponere vnū falſum: non enim concedit Caietanus, relationem conceptam, & relationem exercitam eſſe duas rationes formales diuerſas, ſed duas conſiderationes eiuſdem rationis formalis. Eadē namq; ratio formalis relationis poteſt conſiderari preciſe vt conſtituens eſt relatium, atque vt dicit nudam eſſentiam: & ſic dicitur relatio prout concepta ſeu in actu ſignato: & rurſum poteſt conſiderari eadem relatio prout eſt id, quo mediante, relatiuum actualiter ad ſuum correlatiuum comparatur, & refertur: & ita vocatur relatio in actu exercito. Quapropter eadem ratio formalis relationis, quæ prius prout concepta conſtituit, poſt per actualem comparationem exercetur.

Non eſt duplex ratio formalis apud Caietanum relatio vt concepta, & relatio vt exercita.

Obiectio Vltima.

Tandem obijcit, quia nihil eſt aliud formam exercere actum proprium circa C aliquod, quàm dare illi ſuum effectum formalem, ſicut albedinem exercere proprium actū circa parietem nihil eſt aliud quàm facere parietem formaliter albū: ſed effectus formalis relationis, inquantum relatio, eſt conſtituere formaliter aliquid in eſſe relatiuo. Ergo relatio, quæ conſtituit patrem, exercet actum ſuum conſtituendo ipſum: non ergo dici poteſt, quod relatio prout exercita non cō ſtituit patrem, ſicut neque dici poteſt, quod albedo non conſtituit album in eſſe qualitatis exercitæ. Hæc obiectio facile ex dictis diluitur; poteſt enim albedo dupliciter conſiderari. Primo, prout eſt forma, & ratio conſtituens ſubiectum diſgregatiuū viſus preciſè. Secundo poteſt conſiderari prout eſt forma & ratio, qua ſubiectum iam conſtitutum in eſſe diſgregatiuo viſus, actualiter diſgregat viſum. Et quidem albedo prout concepta ſecundum ſuam eſſentiam, & prout D eſt diſgregatiua viſus conſtituit album: At eadem albedo prout eſt ratio actualiter diſgregandi viſum non conſtituit album, ſed præſupponit ſe ipſam vt conſtituentem album. Eodem omnino modo relatio, prout eſt forma & ratio habitualiter referendi, & comparandi, conſtituit relatiuum: at verò prout eſt ratio, qua mediante vnum relatiuum ad aliud refertur & comparatur, non conſtituit relatiuum, ſed præſupponit ſe ipſam vt conſtituentem relatiuum. Et ad formā argumenti, cum in maiori dicitur, quod nihil eſt aliud, formam exercere actū proprium circa aliquod, quàm dare illi ſuum effectum formalem, aperte eſt falſa de exercitio operationis, & actus ſecundi, ut conſtat in ſuo exemplo. Nam candorem exercere actum diſgregandi viſum in pariete, non eſt dare illi eſſe cādidum:

Solutio.

A didum: ſed potius præſupponitur paries factus candidus,& poſtea diſgregat viſum. Si verò loquatur de actu primario, eſt vera: quoniam candor, qui antequam inhæreat parieti eſt potens dare illi virtutem diſgregandi viſum, cum inhæret parieti reducit illam potentiam ad actum, & eam exercet dando illi eſſe cãdidum. Et cum in minori dicitur, quod effectus formalis relationis, inquantũ relatio,eſt conſtituere aliquid formaliter in eſſe relatiuo, ſi illa particula, *Inquantum relatio*, ſumatur ad ſenſum S. Thomæ. iuxta interpretationẽ Caietani, falſa eſt minor;quoniã per relationem,inquatũ relatio, intelligit Caietanus relationẽ in actu exercito,ſeu relationem actualiter comparantẽ vnum relatiuũ ad aliud: & in eo ſenſu non eſt effectus formalis relationis,vt relatio eſt, cõſtituere relatiuum: ſed potius, quod vnũ relatiuum actualiter cõparetur & referatur ad aliud.

B Si vero illa particula, *Inquantum relatio*,reduplicet quidditatẽ & eſſentiã relationis ſic eſt vera illa minor: & tunc rectè infertur,quod relatio quę conſtituit perſonã exercet actũ ſuum primariũ conſtituendo ipſam:non tamen ſequitur de relatione exercita ad ſenſum Caietani. Et hæc ſufficiãt pro ſoluẽdis obiectionibus Ferrarienſis contra Caietanũ. In quibus aliquantulũ immorari libuit,nõ quia Caietani opinionem (vt vidimus) veram exiſtimemus: ſed quia præfatis rationibus multi viri docti conuinci fateantur. Sed vtinam Caietani ſententia nullũ aliud pateretur incommodum præter ea, quæ prætacta ſunt a Ferrarienſi, procul dubio facillime in ſententiam Caietani iremus: ſed cum reſtent adhuc illa inconuenientia, quæ initio tetigimus, vltra procedamus oportet. *Solutę ſunt rationes Ferrarienſis quia eis multi viri docti conuincuntur.*

Secunda itaq; ſententia eſt Capreoli in I. diſt. 26. q. vnica,& Marſilij quæſt. C 30. eiuſdem libri, art. 4. concl. I. quos ſequitur Ferrarienſis lib. 4. contra Gent. cap. 26. in quo capite quamuis abſolute concedat, Diuinas Perſonas conſtitui per relationes: non tamen concedit cum reduplicatione conſtitui per illas, vt relationes ſunt: ſed potius inquantum ſunt formæ incommunicabiles. Quoniã Paternitas(inquit) Diuina,cum ſit extra omne genus, continet eminenter perfectiones omnium generum, poteſtq; tamquam forma illimitata concipi,& conceptu abſoluto ſubſiſtentis ac formæ incommunicabilis, & conceptu relatiuo diſtinguentis vnum correlatiuum ab alio. Cum ergo Diuina Paternitas ſub diuerſis conceptibus apprehendi a nobis poſſit, non erit incõueniens aſſerere ſub vno conceptu aliquid conſtituere,quod non ſub alio. Et hinc eſt,quod ſecundũ noſtrũ modum intelligendi prius intelligitur ſuppoſitum conſtitutũ in eſſe ſub D ſiſtentis,quàm intelligatur generare: poſtea vero ſecundò intelligitur illud ſuppoſitum ſubſiſtens generare filium:& tandem tertiò poſt generationẽ intelligitur paternitas prout eſt relatio. Quoniã relatio paternitatis in nobis conſequitur actum generationis. Sed in illo priori,quando cognoſcitur a nobis perſona conſtituta,non concipitur tamquam aliquid relatiuũ:quia tunc nondũ intelligitur correlatiuũ, ſed potius ſub conceptu abſoluto;ſcilicet,vt ſubſiſtentia & ſuppoſitũ per ſe ſubſiſtens,indiuiſum in ſe,& incõmunicabile,ac potens generare. Quæ omnia de ſe nullam relationẽ important,ſed ſunt abſoluta:intelligiturque tunc perſona Patris ſub illo conceptu abſoluto tunc conſtituta a Paternitate non,vt relatio eſt, ſed ſub conceptu abſoluto, vt eſt forma incommunicabilis. Vnde Paternitas ſub conceptu abſoluto conſiderata conſtituit Patrem, etiam *Secunda ſententia Capreoli, Marſilij & Ferrarienſis.* *In hac opinione paternitas ſub conceptu abſoluto forma incommunicabilis conſtituit.*

C ſub

ſub conceptu abſoluto intellectum: quamuis non diſtinguat illum a filio. At A vero accepta ſub conceptu relatiuo, & inquantum relatio nō conſtituit patrem in eſſe hypoſtatico, ſed eum conſtitutum diſtinguit relatiue a filio. Interpretatur ergo Ferrarienſis S. Thomā, quaſi ſignificauerit paternitatē dupliciter poſſe conſiderari. Vno modo, vt conſtitutiua eſt, vt forma in communicabilis, & ſub conceptu abſoluto: atque ita intelligitur conſtituere patrem in eſſe hypoſtatico. Alio modo, vt relatio eſt, hoc eſt, ſub conceptu relatiuo: & ita diſtinguit illum relatiue a filio. Quod ſi eum interroges, quare pater in illo priori ante generationem cognitus ſub conceptu abſoluto non conſtituitur per originē, cum origo ſit forma perſe ſubſiſtens & incommunicabilis, vel per aliquid aliud? Reſpondet, quoniam intrinſecum conſtitutiuum perſonæ debet eſſe quid intrinſecum, & incommunicabile: at origo licet ſit incommunicabilis non ſi- B gnificatur, neque apprehenditur tamquam forma intrinſeca: ſed per modum viæ & tendentiæ: reliqua vero alia præter origines, vt ſapientia, bonitas &c. quamuis ſint per ſe ſubſiſtentia: non tamen ſunt incommuuicabilia. Reliquum ergo erit concedere abſolute, perſonas diuinas conſtitui per relationes tamquā per intrinſecas formas per ſe ſubſiſtentes, & incommunicabiles: quamuis non cum reduplicatione per relationes, inquantum relationes ſunt.

Hæc ſententia eſt contra S. Thom. Quæ quidem opinio in primis eſt contra S. Thomam quoniam ipſe prima Part. quæſt. 40. art. 2. in fine corporis aperte docet, relationem eſſe id quod conſtituit, & diſtinguit: Ferrarienſis vero, licet fateatur, relationem diſtinguere: non tamen conſtituere. Quod ſi quis reſpondeat, prædictum auctorem etiam concedere relationem conſtituere abſolute, ſed non ſub conceptu relationis: Redarguit ſcite Caietanus, hanc ſolutionem. Nam inquit, art. 2. S. Thomas tribuit relationi actum conſtituendi perſonam, prout relatio diſtinguitur contra C eſſentiam & originem: ſed non diſtinguitur contra eſſentiam, & originem, niſi prout relatio eſt. Ergo relationi, vt relatio eſt, cōuenit cōſtituere & diſtinguere. Atq; ita art. 3. eiuſdem q. 40. ad ſecundū docuit S. Thomas, quod pater paternitatē non ſolum eſt pater, ſed quis & hypoſtaſis. Cum ergo paternitate, vt dicit rationem formalem relationis, conſtituatur pater, eadem, vt dicit quidditatem relationis, conſtituetur quis & hypoſtaſis. Ergo nō paternitate, prout eſt forma ſub cōceptu abſoluto conſtituitur hypoſtaſis diuina, vt concedit Ferrariens.

Incidere videtur Ferrariēs. ſententia in dogma corū, qui ponūt perſonas conſtitui per abſoluta. Prætcrea ſecundò ſententia prædicta videtur conformis placito Ioānis de Ripa in I. diſt. 25. & 26. & aliorum, qui concedebant, diuinas perſonas conſtitui D per principia abſoluta, quod à Theologis, ſaltem tamquam errori proximum damnatum eſt, pro quo videatur Magiſter. in I. ſent. diſt. 26. 27. & 33. quibus in locis plura adducit Sanctorum Patrum teſtimonia; quibus illud facilè confutare quis poterit. Snntque plura alia Conciliorum verba, quæ latè ponit Epiſcopus Canarienſ. in Commentarijs ad art. 2. quæſt. 40. cit. quibus ſuperſedeo; nobis enim ſufficiat id, quod in commune prouerbium inter Theologos verſum eſt; *In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*, vt illud dogma reijciamus. Sententiam verò Ferrarienſis ei dogmati conformem ſic oſtendo. Nā iſte auctor fatetur, perſonā cōſtitui in eſſe hypoſtatico & ſubſiſtenti p formā incōmunicabilē, quæ dicit cōceptū abſolutū. Ergo ſimpliciter p aliquid abſolutū

conſtitui-

A constituitur. Dices, non debere absolute concedi constitutionem fieri per absolutum: sed per relationem sub conceptu absoluto; quia realiter relatio est, quæ constituit. Contra. In Deo omnia identificantur realiter, solũ inter diuina prædicata distinctionem rationis ratiocinatæ fatemur, ratione cuius aliquas propositiones concedimus & alias negamus. Concedimus etenim, Patrem Paternitate constitui: negamus verò eumdem sapientia constitui, non quia sapientia realiter differat a paternitate; sed quia ratione. Cum ergo paternitas & forma incõmunicabilis ratione distinguantur, & paternitatis nos habeamus conceptũ relatiuum, formæ incommunicabilis (vt Ferrariensis inquit) conceptum absolutum, simpliciter dicendũ erit constitui per absolutum, cum per formam incommunicabilem constituatur. Neque sufficiet identitas realis relationis, & formæ

B incommunicabilis, vt asseramus per relationem personam constitui. Sicut neq; sufficit identitas realis sapientiæ, & paternitatis; vt concedamus Patrem per sapientiam, aut iustitiam constitui, immo auctores, qui ponebant Personas Diuinas per absoluta constitui, & distingui, illa constitutiua absoluta identificata realiter essentiæ, & relationibus arbitrabantur. Non ergo sufficit asserere, rem, quæ est relatio, Personas constituere, vt simpliciter negemus, constitutiuum Diuinarum Personarum esse absolutum: sed opus est negare aliquid sub conceptu absoluto constituere.

Tertio. Est etiam aperte ista sententia contra rationem. Nam omne absolutũ in Deo est communicabile. Ergo quidquid concipitur a nobis sub conceptu absoluto, concipi debet tamquam cõmunicabile. Ergo est implicatio in adiecto *Est etiam contra rationem sententia Ferrariens.*

C dicere, formam in diuinis concipi sub conceptu absoluto, tamquam incommunicabilem. Et confirmatur quia incommunicabilitas in diuinis prouenire debet ab aliquo, quod sit proprium rei constitutæ: sed in diuinis præcisa per intellectum relatione sub conceptu relationis, nihil est proprium. Ergo nihil incõmunicabile. Igitur ante considerationem relationis non potest cognosci aliquod constitutiuũ intrinsecum Personæ Diuinæ, quod si daretur illud, deberet etiam esse distinctiuũ; cum omne, quod constituit intrinsice, eo ipso debeat constituere diuersũ a quolibet alio. Hæc sunt, quę sententiã positam videntur destruere. Rationem aliã contra eamdem sententiã aliqui magni faciunt, quæ talis est. Quoniam iuxta Ferrariensis sententiam Persona Patris præintelligitur generationi, inquantum subsistens, quia actiones sunt subsistentium, tunc inqui-

D ri potest. Vel illud subsistens præintelligitur tamquam commune, vel tamquam hoc & singulare. Non tamquam commune: quia nihil commune intelligitur agere seu generare: sed hoc, vel illud. Ergo præcognoscitur tamquam singulare subsistens potens generare. Sed de ratione huius, inquantum est hoc & singulare, est quod sit distinctum in se, & distinctum a quolibet alio. Ergo antequam cognoscatur relatio, hypostasis diuina est constituta in esse hypostatico, & distincta a qualibet alia persona. Probatur consequentia: quia de ratione illius subsistentis præcogniti debet esse distinctum in se, & distinctum a quolibet alio: cum debeat esse singulare. Sed hæc ratio non conuincit. Nam cum inquiritur, an illud subsistens præintelligatur, tamquam commune, vel tamquam hoc, & singulare, dici potest, taliter nos considerare in illo priori rem

Argumẽt. & alij cõtra Ferrar. Sed non cõcludit eorũ ratio.

C 2 illam

illam ſubſiſtentem, vt præſcindamus a communi, & ſingulari. Quia etiam ſi A eſſe non poſſit, quin ſit communis vel ſingularis: poteſt tamen intellectus tunc ſolum rationem ſubſiſtentis conſiderare, non conſiderando, an ſit illud ſubſiſtens commune vel ſingulare. Quemadmodum in Deo prius nos cognoſcimus rationem entis per ſe exiſtentis, quàm cognoſcamus, an ſit ens commune, vel particulare. Et cum dicitur cognoſcitur tamquam ſubſiſtens potens generare: Ergo debet cognoſci, tamquam hoc ſubſiſtens: quoniam actio, & generatio eſſe non poteſt, niſi huius ſubſiſtentis? Reſpondetur, quod etiam ſi actio a parte rei prouenire non poſſit, niſi ab hoc ſubſiſtenti ſingulari: tamen poteſt cognoſci actio alicuius ſubſiſtentis, præſcindendo a ſingularitate. Quoniam, vt aliquid agat, & operetur, non requiritur tamquam ratio agendi ſingularitas: ſed vt conditio, ſine qua a parte rei non operaretur. Et ideo præciſè conſiderare poſſumus aliquid agere, non conſiderando, an ſit ſingulare. B

Poſſumus cognoſcere agẽs agere præſcindendo a ſingularitate.

Tertia ſententia Epiſcopi Canarien. & Iuniorum.

Tertia ſententia eſt quorumdam Iuniorum, quam & tribuunt Bartholomæo a Torres Epiſcopo Canarienſi in Cõmentarijs ad art. 4. illius quæſtion. 40. §. 3. tenentium, paternitatem ſub conceptu relatiuo conſtituere perſonam patris in eſſe hypoſtatico, & diſtinguere illam a filio, ſed diuerſo modo. Nam quamuis paternitas, inquantum relatio reduplicatiuè diſtinguat patrem a filio: non tamen reduplicatiue, inquantum relatio conſtituit, ſed inquantum relatio, ſumendo dictionem, *inquantum*, ſpecificatiue. Iſtam opinionem vt explicent.

Primo animaduertunt.

Primo animaduertunt, quod etiam ſi relatio in tota ſua generalitate ſumpta dicat præciſè eſſe Ad abſtrahens a reali & rationis: tamen prædicamentalis ac realis relatio, cum intrinſice ſit accidens, non ſolum includit eſſe, Ad: ſed etiam C includit intrinſicè In: ita vt eſſe Ad, conſtituens prædicamentum relationis, tãquàm modus quidam intrinſecus includat eſſe In; quoniam modus intrinſecus apud Logicos in eo diſtinguitur a differentijs, quod differentia dicit diſtinctũ gradum formalem a gradu generis, & contrahibilis, & ita ex vtroque reſultat quid compoſitum, & non ſimplex; nempè ſpecies. At vero modus intrinſecus non dicit diſtinctum gradum formalem a modificato per ipſum: ſed potius intrinſice includit illud, quod modificat, ſicut per ſe, cum conſtituit ſubſtantiã, intrinſice includit ens, quod modificat. Et Ad, cum conſtituit prædicamentum relationis, intrinſice includit eſſe In, quod modificat. Et inde efficitur, vt genera generaliſſiam dicantur conceptus ſimplices, cum non componantur ex diuerſis gradibus. Relatio ergo realis includit intrinſice, & eſſentialiter adhuc ex D parte modi intrinſeci conſtituentis ipſam, eſſe, In, ſiue eſſe formam inhærentẽ. Proportionabiliter (inquiunt) loqui debemus de relatione diuina, ſubſtituendo loco illius eſſe In, reperti in relatione creata, & accidentali, per ſe exiſtere, ſiue ſubſiſtere, ita vt quemadmodũ paternitas in creaturis dicitur forma intrinſeca inhærens ac, referens ſubiectũ, cui inhæret, ad aliud: ſic paternitas in Deo ſit forma quædam per ſe exiſtens, referens rem, quã conſtituit ad filiũ. Vnde ſicut integra ratio relationis realis creatæ non eſt Ad preciſe, cum illud abſtrahat a relatione reali, & rationis, ſed Ad includens intrinſice In: ita integra ratio paternitatis increatæ non ſolum eſt Ad, ſed Ad per ſe ſubſiſtens, quaſi includatur intrinſice ſubſiſtentia in illo Ad.

Quæ ſit ratio cõſtituens prædicamentum relationis.

Secundo

Secundo animaduertunt.

A Secundo animaduertunt, quod in integra, & adæquata ratione relationis, ſiue loquendo in Diuinis, ſiue in rebus creatis, quidquid includitur reſpectiuũ eſt: nam etiam ſi eſſe In, ſiue quod illi correſpondet, pręcisè conſideratum abſtrahat a reſpectiuo, & abſoluto, tamen eſſe In, in relatione creata, ſiue per ſe ſubſiſtere in relatione diuina reſpectiuum eſt. Quamobrem poſſumus nos conſiderare adhuc intra ambitum relationis paternitatem, quantum ad eſſe Ad, & ſecundo paternitatem, quantum ad eſſe In. Sed in hac diuerſa conſideratione paternitatis hæc eſt differentia, quod conſideratio paternitatis, quantum ad eſſe Ad aliud, eſt conſideratio rationis propriæ & vltimæ ipſius relationis; atq; ita eſt conſideratio paternitatis, inquantum relatio eſt, reduplicatiuè. At verò conſideratio paternitatis prout dicit eſſe In, non eſt conſideratio paternitatis
B prout relatio eſt, reduplicatiue; cum non ſit vltima ratio ipſius: benè tamen eſt conſideratio eiuſdẽ, vt relatio eſt, ſpecificatiue. Quia denotatur, & ſpecificatur aliquid relatiuũ, quod includitur intrinſicè in ratione formali relationis realis.

In relatione eſſe, in, anſit reſpectiuum.

Quibus prænotatis docent primo, quod cum S. Thomas aſſeruit, paternitatẽ poſſe conſiderari dupliciter. Vno modo, vt forma conſtitutiua eſt, alio modo, vt relatio eſt, ſignificare voluit, paternitatem, ſiue diuinam aliam quamcunq; conſtituentem relationem poſſe primò conſiderari, quantum ad eſſe In (intelligo ſemper per eſſe In, quod illi ſecundum proportionalitatem correſpondet, ne toties ea repetam). Et ita appellat paternitatem, formam conſtitutiuam. Secundò poſſe intelligi quantum ad eſſe Ad. Et ita vocat illam relationem. Hincque Theologi communiter docent, paternitatem diuinam conſtituere patrem, &
C diſtinguere a filio, ſed cõſtituere prout dicit eſſe In, diſtinguere prout dicit eſſe, Ad. Quare ſicut in rebus creatis relatio ſecundum eſſe, In, eſt forma ſubiecto inhærens, & ipſum conſtituens in eſſe accidentali, & eadem relatio ſecundum eſſe, Ad, habet ad aliud tendere: ita etiam in Diuinis ſecundum eſſe, In, relatio habet, quod ſit forma, dans eſſe ſuppoſito, & ſecundum vltimam rationem, quæ eſt eſſe, Ad, habet ſuppoſitum ad aliud refferre. Solum eſt differentia quod in diuinis hæc omnia tantum ratione diſtinguntur. Colligunt igitur ex hoc, S. Thomam in vtroque membro illius diuiſionis loqui reduplicatiue, atque ita illa propoſitio, Paternitas, prout eſt forma, ſiue vt dicit eſſe, In, conſtituit, reduplicatiuè eſt vera: quia reduplicat propriam rationem conſtituendi diuinam perſonam, ſimiliter & illa, Paternitas, inquantum relatio diſtinguit, reduplicat propriam & adæquatam rationem diſtinguendi.
D

Explicant diuiſionem S. Thom.

Loquntur in diuinis de relatione in creata, ſicut in creaturis de relatione prædicamentali.

Dicunt ſecundo, iſtam propoſitionem eſſe veram, Paternitas, inquantum relatio, conſtituit, ſi ſumatur ſpecificatiue: non verò, ſi reduplicatiue. Quoniam ſi denotetur id, quod intrinſicè includitur in paternitate, videlicet eſſe, In, & ſpecificetur per dictionem: *Inquantum*, verum eſt ita aſſerere: ſecus ſi quantum ad vltimam rationem paternitatis intelligatur, quaſi ſupra illam, vt dicit, Ad, ſit reduplicatio.

Aſſerunt ſecundò relationem vt relatio eſt ſpecificatiuè conſtituere

Et ſi obijcias contra iſtam ſententiam: Quoniam eſſe, In, quod eſt in paternitate, preciſe & ante generationem conſideratum, neque eſt relatiuum, neque abſolutum, ſicut homo, inquantum pręciſe eſt animal, neque eſt rationalis neque irrationalis. Ergo id, quod conſtituit perſonam diuinam, neque eſt relatiuum,

Concedunt relationem conſtituere in diuinis ſub conceptu abſtrahente ab abſo

luto & relatiuo. tiuum, neque abſolutum, ſed abſtrahens ab utroque. Libenter concedunt con A ſequentiam cum Herbeo, Quolibet. 10. quæſt. 4. ad quartum. Satis eſt, inquiunt, verificetur iſta propoſitio ſpecificatiue, Paternitas, inquantum relatio, conſtituit, vt abſolute concedamus adhuc ſecundum noſtrum modum intelligendi perſonam patris per relationem, vt relatio eſt, conſtitui.

Denique, ſi perconteris, quomodo ſtare poſſit, paternitatem ſecundum eſſe, In, præintelligi generationi, & ſecundum eſſe, Ad, conſequi ad ipſam? videtur namque inintelligibile, paternitatem ſecundum eſſe, In, prius conſtituere patrem generantem, quàm ſit paternitas, prout dicit, Ad? Reſpondent, quòd cũ a parte rei nulla ſit differentia inter ea omnia, quæ in paternitate conſiderantur, abſolutè non debet concedi, paternitatem ſecundum eſſe, In, prius reperiri in patre generante, quàm ſit in ipſo paternitas ſecundum eſſe, Ad. Nam ſolum ſe- B cundum noſtrum modũ intelligendi cõſideramus in eadem re aliquid prius, & aliquid conſideramus poſterius; quemadmodũ eadem res eſt calefactio & calor: tamen prius cõſideratur in eſſe calefactionis procedentis ab agente, quàm in eſſe caloris inhærentis ſubiecto: & homo, prout eſt animal, prius ſe ipſo conſideratur, prout eſt homo. Sic ergò paternitas, prout dicit eſſe, In, prior ſe ipſa conſideratur, prout dicit, Ad.

Tertia ſententia non videtur differre à ſecunda, quãuis melius loquatur. Verumtamen quamuis hæc ſententia magis accedat ad veritatem, loquaturque melius, quàm procedens, non videtur multum differre a præcedenti. Quoniam ſicut præcedens ſententia negat, paternitatem ſub conceptu proprio & adæquato relationis conſtituere perſonam, ita & iſta tertia opinio. Contra quam ſic argumentor. C

Prima ratio contra eam. Primo, In Diuinis nihil poteſt a nobis conſiderari, tamquam conſtitutiuum perſonæ, niſi conſideretur, tamquam principium incommunicabilitatis: ſed illud eſſe, In, quod præcognoſcitur ante generationem, tamquam conſtitutiuum, non eſt principium in commmunicabilitatis. Igitur paternitas ſecundũ illud non poteſt eſſe conſtitutiua perſonæ. Maior ab omnibus cõceditur, & Minor probatur. Quoniam illud eſſe, In, ſiue per ſe exiſtere, quod ei correſpondet, non eſt proprium patri, neque alicui Diuinæ Perſonæ. Ergo commune omnibus & communicabile. Solum enim eſt propria patri paternitas inquantum relatio, vel quod illam exprimit: quod addo propter actum notionalem generandi. Cum ergo per ſe exiſtere commune ſit omnibus perſonis, non poterit relatio, prout dicit illud, conſtituere. Et confirmatur hæc ratio. Quia quod D non eſt proprium hominis, inquantum eſt homo, reduplicatiuè non conſtituit hominem: quia eſt illi commune cum alijs animantibus. Ergo quod non eſt proprium patris, inquantum eſt pater reduplicatiue non poterit conſtituere illum: quia erit commune cum alijs perſonis: ſed illud quod correſpondet ipſi eſſe, In, non eſt proprium patris, inquantum pater reduplicatiue. Igitur non poteſt conſtituere diuinam perſonam Patris.

Secunda ratio contra eamdẽ ſententiam. Secundo. Vt aliquid conſideretur, tamquam conſtituẽs Perſonam Diuinã, debet conſiderari tamquam vltimus actus: ſed vltimus actus, qui a nobis conſideratur in conſtitutione Diuinarum Perſonarum, eſt ipſa relatio, inquantum dicit adæquatam rationem relationis diuinæ: atque ideo aſſerimus relationes diuinas

A diuinas eſſe formaliter ſubſiſtentes,immo formaliter eſſe ſubſiſtentias, eſſeque tres ſubſiſtentias,iuxta modum loquendi Conciliorum, ſicut & tres relationes conſtituentes & ſubſiſtentes. Ergo relatio, inquantum relatio reduplicatiuè eſt,quæ conſtituit, tamquam id quod a nobis cognoſcitur vt vltimò terminans. Et hinc perfectè intelliges quod alibi diximus,loquentes de indiuiduo Deitatis, exiſtentiam nempe & ſubſiſtentiam in Diuinis differre. Nam per ſe exiſtere in Deo eſt commune: & ita vnum & ſingulare eſt in omnibus perſonis. At ſubſiſtētia adhuc ſecundum noſtrum modum cognoſcendi includit ipſam relationē; quoniā multiplicatur ad multiplicationem relationum conſtituentium perſonas. Sicut ergo ante relationē, quamuis poſſit conſiderari in Deo per ſe exiſtentia: non tamen poteſt præcognoſci ſubſiſtentia,& ita neque cōſtitutiuum ſuppoſiti,& perſonæ. Si vero quis illud falſum dicat, non poſſe ſcilicet præcognoſci ſubſiſtentiam ante relationem,in eo ſe eſſe deceptum colliget, animū ſi aplicet ad modum loquendi Conciliorum, quem loco dicto ob oculos ponemus. Concedunt etenim ſacra Concilia, tres ſubſiſtentias, non vero tres exiſtentias; quod nulla alia ratione id eſſe poteſt, niſi quia ſubſiſtentia in ſua ratione adhuc ſecundum noſtrum modum concipiendi dicit relationem, quam non dicit exiſtentia. Sed de hoc,loco dicto aliquantulum latius. Saluanda erit ergo conſtitutio Diuinarum Perſonarum per relationes, inquantum relationes ſunt reduplicatiuè. Quod, vt explicem.

Contrauerſia quinta ſcholaſt. in dubitatione ante quartam Aſſertionem.

B

Suppono primò, quod etiam ſi intellectus noſter diuina cognoſcat ad modum rerum materialium, tamen lumine fidei adiutus & illuſtratus aliqua diuerſo modo intelligit, quàm ea, quæ in rebus materialibus cognoſcit. Verbi gratia. Suppoſita fide docente in diuinis perſonis reperiri reales relationes, etiam ſi intellectus relationes creaturarum intelligat inhærentes, cognoſcit diuinas perſonas relationes habere non inhærentes,ſed ſubſiſtentes. Quia cum ſciat in Deo non poſſe inueniri accidens, optime colligit, relationes illas non eſſe inhærentes. Rurſum quamuis intellectus ſibi perſuadeat, omnem mutationem, per quam ſubſtantia, quæ antea erat, nunc non eſt, eſſe vel corruptionem, vel anihilationem, fide docente myſterium Euchariſtiæ, cognoſcit & ſibi perſuadet, aliam eſſe viam preter corruptionem, & anihilationem, per quam panis qui antea erat, conuertitur, & tranſſubſtantiatur in corpus Chriſti, ita vt ibi nulla ſubſtantia panis remaneat.

Pro aperienda difficultate poſita. Supponendū primò.

C

D

Animaduertendum ſecundò; quod ſicut conſtitutiua ratio relationis realis, qualis eſt modus intrinſecus relationis prędicamētalis, duo includit,& eſſe, Ad, & eſſe, In: ita vt quocunque eorum deficiente intelligi non poſſit formalis ratio relationis realis, eodem modo relatio in diuinis duo includit,& eſſe, Ad,& exiſtere correſpondens illi eſſe, In, relationis realis; quæ duo ita includuntur in relatione diuina, vt preciſo quocunque illorum, ratio formalis illius integra intelligi non poſſit. Vnde ſicut in relatione creata poſſumus preciſe conſiderare, Ad, ſed tunc cōſideratur ſub conceptu relationis abſtrahentis a relatione reali, & relatione rationis,& poſſumus conſiderare, In: ſed tunc concipitur ſub conceptu communi accidentis: ita ſimiliter in relatione diuina poſſumus conſiderare preciſe, Ad: ſed tunc concipitur tamquam abſtrahens a creato,& increato, ſiue

Animaduertend. ſecundo

ſiue a relatione reali, ſiue a relatione rationis,& poſſumus ſecundo conſiderare, A precisè In, ſiue per ſe exiſtere illi correſpōdens:& tunc concipitur cōceptu exiſtē-tiæ communis tribus perſonis. Et in his proportionabiliter ſe habent relatio realis creata, & relatio diuina. Tamen in relatione diuina vnum particulare inueniemus, quale neque ſecundum proportionem in relatione creata reperitur; quod ſcilicet illa duo, Ad, & exiſtere, quæ intrinſecè includuntur in relatione diuina, includuntur etiam intrinſece in ſubſiſtentia diuina: nam ſine relatione non eſt adhuc ſecundum noſtrum modum concipiendi ſubſiſtentia in Deo; cum ſine relatione non ſit in eo incommunicabilitas, & vltimus actus: neque rurſum ſine exiſtentia; quoniam ſubſiſtentia addit ſupra exiſtentiam relationem. Igitur illa duo, Ad, & exiſtere intrinſece includuntur in relatione diuina, & in ſubſiſtentia diuina. Solum autem in diuinis inter relationem,& ſubſiſten- B tiam, hanc conſideramus differentiam, quod ſubſiſtentia magis exprimit exiſtere, quàm eſſe, Ad, & relatio diuina magis exprimit, Ad, quam exiſtere. Et hinc quidē intelligemus, quomodo proprietas relatiua; paternitas verbi gratia, quæ ſecundum ſuam vltimam rationem eſt relatio ſubſiſtens, poſſit dupliciter conſiderari adhuc intra ambitum rationis vltimæ paternitatis diuinæ. Poteſt ſiquidem eadē met primò conſiderari ſecundū quod eſt ſubſiſtentia patris magis exprimens exiſtere, quàm relationem, licet vtrumq; intrinſice includat. Secundo vero concipi poteſt, ſecundum quod eſt relatio, & magis exprimens, Ad, quàm exiſtere, quamuis vtrumq; dicat. Et hæc plane eſt diuiſio illa paternitatis, quàm S. Thomas poſuit citato art. 4. cum aſſeruit, paternitatem poſſe concipi primò, vt eſt forma conſtitutiua, ſecundò prout eſt relatio: hoc eſt, C poteſt primò conſiderari prout ſubſiſtentia, quæ eſt forma conſtitutiua ſuppoſiti, & ſecundo prout magis exprimens, Ad, quàm exiſtere. Et hunc eſſe ſenſum S. Thomæ ex eo licet colligere, quia cum ipſe indagare vellet conſtitutiuum formale ſuppoſiti, & hypoſtaſis diuinæ, & ſciret in omni ſuppoſito conſtitutiuum illius, vt ſic, eſſe ſubſiſtentiam, tamquam idquod concipitur, vt complementum & vltimus actus, oportebat recurrere ad ſubſiſtentiam diuinam, quæ eſt forma conſtitutiua ſuppoſiti diuini: & ita S. Thomas profundè ſatis dum explicuit conſtitutionem diuinarum perſonarū ſimul & aperuit eumdem modum (ſalua analogia) ſeruari in conſtitutione diuinæ perſonæ, & cuiuſcunque alterius creatæ. Nam ſicut creata perſona vltimo completur & terminatur per ſubſiſtentiam, ita & perſona diuina. Ea tamen differentia inter alias ſemper re- D manet, quod ſubſiſtentia in perſona creata eſt quid abſolutum: in perſona vero diuina, quid relatiuum. Loquitur ergo S. Thomas de Paternitate, prout eſt ſubſiſtentia, & de eadem, prout eſt relatio.

Vnum particulare in Diuinis.

Poteſt conſiderari relatio intra ambitum relationis dupliciter.

Senſus illius diuiſionis S. Thom. in relationem conſtitutiuam, et vt relatio eſt.

Præterea notandum eſt tertio, ex pluribus differentijs, quas cognoſcimus inter relationem creatam, & diuinam, hanc eſſe maximè conſiderandam ex S. Thoma, art. 2. in ſolutione ad quartum dictæ quæſt. 40. quod relatio creata, quæ eſt accidens præſupponit ſuppoſitum, quod refertur ad aliud, prius conſtitutum in eſſe perſonali, vnde ea ſolum relatio habet relatiua diſtinctione ſoppoſita diſtinguere, indeq; etiam prouenit, vt eadem relatio ſupponat actionem illius ſuppoſiti, vel quoduis aliud ſupra quod fundetur: at relatio diuina, cum

Animaduert. tertiò.

non

A non ſit accidens, ſed ſubſiſtens, habet quod ſecum adferat ſuppoſitum, quod conſtituit, & refert, & originem, ſupra quam fundatur. Vnde neque relationes diuinæ præſupponunt (adhuc ſecundum noſtrum modum concipiendi) perſonas conſtitutas, neque origines, quæ dicuntur fundamenta; quoniam nos non poſſumus ante principium conſtitutiuum ſuppoſiti intelligere ipſum ſuppoſitum: ſicut non poſſumus intelligere hominem ante rationalitatem. Ex his ergo non erit difficile colligere, quid in hac re iuxta ſentiam ſancti Thomæ, & veritatem ſentiendum ſit.

Aſſertio Prima. Aſſerimus namque primò perſonas diuinas per relationes conſtitui, inquantum relationes ſunt reduplicatiuè. Quæ non eſt noua ſed antiqua ſententia, quam inter ſcholaſticos, refert Herbeus Quolib. 10. citato. quæſt. 4. licet eam B ipſe non teneat. Sed quoniam relationes adhuc, vt relationes ſunt, & poſſunt accipi, vt magis exprimentes exiſtentiam, quàm eſſe, Ad, & ſecundò poſſunt conſiderari prout magis exprimentes eſſe, Ad, quàm exiſtentiam; ideo, vt ſimul explicetur, eumdem ſeruari modum in conſtitutione diuinarum perſonarum, & aliarum, quæ ſunt in creaturis, quantum ad conſtitutionem per ſubſiſtentiā tamquam per vltimum actum, conuenientius dicetur perſonas diuinas conſtitui per relationes, vt ſunt formæ conſtitutiuæ & ſubſiſtentiæ, quàm per relationes, vt magis exprimunt eſſe, Ad, quàm exprimant exiſtere. Semper enim perſona debet conſtitui per formam, prout eſt ad ſe; quia debet eſſe indiuiſa in ſe. Cum ergo paternitas, inquantum eſt ſubſiſtentia, magis exprimat eſſe ad ſe, ſiue exiſtere, potius dicetur, vt ſic conſtituere, quàm in quantum relatio: C nam vt relatiō magis exprimit eſſe ad aliud. Dicetur tamen, inquantum relatio, potius diſtinguere, quàm prout ſubſiſtentia: quia prout relatio magis exprimitur eſſe ad aliud diſtinctum, & diuerſum. Et hoc arbitror eſſe, quod vulgo Theologi docent, proprietatem nempe relatiuam, prout dicit, In, conſtituere, ideſt, prout magis exprimit eſſe, In, ſiue exiſtere, & prout dicit Ad, diſtinguere, hoc eſt, prout magis exprimitur Ad,. Quibus omnibus conſonat illud D. Auguſtini lib. 5. de Trinit. cap. 6. Vnumquodque per ſubſiſtentiam eſt ad ſe, quanto magis Deus: per relationem vero eſt ad aliud. *Quomodo intelligendū axioma vulgare Teologorū.*

Aſſertio Secunda. Aſſerimus ſecundò, perſonas diuinas, origines, ac relationes ſimul eſſe, ita vt nulla ſit ibi prioritas neque ſecundum naturam, neque ſecundum intellectū. Et de relationibus quidem ſatis clare conuincitur vulgari illo Philoſophorum D & Theologorum prouerbio: *Relatiua ſunt ſimul natura, & intellectu*. De perſonis vero probatur hac ratione. Quoniam ipſæ intrinſicè conſtituuntur per relationes, inquantum ſunt intra eſſentiam, & formalem rationem relationis; ſed ante principia conſtitutiua non eſt intelligere ea, quæ conſtituuntur. Ergo neque ante relationes poſſumus intelligere perſonas. De originibus demum & fundamētis ipſarum relationum, ex eo conſtat. Quoniam generatio in diuinis ea ratione diſtinguitur a generatione creaturarū, quia in creaturis generatio præſupponit ſuppoſitum agens, & ad ipſam non præſupponitur paternitas, ſed conſequitur: at in diuinis ipſa generatio, quaſi adferri intelligitur a relatione paternitatis; cum ipſa paternitas ſecū adferre ſuppoſitum intelligatur. Vnde adhuc ſecundum noſtrum modum intelligendi non conſideratur priùs ſuppoſitum patris.

quàm generatio: neque generatio, quàm filius, ſed omnia ſunt ſimul natura, A & intellectu.

Duo argumenta aduerſus prædicta. Primum argumentum. Sunt tamen duo argumenta apparentia contra prædicta. Primum eſt. Quia videtur falſum aſſerere S. Thomam in illa diuerſa conſideratione paternitatis, vt eſt forma conſtitutiua, & vt eſt relatio, loquutum fuiſſe de paternitate, prout dicit ſubſiſtentiam: & ſecundò, prout dicit relationem. Nam ſi ita intellexiſſet, cum ſubſiſtentia & relatio in Deo idem formaliter ſint, adhuc ſecundum noſtrum modum intelligendi, quod affirmatur de vno, deberet affirmari de alio, & ſimiliter quod negatur de vno, deberet negari de alio. At S. Thomas de paternitate, vt forma, concedit conſtituere patrem, & antecedere generationem: de paternitate vero, vt eſt relatio, negat conſtituere patrem, & fatetur ſequi ad generationem. Ergo ea, quæ diximus ſaltem non ſunt ex mente Sancti Thomæ. B

Secundum argumentum Secundum argumentum eſt. Quia S. Thomas in dicto art. 4. ſupra citato fatetur verbis expreſis, paternitatem, prout eſt forma conſtitutiua, præintelligi generationi, & eamdem, prout eſt relatio, ſecundum intellectum præſupponere generationem. Et in principio corporis articuli, atque in ſolutionibus argumentorum clariſſime docet ſecundum intellectum eſſe prioritatem inter origines & proprietates. Quamobrem docuit, originem ſignificari per modum viæ & tendentiæ, genitum verò & ſpiratum ſignificari per modum termini producti. Ponit ergo aperte prioritatem ſecundum noſtrum modum concipiendi.

Pro ſolutione primi Pro primi autem ſolutione conſiderandum eſt, inſtitutum S. Thomæ in illa quæſtione fuiſſe explicare, quid ſit illud, quod a nobis intelligitur primò, ſiue primariò conſtiture diuinas perſonas, & illud quod primo intelligitur diſtinguere ipſas, vt clare conſtat ex illo art. 2. quæſtion. 40. Et quamuis videret, perſonas diuinas conſtitui & diſtingui per ſubſiſtentias diuinas & per relationes (cum ſubſiſtentiæ ſint formaliter relationes, & econtrario: & conſtitutio & diſtinctio ab eodem principio formali proueniāt) voluit adhuc S. Thomas nobis aperire illud, quod ſecundum noſtrum modum intelligendi in eadem proprietate intelligitur primariò conſtituere, ſiue primariò diſtinguere. Vnde, cum aſſeruit, paternitatem, vt formam, ſiue vt ſubſiſtentiam conſtituere, nihil aliud conatus eſt, quàm nobis explicare illud eſſe, quod concipitur tamquam primarium conſtitutiuum: ſiquidem concipitur tamquam magis exprimens exiſtere ad ſe, quàm relationem & reſpectum ad aliud. D Et ad hunc ſenſum negat, paternitatem, pro vt eſt relatio, conſtituere. quaſi ſit ſenſus, quod paternitas, prout magis exprimit eſſe, Ad, quàm exiſtere, non eſt id, quod primariò cognoſcitur conſtituere. & econtra id, quod primariò cognoſcitur a nobis diſtinguere vnam perſonam ab alijs, eſt paternitas, vt magis exprimens eſſe, Ad, quam exiſtere, ſiue prout relatio, (vt verbis vtamur S. Thomæ.) Similiter paternitas, vt forma conſtitutiua non diſtinguit, ideſt, non intelligitur primariò diſtinguere.

Redargutio Prima Quod ſi obijcias. Si ſubſiſtentia & relatio in diuinis ſunt formaliter idem, adhuc ſecundum noſtrum modum concipiendi, quo modo vni

conuenit

A conuenit primario aliquid quod non alteri? Reſpondetur, quod ita dicuntur eſſe formaliter idem, quaſi nihil intrinſecum ſit de ratione vnius, quod non de ratione alterius: cum quo bene ſtat, illa diſtingui penes magis, & minus expreſsum. Vnde nihil aliud intelligimus per rationem primariam, quàm rationem magis expreſsam, & proportionatam ijs rebus, quæ nos concipere & & intelligere conſueuimus. Non ergo erit inconueniens ſubſiſtentiam primariò, ideſt, magis expreſse a nobis concipi tamquam conſtituentem, non vero relationem, etiam ſi formaliter ſint idem.

Si vero obijcias ſecundo: Si ſubſiſtentia, vel relatio diuina dicit vnum magis expreſse, quàm alterum. Ergo non concipitur a nobis tamquam res ſimplex? *Redargutio ſecunda.* Reſpondetur, quamuis intelligamus, ea omnia eſſe ſimplicia; prædicto tamen B modo intelligimus ex imbecillitate & limitata capacitate noſtri intellectus; *Solutio eius.* quia non valemus intelligere, niſi ad modũ aliarũ rerũ materialium. Vnde ſicut in modo intrinſeco conſtituente relationem prædicamentalem, etiam ſi agnoſcamus illum eſſe ſimplicem, adhuc conſideramus eſſe, In, & eſſe, Ad, ita (& infinite perfectius) in diuina ſubſiſtentia & relatione conſideramus exiſtere, & eſſe, Ad, ſine præiudicio ſimplicitatis. Nec ideo credendum eſt, intellectum aliquid fingere, ſeu in aliquo eorum decipi: cum ad ea omnia intelligenda, & conſideranda ſufficiat eminentia, ac infinita perfectio cum ſimplicitate coniuncta.

Ad primum igitur argumentum reſpondetur, ſubſiſtentiam & relationem *Ad primũ in forma Reſpondetur.* diuinam formaliter idem eſſe, indeque neceſſario ſequi, omne, quod concipitur in ratione formali vnius, debere etiam concipi in ratione alterius: cum C hoc autem bene ſtat, magis expreſse aliquid concipi ſub ratione vnius, quod non ita expreſse ſub ratione alterius: non enim variat rationem formalem, magis vel minus expreſse concipi. Illæ autem diuerſæ loquutiones S. Thomæ; quod paternitas, vt forma, ſiue ſubſiſtentia, conſtituit, & eadem vt relatio ſiue vt magis exprimens eſſe, Ad, non conſtituit, & aliæ ſimiles debent intelligi, ſi ſint affirmatiuæ: quaſi ponant primariam ſiue magis expreſſam rationem conſtituendi, vel diſtinguendi, ſi negatiuæ, ita vt negent primariam, ſeu magis expreſſam rationem diſtinguendi, vel conſtituendi, iuxta prædicta. *Redargutio.*

Quod ſi dicas. Igitur eodem modo nos loquimur de ſubſiſtentia diuina, quantum ad diſtinctionem perſonarum, & de relatione diuina, quantum ad conſtitutionem, ſicut loquimur de originibus: nam licet origines aliquo D modo diſtinguant perſonas, non tamen primario, ita ſubſiſtentia diuina non concipitur a nobis tamquam primario diſtinguens, neque relatio tamquam primario conſtituens? Reſpondetur, ſermonem eſſe de primaria ſiue magis expreſſa ratione conſtituendi & diſtinguendi intra ambitum formæ conceptæ, vt intrinſicæ: at origo certum eſt ex S. Thoma non intra illum contineri. & ideo diuerſo modo de his, & de illis loquendum eſt.

Vt vero ſecundum argumentum diluatur, intelliganturque ſimul alia, quæ *Solutio argumenti ſecundi* ad prioritatem & poſterioritatem attinent, aduertere oportet ex S. Thoma I. Part. quæſt. 42. art. 3. ad ſecundum inter perſonas diuinas non eſſe prioritatem aliquam, neque ſecundum naturam, neque ſecundũ intellectum; quia relatiua ſimul natura & intellectu ſunt: eſt tñ inter illas ordo & prioritas originis ſecũdũ

quod intellectus noster cognoscit, filiũ procedere a patre sicut a principio; ob A eamque causam pater dicitur prior origine filio. Ista enim prioritas originis nõ euertit simultatem naturæ & intellectus: immo & inter ea, quæ patri conueniũt est huiusmodi prioritas originis; quoniam prius secundum originem intelligi-

Nulla prioritas nisi originis concedi debet in diuinis personis.

mus, patrem subsistere, quàm generare, & prius secundum originem esse actionem generandi, quàm relationem, vt sic. Verum tamen est, quod absolute & simpliciter non debet concedi prioritas, nisi cum isto addito, secundum originẽ, consistitq; ea in hoc, quod vnũ sit ex alio, tamquam ex principio. Hinc soluitur secundum argumentum. Nam quotiescunque S. Thomas asserit, patrem, inquantum est generans, præsupponi generationi, & ipsi filio, de præsuppositione loquitur secundum originem: non verò secundum naturam, aut intellectum. Compatitur autem ista præcedentia originis cum simultate naturæ, & B intellectus.

Redargutio.

Si vero vrgeas. Quoniam S. Thomas aperte docet, origines (cum sint viæ) præcedere secundum intellectum proprietates personarum, similiaq; verba sæpe reperit, quibus videtur innuere, ponendam esse prioritatem secundum nostrum modum intelligendi? Respondetur, omnibus illis S. Thomam solum significare voluisse,

Solutio illius.

prioritatem & ordinem originis non esse prioritatem ex natura rei, vt dicebat Scotus, & iuxta quam absolute concedere possimus vnum esse prius alio: sed solum illum ordinem, & prioritatem originis attendi, ex eo quòd nos intelligimus, vnum esse ab alio sicut a principio.

Alia solutio. Caietani & Episcopi Canariens.

Neque me fugit alia huius argumenti solutio, quam recipit Caietanus prima part. quæst. 42. art. 3. circa solutionem ad secundum, & Episcopus Canariensis C eadem quæst. & art. in solutione ad quartũ: & videtur esse S. Thomæ quæstion. 8. de potentia, art. 3. ad septimum, quæ consistit in hoc, quod de personis diuinis loqui possumus secundum rem, & ante intellectus nostri operationem: & ita clarum est, vnam personam non esse alia priorem, iuxta illud Athanasij: *Et in hac trinitate nihil prius, aut posterius &c.* Secundo quod loqui possumus de personis sub aliquo partiali conceptu, iuxta nostrum modum concipiendi: atque ita (inquiunt) possumus considerare patrem prius sub conceptu hypostasis generantis, quàm sub conceptu patris. Et propterea in Diuinis est prius & posterius secundum nostrum modum concipiendi, quatenus istis vel illis conceptibus personas consideramus. Igitur pater conceptus sub conceptu principij agentis & generantis concipitur prius, quàm concipiatur generatio: & generatio prius D quàm genitum: Sed tunc non concipitur pater sub conceptu relatiuo, & inquantum pater; quia esset impossibile prius concipi, quàm filium; cùm relatiua sint simul intellectu: sed consideratur sub conceptu absoluto ad modum rerũ materialium. Vnde sicut homo consideratus sub ratione animalis prius potest concipi, quàm intelligatur constitui per rationalitatem, potestque illo modo considerari tamquam prior se ipso, prout est homo: sic etiam non est inconueniens in diuinis considerare patrem generantem, vt sic priorem se ipso prout est pater. Atque ita S. Thomas in præcitato art. 4. cum dixit, patrem tamquã generantem præsupponi ad generationem, & hanc, tamquam viam, præsupponi ad filium, intelligunt dicti auctores, loquutum fuisse sub partiali & abso-

luto

A luto conceptu. Quæ quidem ſolutio clara procul dubio eſſet, niſi apertè contra mentem S. Thomæ eſſet. Nam in dicto articulo conſiderauit (vt vidimus) S. Thomas paternitatem, ut eſt forma conſtitutiua, & eamdem prout eſt relatio, & aſſeruit, paternitatem, vt forma conſtitutiua eſt, antecedere generationem. Tunc ſic arguo. Per paternitatem, vt eſt forma conſtitutiua, vel intellexit paternitatem ſub partiali conceptu abſoluto, vel ſub conceptu relatiuo. Si primum, incidimus in opinionem Capreoli & Ferrarienſis ſupra impugnatam. Si ſub cōceptu relatiuo, rediјt prior difficultas, quomodo ſcilicet paternitas ſub conceptu relatiuo præintelligatur ante generationem, & generatio ante filium? Eſt igitur contra mentem S. Thom. eiuſmodi ſolutio. Quam obrem exiſtimauerim, ſtandum eſſe poſitæ ſolutioni in eius via & doctrina. *Prædicta ſolutio confutatur*

B

EX DVABVS CONTROVERSIIS, QVÆ POSITÆ FVERUNT pro ſecundo Proponente ex inſigni Collegio D. Catherinæ.
Prior poſitiua, & ſecunda in ordine fuit.

An Codices Hebraici, quos nunc habemus, ab originalibus antiquis diſcordent, Iudæorum ve perfidia corrupti fuerint.

SVMMA CONTROVERSIÆ SEQVENTIS.

C

Hebraicos Codices contendunt multi fuiſſe a Iudæis corruptos. Plures ad eos tamquam ad fontem, & primam originem eſſe recurrendum; quia deprauatione careant, arbitrantur. Sed neque communi Iudæorum conſenſu corruptos fuiſſe, neque ad eos his noſtris temporibus recurrendum eſſe: ſed potius vulgatæ editioni ſtandum, declaratur.

NTER huius noſtri ſæculi Theologos, viroſque ſacrarum litterarum peritos, atque omni linguarum genere præditos extitit, & durat adhuc non parua controuerſia de codicibus his Hebraicis, qui vulgò circūferuntur. Ex vna enim parte Iacobus Epiſcopus Chryſtopolitanus in præfatione pſalmorum. Lematius lib. 8. de inſtauranda religione, cap. 6. Porchetus lib. 1. victoriæ aduerſus Hebræos, cap. 15. Figuerola Valentinus, lib. contra Iudæos, parte 1. cap. 3. Titelmanus in collationibus ſuper Epiſtolam ad Romanos, & in Apologia pro veteri interprete, Melchior Cano lib. 2. de locis, cap. 13. & 14. & Denique Lindanus in opere illo de optimo genere interpretandi ſcripturam lib. 1. à cap. 1. vſque ad quartum, contendunt codices Hebraicos, quibus nunc vtimur multis in locis ab originalibus deficere, Iudæorumque malitia corruptos fuiſſe. Quam ſententiam multis probare nituntur; quorum nonnulla ob occulos ponemus. *Auctores qui deprauatos eſſe codices hebraic. contendunt.*

D

In primis conantur probare ex eo, quod in Hebraicis codicibus, quos nunc habemus, infinitis fere in locis; aliqua ſuper ſunt, multa deſunt, & plura commutata inueniuntur. Etenim Geneſ. cap. 6. in exemplaribus Hebræorum antiquis, vbi nos habemus; *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* Erat *Prima ratio, in qua ponuntur aliqua loca, quę videntur corrupta. Geneſ. cap. 6.*

vex

vox Hebræa יָלִין Ialin. & ſic optime ſeptuaginta interpretes tranſtulerunt; Non A
permanebit. At in codicibus Hebraicis quos nunc habemus, eſt vox Hebręa יָדוֹן Iadon, a verbo דּוּן Dun, quod ſignificat diſceptare, aut iudicare, & ſic vertũt Iuniores, Non iudicabit, aut diſceptabit ſpiritus meus. Quæ diuerſiſſima ſunt.

Geneſ. cap. 8. Rurſum Geneſ. cap. 8. Hebræi modò affirmando legunt, *Coruus egrediebatur & reuertebatur*: cum tamen olim econtrario cum negatione legeretur in Hebraicis exemplaribus; *Et non reuertebatur*. Huiuſque antiquæ lectionis argumentum eſſe poſſunt translatio ſeptuaginta interpretum, noſtra vulgata editio, & vnanimis conſenſus antiquorum Doctorum, quos infra citabimus, legentium negatiue; *Et non reuertebatur*.

Pſal. 13. Præterea Pſalmo 13. in Hebraicis noſtrorum temporum codicibus deſunt aliquot verſiculi, qui habentur in vulgata editione, ab illo ſcilicet loco, *Sepulcrum patens eſt guttur eorum &c.* vſque ad illum, *Non eſt timor Dei ante occulos eorum*. B
Iſti vero verſus continebantur in antiquis Hebræorum exemplaribus, quod conſtat omiſſa verſione ſeptuaginta interpretum, & vulgatæ editionis verſus transferẽtium ex Hebræo & ponentium in illo Pſalmo, auctoritate Pauli ad Roman. cap. 3. eos verſus ordinatim citantis & adducentis ex illo Pſalmo 13.

Pſalm. 21. In Pſalmo item 21. in antiquis exemplaribus Hebręorum erat Vox כָּרוּ Caru, quæ ſignificat, foderunt, vel fixerunt, & ita traſlatum eſt, *Foderunt manus meas & pedes meos &c.* In codicibus vero, quos nunc habemus eſt vox כָּאֲרִי Caarij iuxta quam vertendum eſſet cum Neotericis: *Sicut Leonis manus mea, & pedes mei*, quæ quam diuerſa ſint omnes vident.

Iſaia cap. 9. & Ieremiæ. cap. 23. Denique in Iſaia cap. 9. & Ieremiæ cap. 23. quibs in locis Chriſti probatur C
Diuinitas, ſcriptum erat in codicibus Hebraicis antiquis וַיִּקָּרֵא Vaicare, id eſt *& vocabitur*, ſcilicet, *nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis &c.* et ita etiam transfert Caldaica Paraphraſis. In libris vero, quibus modo vtimur, eſt vox Hebræa וַיִּקְרָא Vaicra, quæ ſignificat, *& vocabit* in actiua ſignificatione, qùa voce admiſſa totus ſenſus peruertitur. Corrupti ergo ſunt Hebraici codices, qui vulgo circumferuntur. Et hæc quidem pauca ex multis recenſuimus, dum breuitati ſtudemus: plura qui deſiderat, videat apud Petrum Antonium Beuther Valentinum in Annotation. 8. & 9. apud Adrianum Phinum in illo ſuo flagello Iudæorum, preſertim lib. 3. cap. 5. & lib. 6. cap. 64.

Secũda ratio pro de prauatione. Secundò confirmant hanc ſententiam, quia in Hebræis, quibus vtimur codicibus omnis a principio vſque ad finem ſacræ Scripturæ narratio ſola proſa D
ſcribitur, neque in ea vix, vnum extat de tot carminibus, quibus multos ſcripturæ libros traditur fuiſſe conſcriptos. Teſtatur etenim Diuus Hieronymus in præfatione Chronicon Euſebij, in præfatione lib. Regum, & in præfatione Iſaiæ; quam plures Pſalmos, & lamentationes Ieremiæ, aliaque multa diuerſo metri genere in eis contineri. Et in præfatione libri Iob. docuit, eumdem librum hexametris carminibus, alijsq; diuerſi generis fuiſſe conſcriptum. Euſebius item Cæſarienſis lib. 10. de Præparatione Euangelica cap. 8. affirmat inueniri in veteri Teſtamento artificioſiſſima carmina, & tandem Ioſephus lib. 2. Iudaicarum Antiquitatũm, cap. 14. docet, Canticum Moyſi poſt tranſitum maris Rubri, quod nos habemus Exodi cap. 15. hexametro verſu fuiſſe compoſitum.

A ſitum. Non ergo conſentiunt, neque conueniunt codices noſtræ ætatis cum exemplaribus antiquis.

Tertio facit illud, quod refert Petrus Galatinus lib. 1. de arcanis Sacrę Scripturæ, cap. 8. Iudæorum ſcilicet Scribas ante aduentum Chriſti ſacros codices deprauaſſe, contaminaſſe, & decurtaſſe. Iudæorum ſiquidem Magiſtri ſacrarum litterarum clauſulas, in quibus aliquid a Maieſtate Dei alienum & inconſonum dici videbatur, immutarunt, nunc aliquid quod erat ex contextu, in margine adſcribentes, nunc eradentes quod erat ſcriptum, & loco illius aliud ponentes cauſa (vt ipſi dicebant) modeſtiæ & vrbanitatis. Quam mutationem Tikum Sophrim, hoc eſt, correctionem ſapientium appellarunt. Quarumque mutationum quadruplex fuiſſe genus latiſſime oſtendunt Figuerola Valentinus, & Pe-

Ratio Tertia pro eadẽ ſententia.

B trus Beuther locis citatis. Et, vt ex multis vnum, aut alterum exemplum in medium proferamus, Ezechielis cap. 8. iuxta exemplar vetus legebatur: *Ipſi mittent fætorẽ ad nares meas, ſeu ad naſum meum*; erat enim in Hebræo illa particula אֶל־אַפִּי El api, quæ ſignificat, naſum meum, & mutarunt אֶל־אַפָּם El apam, quæ ſignificat, naſum eorum. Et Oſeæ, cap. 9. cum ex perſona Dei, loquentis cum Iudæis olim legeretur, *Ve eis* בְּשׂוּרִי מֵהֶם Bezuri me hem ideſt, *Incarnatio mea ex eis*, myſterium incarnationis occultare nitentes mutarunt, בְּסוּרִי מֵהֶם, Beſuri me hem, hoc eſt, *Cum receßero ab eis, ſiue Ve eis in receſſu meo ab eis*, et in alijs pluribus locis id fecerunt, vt conſtat ex libris Thalmudicis, atque ex omnibus Rabbinis id expreſſe fatentibus. Mirum ergo non erit, ſi Iudæi iſtis temporibus Bibliorũ libros, quos vulgo in manibus habemus, ſiue in ſuæ perfidiæ patrocinium, ſiue

C in Chriſtianorum opprobrium, Chriſtique odium fœde contaminauerint, corruperint, & deprauauerint, ſicut olim eorum Maiores fecerunt. Quod quidem argumentum dilatat maxime Porchetus Hebraicorum voluminum abſeruator diligentiſſimus illo lib. 1. Victoriæ. cap. 15.

Eodem rurſus pertinent pleraque alia teſtimonia Illuſtrium auctorum, qui Hebraicos codices ab ipſis Hebræis olim deprauatos affirmant. De quorum numero Iuſtinus Philoſophus & Martyr annis ab hinc mille quadringentis, in dialogo aduerſus Tryphonem Iudęum circa medium oſtendit multa Sacrę Scripturæ teſtimonia Iudæos Chriſti odio abſtuliſſe ac decurtaſſe. Potiſſimum illa, in quibus de Chriſti Diuinitate & paſſione aliqua prænuntiabantur. Et adducit in huius rei confirmationem illud Pſalm. 95. vbi antiquitus iuxta veritatem Hebraicam legebatur,

Ratio Quarta ad idem probandum.

D *Dicite in gentibus; quia regnabit a ligno dominus*. Immo Iſidorus in libello de vocatione gentium, cap. 25. eo modo legit, & in Pſalterio Romano veteri, quod olim canebatur in Eccleſia, & demum in Iſidoriano, ſeu Pſalterio Muzarabe. Tamen quia illa particula, *A ligno*, cum Chriſti cruce conſonabat, fuit a Iudęis e textu corraſa. Iſaiæ item cap. 7. vbi nos legimus, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, &c.* in codicibus Hebræorum nunc legitur pro illa dictione, Virgo, vox עַלְמָה Nalmàh, quæ ſignificat adoleſcentulam, ſiue ſit virgo, ſiue non. Cum tamen olim eſſet poſita vox illa, בְּתוּלָה Bethulàh, quæ ſignificat virginem numquã virum expertam. Hoc autem factum fuiſſe ad occultandum myſterium Chriſti de Virgine nati cuicumque cognoſcenti Iudæorum perfidiam facile erit exploratum. Origenes etiam homil. 12. in Ieremiam, ſcribit Iudæos ſua

Sic in Hymno tempore paſſionis canit Eccleſia. Impleta ſunt quę cõcinit: David fidelis carmine; dicens in nationibus regnauit a ligno Deus.

ſua exemplaria corrupiſſe, præſertim librum Ieremiæ, vbi pro eo, quod legebatur, cap. 17. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtilo ferreo*, ipſi nolentes ſe peccatores fateri, pro, *peccato Iuda*, poſuerunt, *peccatum eorum*. Euſebius etiam Cæſarienſis lib. 4. hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 18. aſſerit, Iudæos Chriſtianæ religionis hoſtes multo ſtudio contendiſſe Hebraicum textum corrumpere; vt vetus teſtamentũ noſtris exemplaribus redderent contrarium. Immo & D. Hieronymus exponens ea verba ad Galat. 3. *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis*, dicit in exemplaribus Hebræorum ſui temporis defuiſſe in illis verbis Deuteronom. 27. duas illas dictiones: *omnis*, & *omnibus*, & ſuſpicatur eas a Iudæis fuiſſe ſublatas; cum olim in Hebraico textu fuiſſent; tum quia Paulus in lege doctiſſimus & Hebraicæ peritiæ minime ignarus numquam ea verba protuliſſet, niſi in Hebræis voluminibus ita exarata vidiſſet; tum etiam, quia in Hebraicis Samaritanorum voluminibus illæ duæ particulæ inueniebantur ſcriptæ. A B

Ratio Quinta & vltima.

Quibus omnibus adde, facillimũ eſſe, quæ apud Hebræos ſcribuntur, corrumpi & mutari. Tum quia ſunt apud Hebræos characteres aliquot ſimiles, vt ſunt. ד. Daleth. & ר. Res, ם. Mem finale, & ס. Samech, & alij quinque. quorum diſcrimen ex diuerſo tractu, & ex diuerſis lineamentis, quibus corpora literarũ fiunt, percipiendum eſt. Tum quia vtuntur punctis, pro vocalibus, quod antiquitùs tempore Eſdræ inſtaurantis legem, inuſitatum fuit. Quoniam Rabbini Iudæorum poſt conuerſionem Conſtatini magni loco vocalium puncta affixerunt. Vt docuit Chriſtopolitanus in illa ſua præfatione Pſalmorum. Vnde facillimum fuit poſt puncta adinuenta dictionem aliquam diuerſis afficere punctis, ab eis, quibus notanda erat, ex quo oriri potuit maxima diuerſitas in eius ſignificatione. Et hinc eſt eumdem ſermonem eiſdem Hebraicis litteris ſcriptũ diuerſas intelligentias, & diuerſos ſenſus habere; vt ex conſenſu omniũ Hebræorum docuit Hieronymus, quæſt. 2. ad Damaſum Papam, quod etiam in noſtra Hiſpana lingua ſæpe euenit: etenim diſtincta ſignificatio eſt huius dictionis, *ſuena*, & huius, *ſueña*, & harum vocum, *Mana, y Maña, Sana, y Saña*, quæ tamen eiſdem litteris ſcribuntur, quæ omnia magno Iudæis adiumento fuere, vt loca quamplurima a recto detorquerent. Ex quibus omnibus perſpicuum efficitur, Hebræorum libros correctione, ſeu (vt verius dicamus) corruptione Scribarum corruptos & deprauatos fuiſſe. Neque hoc nimium difficile videri debet in hoſtibus Eccleſiæ Iudæis; cum contigerit ſæpeſepius hoſtes & inimicos Romanæ Eccleſiæ Synodorum Decreta, ac Sanctorum Patrum ſcripta labefactare ac mutila & manca reddere, ac contextui quamplura addere. Vt late videre Licebit in ſexta Synodo Conſtantinopolita. Actione 8. & in ſeptima Synodo, actione 4. & 5. Et apud Leonem Papam in Epiſtola ad Paleſtinos, quæ eſt in ordine. 83. & apud D. Gregorium lib. 5. Epiſtolarum, Epiſt. 14. & tandem apud Euſebium lib. 4. Hiſtoriæ eccleſ. cap. 23. In quibus omnibus locis conqueruntur Patres ſua ſcripta ab hoſtibus Eccleſiæ detractionibus & adulterinis additionibus corrupta fuiſſe. quid ergo mirum, ſi Iudæi Hebraicos libros Sacræ Scripturæ contaminare, atque temerare conati fuerint? C D

Auctores qui docent recur-

E contrario vero Eugubinus Annotationibus in Penthateucum. Driedonus

lib. 2.

A lib. 2. de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 1. Caietanus infinitis in locis ſuper vetus teſtamentum ſcribens. Andræas de Vega lib. 15. in Concilium Trident. cap. 9. Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca ſancta, lib. 8. in confutatione hæreſis 2. per totam, & hæres. 13. in fine, atque plures alij ex Neotericis ſequuti Burgenſem, & Lyranum multis in locis, præſertim Numeror. cap. vlt. & Iudicum, cap. 10. adeo volunt Hebraicis codicibus fauere, eorumque incorruptionem tutari, & defendere, vt fere omnes præfati afferant, quòd etiam ſi omnia præcepta, cunctaque fidei myſteria, ac reliqua omnia, quæ pertinent ad fidem & mores ſufficienter expræſſa fuerint in vulgata editione Latina, & nihil erroris in ea contineatur, ſiue quod habeat ſenſum pernitiosè falſum, ob eamque cauſam in eccleſiaſtico vſu eam merito eſſe retinendam, ſicut multis retro ſæculis eſt retenta; rēdum ad Hebraic. exemplaria.

B fatentur nihilominus nonnulla eſſe non rectè conuerſa, & aliqua deuia à vetuſtiſſimorum Hebræorum exemplaribus: neque mirum eſſe, interpretē illum (ſiue fuerit Hieronymus, ſiue quiſquàm alius) qui Scripturā Sacram in Latinam linguam tranſtulit, non rectè eſſe interpretatum; ſed in aliquibus hallucinatum fuiſſe. Quapropter, inquiunt, non exiſtimetur abſurdum, ſermonem Sacræ Scripturæ deriuatum ex ſuo fonte in aliam linguam examinare, recurrendo ad ſuā originem, & diſcutere, ſi forte interpres deuiauerit a ſenſu eius qui ſcripſit. Neque tandem arbitrandum eſt, omnes Hebraicos codices temeratos & corruptos fuiſſe; quoniam, protegente Deo, ne Eccleſia ſua per aliquod tempus exemplaribus integris fraudaretur, credendum eſt, aliquos remanſiſſe ſeruatoſque fuiſſe puros integros, & intemeratos.

C Probant hanc ſententiam Sanctorum Patrum teſtimonijs. Et in primis quidem auctoritate Hieronymi, qui perpetuus eſt in hac tuenda ſententia, præſertim in Epiſtola ad Damaſum Papam, & in Epiſtola ad Suinam & Fretelam. Vbi docet ad Hebræam veritatem, ſeu fontem; ſi quid quæſtionis in veteri teſtamento inciderit, confugiendum eſſe. Multaque in veteri teſtamento ſe correxiſſe reſtatur, quę erant in vulgata editione. Vt licet videre in quæſtionibus Hebraicis ſuper Geneſim. Rurſum in cōmentarijs in Zachariam, cap. 8. ſic loquitur: Cogimur ad Hebræos recurrere, & ſcientiæ veritatem de fonte, magis, quàm de riuulis quærere. Docet idem in lib. ad verſus Eluidium, & ne infinita alia Hieronymi teſtimonia multiplicemus, illud ſolum adducamus, quòd ſcribens ad Vitalem Hieronymus poſuit his verbis: Ad Hebraicam veritatem tamquam in præſidium & arcem ſoleo confugere, ſiqua in ſcripturis dubitatio emerſerit. Probant. primo ſuam ſententiam.

D Docuit id ipſum Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto, cap. 6. Et D. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana. cap. 14. & lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 13. Origines etiam, Chryſoſtomus, & Alij Patres multis in locis monent, quoties Latina, & Græca exemplaria inter ſeſe non conſenſerint, ad fontem recurrendum eſſe.

Secundo, quia in Hebraica veritate, aut verba, aut ſententiæ æquiuocæ ſunt, ita vt in uarias ſignificationes interpretari poſſint, eſtque hoc frequentiſſimum in lingua Hebræorum propter eius conciſſionem. Et ex illis varijs ſignificationibus interpres Latinus ſolum vnā elegit. & quæ forſam minus cōfirmat noſtrę fidei dogmata, quæ autem relicta eſt, aptior eſt aliquando, & magis intenta, Probant secundo.

ſic Geneſ. cap. 3. in illis verbis, vbi nos legimus: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius; ipſa conteret caput tuum*. In quibus verbis pronomen, *ipſa* refertur ad mulierem. at verò in Hebraica veritate legimus ſic, הוא יְשׁוּפְךָ ראשׁ, Hu Ieſuphexa Ros, hoc eſt, ipſum (ſcilicet ſemen mulieris) conteret tibi caput, quaſi mulieris ſemen; ſcilicet Chriſtus, intelligatur per pronomen, *ipſum*, ſeu, *illud*. Ex qua lectione optime confirmatur dogma illud, Chriſtum Dominum venturum fuiſſe ad conterendam peccati, & dęmonis tyrãnidem. Item Pſalm. 2. vbi vulgata legit, & ſeptuaginta, *Aprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta*. Hebraica veritas ligit ſic, נַשְּׁקוּ בַר Naſequ Bar, quod transferunt, oſculamini filium, vel ſicut vertit Hieronymus, adorate filium, ne quando iraſcatur Dominus, &cet. Quæ lectio & diuinitatem Chriſti confirmat, & Hebræos hortatur ad Chriſtianæ religionis ſuſceptionem. A B

Quomodo explicent aliqui locum Math. cap. 19. de nõ dimittenda vxore.

Neque hoc ſolum contingere in translatione veteris teſtamenti ex Hebraico codice in Latinum: ſed in verſione noui teſtamenti è Græco in Latinum, multis probare cõnatur. In cuius comprobationem vnicum ſolũ ex pluribus adducam exemplum; eritque illud (vt credo) multis pergratum. Matthæi cap. 19. vbi nos legimus, *Dico autem vobis*, dixit Chriſtus, reſpondens Phariſæis petentibus, an liceret homini dimittere vxorem ſuam quacunque ex cauſa, *Quia quicunque dimiſſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem; & aliam duxerit, mæchatur*, in Græco codice Complutenſi, & in alijs emendatis loco illius dictionis exceptiuæ, *niſi*, ponitur dictio prohibendi, cum dicitur μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, id eſt, neque adhuc ob fornicationem, quaſi ſit ſenſus: Dico equidem vobis non licere dimittere vxorem, C neque vinculum eorum, quos Deus coniunxit diſſoluere, adhuc ob cauſam fornicationis. Quod Hyſpane dicimus, *Ni aun por fornicazion*, & conſtat, hunc eſſe verum ſenſum; quoniam illa dictio (μὴ) ſecundum proprietatem ſuam prohibendi vim habet. Vt videre eſt in Paulo 1. ad Corinth. cap. 7. perſæpius. Immo & interpres Latinus per prohibitionem aliquando vertit dictionem illam (μὴ.) Quemadmodum Lucæ cap. 10. vbi nos legimus, *Nolite portare ſacculum, neque peram, &c.* in Græco codice legimus μὴ πήραν, hoc eſt, neque peram. & in prima Canonica Petri cap. 5. vbi nos habemus, *Paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum*, loco illius, *non coacte*, eſt in Græco μὴ. Igitur ſenſus illius loci Matthęi, cap. 19. erit, non licere quoad vinculum ſicut conſuetum erat Iudæis, relinquere vxorem, etiam ob fornicationem. Quẽ D locum ſi intellexiſſent Caietanus ſuper eadem verba Matthæi, & Catherinus in priorem ad Corinthios Epiſtolam cap. 7. & lib. 5. Annotationum contra Caietanum, non incidiſſent in ſententiam illam a ſummis Pontificibus damnatam; poſſe ſcilicet hominem poſt dimiſſam vxorem cauſa fornicationis aliam ducere. De quo elegans eſt annotatio apud Sixtum Senenſem lib. 6. ſuæ Bibliothęcæ. Annotatione 81. Et forſan interpres Latinus per dictionem, *niſi*, vim dictionis Græcę prohibentis voluit exprimere, & non vim vocis excipientis. Quoniam olim apud latinos dictio, *niſi*, vim habuit prohibendi, vt adnotauit Seruius in Commentarijs ſuper lib. 3. Æneidos. in illo verſu.

Ni teneant curſus: certum eſt dare lintea retro.

Quod

A Quod si istis obijcias parum referre prædicto modo illum locum Mathæi explicare, cum intelligi possit iuxta doctrinam Catholicam, de separatione non quo ad connubij vinculum, sed quo ad contubernium & thorum. Et ita debere intelligi, videtur colligi ex Matheo cap. 5. vbi Christus vtitur particula exceptiua dicens, *Ego autem dico vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*. Respondent Caietanum & Catherinum multis probare eo in loco Christum loqui de separatione quo ad vinculum; & ideo sunt decepti non intelligentes verba Mathæi vt diximus. et quamuis vera & Catholica doctrina nos doceat distinctionem illam, de dissolutione quo ad thorum, per fornicationem; & non quo ad vinculum, tamen credunt Christum non illam innuere loco dicto, immo neque Mathæi cap. 5. Credunt enim B ideo plures non intellexisse locum illum Math. cap. 19. quia non intellexerint verba Mathæi cap. 5. Namque vbi nos habemus, in cap. 5. eiusdem, *Qui dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, &c.* In Greco est loco dictionis *excepta* παρεκτὸς, quæ vox, vt docuerunt Budæus, Enrriqus Stephanus, & Suydas, debet interpretari per, ad extra, vel foras, sicut & interpres latinus transtulit 2. ad Corinth. cap. 11. vbi enim nos legimus, *Præter illa quæ extrinsecus sunt; instantia mea quotidiana &cet.* in Græco enim loco vocis *extrinsecus*, est vox παρεκτὸς. quæ componi videtur ex παρὰ hoc est, Ad, & ἐκτὸς idest, *Extra*, quasi ad extra. Vnde credunt sensum Math. cap. 5. hunc esse, *Ego autem Dico vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam ad extra, vel ad foras, fornicationis causa, facit eam mœchari*. et ita dictio παρεκτὸς, iungitur verbis antecedentibus, non subsequenti C bus. Et hunc esse sensum exeo colligunt, quia Christus in eo capite. 5. Mathæi nequaquam legis exceptiones instituerat ponere, sed in maiorem eam conabatur reducere perfectionem. Vnde dixit, *Ego autem dico, non concupisces, non dices Racha, non iurare omnino*, & sic est intelligendum illum dixisse, *non dimittes vxorem ad extra vel foras*, etiam fornicationis causa, quasi de vinculo loquens, de quo erat error apud Iudæos. Illis siquidem verbis Iudæorum errorem & perniciosam doctrinam, iuxta quam vna dimissa vxore, aliam ducebant, intendebat destruere. Omitto plura huiusmodi, ex quibus precipuè videtur colligi, recursum ad Hebraicos & Græcos codices (si sincerè fiat) potius confirmare nostræ fidei dogmata, quàm peruertere.

Vltimò confirmant eamdem sententiam, quoniam si aliqua ratione his pre- *Vltima Ratio.*
D sertim temporibus recurrendum non esset ad Hebraicos codices, maximè propter definitionem Concilij Tridentini sess. 4. Can. 2. vbi statuit & declarat sancta Synodus vulgatam æditionem habendam esse tamquam authenticam, exindeque colligi videtur remouendum esse recursum ad Hebraicos codices. Hæc autem ratio non conuincit. Nam Andreas de Vega lib. illo 15. in Concil. Trid. cap. 9. qui interfuit Concilio, quasi isti rationi respondens ita loquitur; Cum illud decretum factum est, approbauit Concilium vulgatam æditionem, sed nō eam tamquam de cælo delapsam: adorari voluit. Sciebat enim interpretē illius (quisquis ille sit) non fuisse Prophetā, ac proinde neq; cohibuit, neq; cohibere voluit studiosorum industriā, qui aliquando docent aliter potuisse aliqua verti, & vno eodemq; verbo, vel plures sensus esse, vel certè alios commodiores ad intelli- *Narrat Andreas de Vega quid sibi contigerit circa authēticationem Vulgatæ cum Card. S. Crucis.*

telligendum, quàm a vulgata poſſunt haberi. Et paucis interpoſitis inquit. Atq; A eo authenticam voluit haberi, vt certum omnibus eſſet, nullo eam defædatam errore, ex quo aliquod pernitioſum dogma in fide, aut in moribus colligi poſſet. Et tandem concludit; Et ne de his dubites, veriſſime poſſum tibi allegare Cardinalem ſanctæ Crucis, qui præfuit in Concilio, & pridie quàm illud decretum firmaretur, & poſtea ſepius mihi teſtatus eſt, nihil amplius voluiſſe Patres firmare, quàm quod dictum eſt. Nihil ergo impedit, aut exemplariorũ ficta corruptio, aut Synodi de authentica editione definitio, quin ſtudioſi ſacrarũ litterarum ex Hebraicis fontibus etiam veritatem hauriant. Hæc ſunt, quæ de hac re inuenire potui. vt tamen quod ſentio breuiter aperiam.

Pro explicatione.

Duo ſunt quæ poſſunt inquiri.

Illud primo animaduerto, diuerſum eſſe inquirere & interrogare, An codices Hebręorum corrupti aliquando fuerint, & An recurrendum ſit ad codices B Hebraicos in ijs, in quibus aliqua dubitatio orta fuerit? Prior eſt illa dubitatio, quam à principio poſſuimus, & quam precipuè nitimur enodare. Poſterior verò temporis potiorem commoditatem expoſtulabat: ſed ne eius difficultatem fugere videamur, ſumma breuitate, quid de ea ſentiendum arbitremur, aperiemus. Pro quorum omnium dilucidatione.

Quomodo perierint Originales libri veteris Teſtam.

Illud ſecundo admonere neceſſarium duximus, legis Moſaycę originales codices, alioſque nõnullos veteris teſtamenti ſeruatos fuiſſe in templo Hieroſolymitano per multa tẽpora iuxta arcã fœderis. de Penthateuco enim dicitur Deuteronom. cap. 31. quod poſtquàm ſcripſit Moyſes verba legis, pręcepit Leuitis, qui portabant arcam fœderis Domini, dicens: *Tollite librum iſtum, & ponite illũ in latere arcæ fœderis*. Et de libro Ioſue idem conſtat ex cap. vlt. Ioſue. Poſtea ve- C rò, cum Hieroſolyma a Babylonijs caperetur, templum vna cum libris illis incendio periiſſe aiunt. Ceterum Eſdram ſpiritu Dei plenum ſola memoria legẽ habentem, eam reſtauraſſe dicunt, alioſque codices prioribus ſimiles ſcripſiſſe. Ita id contigiſſe docent Tertulianus lib. de ornatu fœminarum, & Ireneus lib. 3. aduerſus hęreſes cap. 25. Quamquam de hoc dubitare videatur Hieronymus lib. aduerſus Eluidium. Sed quomodocumque hęc res ſe habuerit, hoc certum eſt & ab omnibus, etiam a D. Hieronymo, conceſſum, poſt captiuitatem illam, quando Nabuzardan ſuccendit domum Domini, lib. 4. Regum cap. 25. Legis & Prophetarum libros Eſdræ diligentia hinc inde conquiſitos, ſcriptos fuiſſe & ordinatos. Inter quos cum diuerſitatem codicum inueniebat, certaq; ac germana lectio non conſtabat, vnum in textu, & aliud in margine ſcribe- D bat. Quò factum eſt, vt vſque hodie in aliquibus codicibus quædam ſint & certa notata loca, in quibus eſt duplex lectio (ſicut etiam in noſtra euenit vulgata editione.) Hoc manifeſte conſtat in Biblijs Hebraicis, quę Venetijs excuſſa ſunt opera Bombergij, & in his quæ edidit Felix Pratenſis, immo & ex his, quæ noſtra ætate iuſſu Philipphi 2. Hiſpaniarum Regis Catholici Antuerpiæ excuſſa ſunt. Eſtque illud notiſſimum & commune inter Hebræorum Rabbinos, vt conſtat ex Rabbi Dauid Kimhi in præfatione ſuper Ioſue, & ex Elia Leuita in præfatione 3. Maſoreth.

Poſtremo ſciẽdum eſt.

Poſtremo ſcire oportet, aliud eſſe hos Hebræorum codices corruptos, & mendoſos eſſe, aliud ex induſtria fuiſſe falſatos. Primum contingere ſolet ſcripto-

rum

A rum & librariorum inſcitia, aut negligentia. Secundum non niſi ex perfidia & malitia. Inſuper aliud eſt, corruptionem, ſeu falſarionem eſſe generalem publico, & vniuerſæ nationis conſilio factam, & aliud eſt, de corruptione particulari loqui quorumdam codicum, & apud particularem plebem. Quibus vtcunque ſtatutis.

Sit prior propoſitio, in qua auctores vtriuſque ſententiæ conueniunt. Scriptorum, & Typographorum negligentia & inſcitia, immo particulari aliquorum Rabbinorum malitia, mirum non eſt, aliquos codices fuiſſe falſatos. Hæc aſſertio aperte colligitur ex D. Hieronymo in commentarijs ſuper cap. 3. ad Galat. vbi quamuis fateatur Hebraica Samaritanorum volumina ea verba continere, quæ Paulus citat eo loco; tamen ſuſpicatur, in alijs codicibus malitioſe B duo illa ſigna vniuerſalia, *Omnis*, & *Omnibus* dempta eſſe. Item & Origenes homil. 12. in Ieremiam, idem fuiſſe factum ſuſpicatur in illis verbis Ierem. cap. 17. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtilo ferreo*. Conſtat etiam ex libris Thalmud, qui blaſphemijs & contumelijs aduerſus Chriſtum pleni ſunt, quanto magis locis ſacrorum codicum corruptis. Eiuſdem generis fuiſſe, tamquam probabilius exiſtimamus; correctionem illam ſcribarum, quam appellabant Tikum Sophrim, quaſi hæc omnia a quibuſdam, & particularibus Iudæis in Chriſti odium conficta fuerint. Iſtam verò particularem deprauationem non credimus fuiſſe tanti momenti, quia facilè a Hieronymo, Origene, & alijs Patribus Hebraicę linguę peritis facilè dignoſci, & emendari potuerit, collatione facta cum antiquiſſimis Hebræorum exemplaribus. *Prima Propoſitio.*

C Sit ſecunda propoſitio. Sacri Hebræorum codices numquam communi eorum conſilio, neque omnium conſenſu, & induſtria ante Chriſti aduentum, neque poſt vſque ad tempora D. Hieronymi deprauati ſunt. Hæc propoſitio eſt Hieronymi in cap. 6. Iſaiæ, vbi loquitur in hæc verba: Si quis dicat Hebræos libros a Iudæis eſſe falſatos, audiat Origenem, quid in 8. volumine explanationum Iſaiæ huic reſpondeat quæſtiunculæ. Quod numquam Dominus & Apoſtoli, qui cetera crimina arguebant in Scribis, & Phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent. Sin autem dixerint, poſt aduentum Domini, & Apoſtolorum prædicationem, libros eſſe falſatos, cachinnum tenere quis poterit? vt enim Saluator, Euangeliſtæ & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, vt Iudæi falſaturi erant? hæc Hieronymus. Illud etiam, quod narrat Ter- D tulianus in Apologetico cap. 18. & 19. arguit veteris teſtamenti Hebraicum contextum ab antiqua ſinceritate tunc non eſſe mutatum. Ante aduentum docet Chriſti per ducentos & ampliùs annos (inſpirante Deo) Ptolomeum Philadelphum Alexandriæ Regē curaſſe a ſeptuaginta duobus interpretibus Hebraicos codices verti & traduci, ſimulque in ſua Bibliotheca & Hebraicos, & Græcos codices, ex quibus ipſi tranſtulerant, & quos verterant, reponi, & magna diligentia obſeruari. Illoſque Hebraicos codices teſtatur Tertulianus vſque ad ſua tempora in eadem Bibliotheca fuiſſe ſeruatos, & a Iudæis frequenter lectitatos, atque pro fideliſſimis, & incorruptis habitos. Confirmat eamdem aſſertionem, id quod narrant Ariſteas lib. de ſeptuaginta interpretibus, & Ioſephus lib. 12. Antiquitatum Iudaicarum, cap. 2. & Euſebius Cæſariens lib. 8, *Secunda Propoſitio.*

de

Obſerua pro eis qui auſu temerario ſacrã ſcripturã deprauant.

de præparatione Euang. cap. 1. Illuſtres quoſdam viros ea de cauſa aduerſa men A tis valetudine, & languore corporis diu conflictatos fuiſſe, veluti Theodotum, & Theopompum, quorum primus tragędiarum ſcriptor cum nõnulla ex hebraicæ ſcripturæ verbis ad fabulam quamdam referre vellet, luminibus priuatus eſt, poſterior autem cum aliqua ex diuina lege in Græcam linguam transferre cępiſſet, turbatione quadam mentis & animi illicò percuſus eſt. Vnde poſtea magnopere Deum orans ac rogans quare id ſibi contigiſſet, vt aperiret; reſponſum accepit per ſomnium; quod diuinas Scripturas prophanare tentaſſet.

Rationibus pbatur eadem propoſitio.

Poteſt etiam prædicta aſſertio his rationibus conuinci. primò, Ioanis cap. 5. adhortatur Dominus Phariſæos & ſcribas ad lectionem ſacrarum literarum dicens, *Scrutamini ſcripturas, quia illæ teſtimonium perhibent de me*, & Math. cap. 23. adhortatur populum Iudęorum, vt Scribas de ſcripturis differentes audiant, B eiſque obtemperent, *Quæcunque* (inquit) *vobis dixerint, ſeruate & facite*. Si ergo Chriſtus Dominus ad ſcrutandas Scripturas illos prouocat, ſignum eſt ſacros codices ſuo tempore non eſſe falſatos; Aliàs eos mitteret ad ſcrutandas Scripturas erroribus contaminatas. Secundo quia credendũ eſt Deum nũquam permiſiſſe omnes ſacros codices ab hoſtibus & inimicis Chriſti deprauari, immo potius exiſtimandũ eſt particulari prouidentia ſemper in eccleſia vera & germana exẽplaria cuſtodiri medijs laboribus & ſtudijs antiquorum Eccleſiæ Patrum. Atq; ita Hieronymus in præfatione Iſaiæ ait, Scit Deus me in peregrinæ linguæ eruditione ſũdaſſe, ne Iudęi de falſitate Scripturarũ Eccleſijs eius diutius inſultarẽt.

Tertia Propoſitio.

Tertia propoſitio a D. Hieronymi temporibus vſque ad noſtram ætatem, non ſunt corrupta communi Hebræorum conſenſu hebraica exemplaria, ſed ea C manent, ſicut illo tempore erant. Ita videtur ſentire S. Thomas in commentarijs ad cap. 9. Epiſtolæ ad Roman. dum exponit illa verba, *Quia maior ſeruiet minori*. & Armacanus lib. 19. cap. 23. Et conuinci videtur eo argumento quo vſus eſt D. Auguſtinus lib. 15. de Ciuitat. cap. 13. Nullus (inquit) prudens debet credere Iudęos tam longe lateque diſperſos conueniſſe & conſpiraſſe in ſacrorũ voluminum corruptione, vt dum alijs inuidebant, Scripturæ ipſi ſe priuarent pura veritate. hæc Auguſtinus. Immo ad confirmandam Chriſtianæ religionis veritatem inſcrutabili Dei prouidentia non omnes Iudęi fame & gladio Romanorum perierunt in famoſo illo & horrendo excidio Hieroſolymitano, ſed aliqui ſuperſtites manſerunt, vt captiui ducti per omnes gentes, ipſamet captiuitate & diſperſione præclarum veritati in toto orbe perhiberent teſtimonium. D Et huic propoſito accommodat inter alios Burgenſis in 2. Part. Scrutinij ſcripturarum, diſt. 6. cap. 1. illa verba Pſalmi 58. *Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos: ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua &c.* Quaſi dicat Chriſtus æterno Patri, Deus meus oſtende tuam miſericordiam ſuper inimicos meos, ſuper Iudęos videlicet qui me cruci affixerunt, ne occidas illos, ſicut me occiderunt, ſed tua gratia viuere permittantur diſperſi inter gentes, vt tamquam cuſtodes & capſarij ſcripturam veteris legis circumportent in vſum populorum qui credituri ſunt in me.

Inſuper vſque in hodiernum diem in Eccleſia conſeruantur vetuſtiſſima Hebræorum volumina, quæ reperiuntur conformia cum his quibus modo vtimur,

&

A & ſi aliquando diſcordant, id eſt in paruis, & minimis, & in his, quæ ex deceptione punctorum & litterarum ſimilitudine prouenire potuerunt. Rurſum in recentiorum Hebræorum libris caſtigatis inueniuntur teſtimonia ſic Scripta, quemadmodum reperiuntur in antiquorum Patrum ſcriptis recitata. Hæc autẽ omnia ferè euidentia ſigna ſunt, vt aſſeramus exemplaria Hebraica, ſaltem aliqua, in ſua origine integra eſſe ſeruata.

Si quis tamen contra prædicta omnia dicat. Si codices Hebraici ſunt in corrupti & integri, igitur in dubijs recurrendum erit ad Hebraicos codices, eritque etiam emendanda noſtra vulgata ex illorum lectione. Hoc eſt, quod inquirebatur in ſecunda illa dubitatione. Pro qua ſit

Vltima Propoſitio. Vltima Propoſitio. Iſtis noſtris temporibus, ſi qua fidei & morum quæſtio B inter Catholicos exoriatur, nullo modo recurrendum eſt ad Hebraicos codices vt aliquid reijciatur, quantumuis leue ſit: vel vt aliquid emendetur, quamtumuis minimum in vulgata editione, ſed ſtandum eſt in omnibus noſtræ vulgatæ. Quæ aſſertio ſic eſt intelligenda, non quod negemus, eſſe vtilem recurſum ad Hebraicam veritatẽ, vt ex ea meliùs aliqua intelligantur cognitis phraſibus, idiomatibus, Hebraiſmis, modiſque dicendi alienæ linguę, vtque plures ſenſus ex conciſſione linguæ orti accipiantur, quàm ex verbis, ab eo, qui tranſtulit, poſitis, accipi poſſint. *Vtilitas Hebraica peritia.* Quod negamus eſt hac noſtra ætate non poſſe aliquem in controuerſijs & diſputationibus, ſeu lectionibus verba aliqua vulgatæ tranſlationis reijcere, & ad Hebraica exemplaria recurrere. Quæ aſſertio longa com probatione eſſet a nobis corroboranda, ſpretis Hebraizantium querelis, atque C calumnijs, niſi timeremus vnius controuerſiæ metas plus, quam deceat tranſgredi. Breuiter tamen ſic poteſt probari.

Probatur Prima Aſſertio. Primò, quia ſi in diſputationibus, & controuerſijs liceret recurrere ad exemplaria Hebraica, reiecta editione vulgata, nulla nobis reſtaret via conuincendi hæreticos ex ſacris litteris. Nam quotieſcunque hæreticus aliquo teſtimonio penè conuictus fuiſſet, ad Hebraicum codicem aliter habentem conclamaſſet, & ita nõ eſſet in eccleſia Latina regula aliqua infallibilis, & certa pro dubijs aperiendis. Quod ſi quis reſpondeat, diſcat Eccleſia Latina Hebraicas & Græcas litteras, & habebit vnde hæreticos conuincere poſſit. Hæc ſolutio nulla eſt, quia etiã tunc Cat[illegible]licis Hebraicum, vel Græcum textum opponentibus, hæretici ad Latinum aliter habentem confugiſſent; nihilque aliud tunc factum fuiſſet, D quàm exemplaria omnia confundere, regulaque certa, & infalibili carere. Atq; hoc reuera magnum, & exitiale incommodum mouit Concilium Trident. vt declararet, editionem vulgatam habendam eſſe pro authentica.

Probatur ſecundo. Rurſum ſecundo ſub opinione & lite verſatur, codiceſnè Hebraici fuerint corrupti, nec nè, vt ex ſuperioribus conſtat: igitur quantumuis incorruptos codices eſſe quis tueatur, non ſine metu & formidine deprauationis id credet, cum in opinione nulla ſit certitudo, vanaque firmitas. Cur ergo audebit quis dicere à vulgata editione, iuditio ſanctæ Synodi pro authentica habita recedendum eſſe, & recurrendum ad Hebraica volumina; quæ opinatiue timentur corrupta? Neque hanc partem minus confirmat id quod ſtatuimus in prima propoſitione, ex conſenſu omnium auctorum vtriuſque ſententiæ ſuperius poſitæ; ne-

tæ; negari ſcilicet non poſſe in aliquibus locis particulari deprauatione nonnullos codices eſſe corruptos, ex hoc verò licebit colligere, maxime timendum eſſe de quocunque loco in particulari, in quo non conueniunt Hebraica exemplaria & Latinus codex, an ſit de illis locis, quæ deprauata putantur. Quomodo ergo Theologus, vel quicunque alius poterit deuiare a vulgata editione & recurrere ad Hebraicum codicem, niſi leuiter iudicet relictis certis & fide dignis libris, ad incerta confugiendum eſſe volumina? Simili argumento vtitur D. Auguſtinus in Epiſtola ad Hieronymum, quæ eſt inter alias. 8. vt probet nullũ contineri mendacium in ſacris litteris. Mihi (inquit Auguſtinus) videtur exitioſiſſime credi aliquod in ſanctis litteris heberi mendacium, quia admiſſo ſemel in tantæ auctoritatis faſtigium aliquo officioſo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit; quæ non cuicunque videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis. Non diſſimiliter nos ratiocinamur, aſſerentes, quòd ſicut de corruptione vnius partis opinari licebit, ita & de ceteris eius partibus, in quibus non eſt inter vtrumque codicem conſonantia, ſuſpicari vel dubitare mirum non erit. Neque ſanctorum Patrum Hieronymi, Auguſtini, & aliorum ſententiæ his contradicunt, quoties ad Hebraica volumina recurrendum arbitrantur, loquunturque pro tempore illo, quo erat Latinorum codicum varietas & corruptela, & in quo nulla erat tamquam authentica habita translatio. Idque vnicuique eo vſque permiſſum fuit, donec vniuerſalis Eccleſiæ auctoritate eſt introductum, editionem vulgatam ſuo fonti conſonam eſſe. Sequentibus verò temporibus, in quibus ceteris translationibus paulatim ab vſu deficientibus permanſerat Eccleſia in ſimplicitate & puritate vulgatæ translationis, non erat tanta neceſſitas recurrendi ad Hebræi ſermonis codices & exemplaria, & ob id poſita fuerunt in ſuperiori aſſertione illa verba, his noſtris temporibus. Ex quibus omnibus licet nobis colligere hæc duo inter ſe non repugnare, & Hebraicos codices communi Iudęorum conſenſu ac omnium illorum induſtria non eſſe deprauatos, & ad illos recurrendum non eſſe in controuerſijs, lectionibus, & diſputationibus. Reſtat modò argumentis vtriuſque ſententiæ ſatisfacere; quia quamuis in aliquo cum vtraque conueniamus, partim vtriuſque dictis contradicimus & repugnamus.

Quomodo intelligendi S. Patres cum dicunt recurrendũ ad Hebraic. vel Gręcos codices.

Soluuntur argumenta primæ ſententiæ. Soluitur primum argum.

Ad primum igitur eorum, quæ pro prima ſententia adducta fuere, & in quo adducebantur aliqua teſtimonia, quæ inter ſeſe non videntur conſona, & in primis ad illud, quod ex Geneſ. cap. 6. adducebatur, Reſpondetur, quòd vt conſtat ex Hieronymo in quæſtionibus Hebraicis ſuper Geneſ. in antiquis Hebræorum codicibus, vbi noſter interpres tranſtulit, *Non permanebit ſpiritus meus in homine*. erat eadem uox Hebræa ידון Iadon, quę modo eſt in Hebræorum exemplaribus. quare nulla eſt inter Hebraicos codices in ea parte generalis diſſonantia. Et adeo hoc uerum eſt, ut eodem loco Hieronymus increpet Septuaginta interpretes, eo quod tranſtulerint, *Non permanebit ſpiritus meus in homine*, cum potius deberent transferre, Non iudicabit. Secundo dicitur quod illa uox Hebraica ידון aſſerentibus Rabbinis peritiſſimis preſertim Rabbi Dauid in libro radicum, & referente Sancte Pagnino in Dictione דן, Dun, poteſt deriuari & deduci vel, à נדן Neden, quod ſignificat vaginam, vel à verbo דן, Dun, quod ſignificat

A ſignificat iudicare, litigare, vel contendere. Vnde illa vox ידון, Iadon, eſt indifferés, vt poſſit interpretari vtroque modo. Primò ita vt poſſit cum Septuaginta transferri, non erit ſicut in vagina, ſeu non continebitur, aut permanebit ſpiritus meus in homine. Et ſecundò ita vt cum D. Hieronymo poſſit verti, nō iudicabit, ſeu contendet, aut litigabit ſpiritus meus in homine. Sed diuerſus ſenſus eſt, ſi hoc vel illo modo transferas. Quoniam ſi legas; *Non permanebit*, ſenſus eſt, quaſi Deus minaretur ſe humanū genus, hominesque ferè omnes vita priuaturum, quia carnales carniſque voluptates, & illecebras ſequerentur. Si vero ſecūdo modo legas, non iudicabit, tunc ea verba habent ſenſum miſericordiæ plenū, quaſi Dominus declararet ſe perpetuò non iudicaturum, aut contentioſè ſe habiturum cum homine, neque ſe perpetuò geſturum perſonam iudicis ſe-
B ueri, ſed iudicis perſona depoſita, patris affectū aliquando fore habiturum. Et addit cauſam, *Quia caro eſt*, ideſt, quia homines ſunt, infirmi, & inbecilles, multiſque vijs ad vitia, & ſcœlera prouocantur. Cui ſententiæ valde conſonat illud Pſal. 102. *Non in perpetuum iraſcetur, neque in æternum comminabitur*. Quod eſt idem cum illo; *Non iudicabit ſpiritus meus in homine*, & ſtatim paucis interiectis ſequitur in Pſalmo; *Quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum, & recordatus eſt, quoniam puluis ſumus*. Quod eſt idem cum illo, *Quia caro eſt*.

Ad illud ex Geneſ. cap. 8. de Coruo, qui ex lectione antiquorum exemplarium; *Egrediebatur, & non reuertebatur*. Reſpondetur, quod, vt oſtendit Aloyſius Lyppomanus Cathena in Geneſim ſuper eiſdem verbis, verba Hebræa, quę continentur in eo capite licèt affirmatiua videantur, quamdam negationem
C includunt. Nam, cum dicitur in Hebraica veritate; Coruus egreſſus eſt egrediendo, & redeundo, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram, includitur hæc negatio, quod poſtquam ſiccatæ ſunt aquæ, nōn reuertebatur, ita vt primo egreſſu circa arcam volitaret, ac ſi regredi vellet, donec ſiccarentur aquæ, inde perfectè egreſſus, non eſt amplius reuerſus. Et ſic optime conſonant exemplaria huius ætatis cum antiquis. Immo in aliquibus codicibus Latinis manu ſcriptis eſt varietas in vulgata editione, vt annotarunt Theologi Louanienſes in Biblijs Antuerpiæ excuſſis, legunt enim aliqui; *Dimiſit Coruum, qui egrediebatur, & nè reuertebatur donec ſiccarentur aquæ*. Simili, etiam modo legunt Gręci codices. Conueniunt tamen in lectione negatiua *Non reuertebatur*. Hieronymus, ad verſus Luciferianos, & in Epiſtola ad Occæanum. Cyprianus aduerſus Noua-
D tianum. Ambroſius lib. de Noe & arca cap. 17. Auguſtinns tractatu 8. ſuper Ioannem. Chryſoſtomus ſuper illum locum Geneſ. & Euſebius in Chronicis.

Ad illud ex Pſal. 13. in quo deſunt illi verſus, *Sepulcrum patens eſt guttur eorum, &c.* Reſpondent aliqui, verum eſſe eos verſus non reperiri apud Hebræos, vt adnotauit Hieronymus commentarijs in eumdem Pſal. & Titelmanus in adnotationibus Hebraicis, aſſeritque vterq; numquā in aliquo codice Hebraico repertos fuiſſe, immo neq; contineri in trāslatione Septuaginta, vt conſtat ex codice Cōplutēſi, tū etiā q̄a Chryſoſtomus, Theodoretus, Euthymius, & Arnobius enarrantes illū Pſalmum, nullā faciunt de illis verſibus mentionē. Et quando obijcis Paulum illos citantem, reſpondet Hieronymus in præfatione lib. 16. in Iſaiam, & in Pſal. 13. Sępæ Apoſtolos, & Euangeliſtas ex diuerſis teſtimonijs veteris

An deſint in Pſal. 13. aliqui verſus.

F teſtamen-

teſtamenti vnum teſtimonium effeciſſe, ſicut in Actis Apoſtolorum, cap. 1. illud teſtimonium, quod citat Petrus ex libro Pſalmorum, *Fiat commoratio eius deſerta, & non ſit qui habitet in ea, & epiſcopatum eius accipiat alter*, partim eſt de ſumptum ex Pſal. 8. partim ex Pſal. 108. Non diſimiliter idem contigit Paulo in illo cap. 3. vbi cum propoſuiſſet omnes tam Iudæos, quam Græcos ſub peccato eſſe; ad id probandum citauit priores verſus Pſal. 13. nempè; *Non eſt intelligens neque requirens Deum*, & ſtatim adiecit alios verſus collectos ex varijs Scripturæ locis, multum ad ſuum propoſitum pertinentes; videlicet; *Sepulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant*, quæ deſumuntur ex Pſal. 5. rurſus; *venenum aſpidū ſub labijs eorum*, ex Pſal. 139. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt*, ex Pſal. 9. quod ſequitur; *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinē, contritio & infelicitas in vijs eorum, &c*. Partim deſumitur ex Iſaia cap. 59. partim ex Pſal. 35. Contra hoc vero inſurgit Lindanus, lib. 1. de optimo genere interptetandi Scripturas cap. 3. his verbis. Conſtat quod olim in Hebraicis lectum fuerit codicibus, ſicut Paulus legit ex Pſal. 13. quoniam hiſce oculis (ait ille) vidi ipſe meis vetuſtiſſimum quoddam Pſalterij exemplar Hebraicū, quod D. Auguſtini Epiſcopi illius Cantuarienſis, qui Angliam à Pelagianiſmo repurgauit ante annos circiter 950. fuiſſe creditur, & obſcuriſſima ob antiquitatem loquitur inſcriptio, vbi locus iſte in contextu in hunc modum legitur totus atque integer, quem hic ſubtexuimus, ne ſtudioſorum hominum animes deſideratus excruciet.

A B

FRAGMENTUM PSALMI XIII.

nunc demum repertum; in codice quodam Anglicano. C

Aduerte fragmentum hoc eodem omnino modo eſſe trā ſcriptū, ſicut erat in codice Lindani, & ideo cum omnibus mendis (quæ plura ſunt) poſitum.

קבר פתוח גרונם לטונם יחליקון
חמת עכשוב סחת לשונם:
אשר פיהם אלה ומרה מלא
קלו רגליהם לשפוך דם
סול רע ופגערע ברדניהם
ודרך שלום לא ידעו
אין פחד אלוהים
לנגד עיניהב

D

Licet autem codex ille vetuſtiſſimus D. Auguſtini Anglicanus puncta, quæ hic vides, non habuerit; nos tamen ea ſcribenda duximus in ſtudioſorum gratiam, eo plane modo, quo ipſa vidimus rubrica, cæruleo & pariſino appicta, ſed longe recentius, quàm ipſe Pſalmorum contextus: vt videant longe aliam punctorum rationem, atque nunc eſt apud Iudęos. Totum enim illud Pſalterium nullum habet ּ aut ׁ ſed ſemper ּ & ב. Neque nomen יהוה, Ieoua, hiſce vmquam exprimitur litteris, ſed tantum, ,',. aliaque plurima ſunt in eo codice cognitu digniſſima. Hæc Lindanus. Sed hæc a viris doctis, vt apocrypha reijciuntur, videatur Ioanes Iſac contra ipſum Lindanum, in præſentia ſat nobis ſit, tempore Hieronymi exemplaria Hebraica eius Pſalmi ita legiſſe, ſicut

modo

A modo habent Hebræorum codices, ne fateantur Iudæorum communi ſententia & data opera codices fuiſſe corruptos. Verum tamen caſu & ſcriptorum incuria ac negligentia in Hebraicis codicibus; etiam in ijs, qui D. Hieronymi temporibus circunferebantur, defecerint illi verſus, difficile eſſet iudicare. Sed non eſt ita magnũ argumentum vnum repertum exemplar Anglicanum, neque ita authenticum, vt contra Hieronymum & omnes auctores de hac re ſcribentes aſſerere debeamus, illud integrum eſſe exemplar & fide dignum; præſertim cum ex ijs, quæ Lindanus ſtatim adiecit de modo ſcribendi nomen illud יְהוָה Ieoua, per triplex, '. Iod, conſtet nõ poſſe eſſe ita antiquum illud exemplar. Cum apud Hebræos in confeſſo ſit, formam iſtam ſcribendi ineffabile nomen, cœpiſſe à 500. annis, & poſt 400. & amplius, quàm ſcriptum ille credit, exemplar fuiſſe
B Anglicanum. Suntque quamplura huiuſcemodi turbulentis iſtis temporibus a multis conficta, & tamquam vetuſtiſſima diuulgata, & poſteritati relicta; vt eis antiquiora exẽplaria mutila & manca oſtentent, quibus facile nõ eſt fides adhibenda. Neque dicere prætermittam id, quod in poſitis verſiculis Hebraicis, quilibet eius linguæ peritus facile cognoſcet. ſunt enim multi defectus (forſan ex impreſſoris & correctoris vitio.) Nã in primo verſu vbi ponit᷑ dictio לְאֹתָם, Lethonam, poni debuerat dictio לְשׁוֹנָם Leſonam. per ש, & non per ט. & in quinto verſu vbi eſt dictio בְּדַרְנֵיהֶם, Bedarnehem, eſſe debuerat vox בְּדַרְכֵיהֶם, Bedarchehem, per כ. & non per נ, & in verſu ſexto ſub dictione שָׁלוֹם Salom, ſuperfluit punctum raptum ֱ Hateph ſegol, & Denique in vltimo verſu ponuntur tamquam duæ dictiones diſtinctæ עֵינֵי הֵם:, Nene Him; cum potius debeat eſſe
C vnica dictio, & loco הֵם, debeat eſſe הֶם, quod eſt pronomen affixum illi dictioni, ſuntque alij errores. Quod ſi vrgeas, aſſerens eos verſus contineri in Pſal. 13. noſtræ vulgatæ translationis. Reſpondet Hieronymus loco citato eos, qui ignorabant artẽ, qua vtebantur Apoſtoli in contexendis varijs ſcripturæ locis non inuenientes aliquem certum locum ubi reponerent integrum Pauli teſtimonium, in Pſal. 13. poſuiſſe, cum potius ex pluribus locis collectum intelligere debuiſſent. Non placet hæc ſolutio Cochlęo lib. de Canonicæ ſcripturæ auctoritate, forſan quia videtur derogari vulgatæ editioni. Sed nulla videtur ei translationi inferri iniuria dummodo omnia, quæ in ea continentur, tamquam canonica recipias, atque ea, quæ citantur ab ſcriptore canonico ex alio ſcripturæ loco deſumpta affirmes; quod enim ex hoc, vel illo loco deſumpta aſ-
D ſeras verba, quæ indifferenter citantur, parum videtur referre, præſertim ſi Sanctis Patribus, ſic ſentientibus adhæreas.

Neque inſuper verum eſt in Pſal. 21. pro כָּרוּ Caru poni כָּאֲרִי, Caarij conſtat hoc eſſe falſum in codice Complutenſi, vbi legitur Caru; & ita etiam legit Pagninus in ſuo Theſauro, dum explicat dictionem אָרָה, Arah; & in additionibus ad Pagninum, eſt elegans pro hac re aduotatio. Vnde recte translatum eſt; *Foderunt manus meas, &c.* Immo adhuc ſi ſit dictio כָּאֲרִי Caari, idem eſt omnino ſenſus; nam qui transferunt; *Sicut leonis manus mea & pedes mei,* dicunt debere ſuppleri verbum, ac ſi dicamus: *Dilacerauerunt manus & pedes clauibus; ſicut leonis crudeliſſimi vnguibus fieri ſolet.*

Illa verò teſtimonia, quæ ex Iſaia, & Ieremia opponunt, vbi pro, *Vocabitur*, ponitur,

nitur; *Vocauit*, ſic aliqui accipienda exiſtimant, quod verbum tertiæ perſonæ A inter Hebræos in actiua voce aliquando eſt indiferens ad ſignificationem actiuam & paſſiuam. Ita adnotauit Forerius in cap. 9. Iſaiæ, & ſic Geneſ. cap. 16. vbi aliqui legunt; *Vocabitur nomen puteo*, & Leuitic. cap. 13. *Immundus, immundus vocabitur*, & alibi ſæpe, ponitur verbum ויקרא Vaicra, quod in rigore ſignificat, & vocauit: & tamen interpres tranſtulit, & vocabitur, in paſſiua ſignificatione. Quare, inquit, ſi omnia recte perpendantur, & periti Hebraicæ Linguæ conſulantur, ſæpius loca, quæ inter ſeſe videntur pugnantia, ſenſu & ſignificatione conſona inuenientur. Sed certè hæc conſone non dicuntur; tum quia in locis citatis non poſuit interpres, Vocabitur, vt videre eſt; tum quia nullus aſſignabitur locus in ſacra Scriptura, in quo pro vocabit, ſeu vocauit, poſitum ſit vocabitur, neque Sanctes Pagninus, qui diuerſitatum ſimilium ſcrutator di- B ligentiſſimus fuit, ſimile aliquid innuit, vt videre eſt in dictione קרא Kara. Quam ob rem crediderim, mendoſum eſſe codicem Hebraicum, quo nunc vtimur forſan ex Typographorũ negligentia, ſiue alicuius malitia, iuxta ea, quæ in prima propoſitione diximus.

Ad ſecundũ Principale. Secundum etiam argumentum de diuerſis carminũ generibus, quibus olim veteris teſtamenti libri fuere compoſiti ex ignorantia Habraicæ poeſeos procedit; ſicut antiquitus conſimili de cauſa Iulianus Apoſtata ſe ipſum decepit, vt conſtat ex Cyrillo, lib. 7. aduerſus eumdem Iulianum, accuſans Euſebium Cæſarienſem, quod varias ſpecies carminum in ſacris litteris inueniri falsò perſuaſerit. Siquidem diuerſa illa carminum genera, quæ in Scriptura haberi commemorant Hieronymus, Euſebius, ac Ioſephus, alio diuerſo modo intelligenda C ſunt: neque accipienda ac ſi ſint eiuſdem omnino generis cum carminibus noſtrorum poetarum. Immo potius verſus inter Hebræos differunt à noſtris variata pedum qualitate, ſitu & ordine. Quæ plane omnia nunc ad vnguem examinare longum & ſuperuacaneum eſſet. Si quis tamen illorum deſiderio tenetur, legat Hebræorum poetas; præſertim Rabb. Scælemo, cognomento Gabirol, & Rabb. Ioſephi. Satis etenim ſit modo nobis ſcire eodem genere verſuum & rythmorum exemplaria huius ætatis conſtare, quo tempore Hieronymi & aliorum Patrum conſtabant. Cur verò ſacri interpretes in transferendis diuinis litteris Hebraicorum carminum leges non ſeruauerint, cauſam aſſignat D. Auguſtinus Epiſt. 131. quæ eſt ad Memorium, his verbis: Neque enim, inquit, ex Hebræa lingua voluit numeros interpres exprimere; ne metri neceſſitate ab in- D terpretandi veritate amplius, quàm ratio ſententiarum ſinebat, digredi cogeretur. Certis numeris Dauidicos pſalmos conſtare credo, quia amauit vir ille ſanctus muſicam piam; & in ea ſtudia nos magis ipſe, quàm vllus alius auctor, accedit. Hæc Auguſtinus.

Ad tertium Ad illud autem, quod in tertio argumento tactum fuit de correctione illa facta à Scribis, quam appellabant Tikum ſophrim, reſpondeo omnia illa eſſe deliramenta & mendacia deſumpta ex libris Thalmudicis, de quibus & illud, quod olim Ieremias cap. 8. de ſapientibus Iudæorum dixerat, optime dicere poſſes: *Vere mendacium operatus eſt ſtilus mendax Scribarum*. Neque enim eſt vero ſimile illã correctionem factam fuiſſe, & Hieronymum, Origenem, & alios Patres latuiſſe: immo

; immo manent Hebraici codices ſine talibus correctionibus, vt intuenti facile conſtare poterit.

Quartum inſuper argumentum, quod conſtabat teſtimonijs Sanctorum Patrum, aſſerentium aliquos codices a Iudæis fuiſſe corruptos, & in aliquibus locis deprauatos, & detruncatos primam noſtram aſſertionem confirmat. Solum etenim negamus, omnes in vniuerſum codices communi Iudæorum conſilio, & induſtria labefactatos. Namque ſi omnia Hebraica exemplaria & correcta adinuicem conferantur, facile ab homine Hebraici ſermonis perito & gnaro in vno, vel altero inuenientur ea omnia, quæ tempore Hieronymi in antiquis illis codicibus legebantur. Et quidem inter Patrum teſtimonia in eo argumento adducta, primum erat teſtimonium Iuſtini Philoſophi & Martyris, qui plus B alijs videtur nobis contradicere: ſed bona tanti Doctoris venia dixerim, quæ obijcit non faciunt contra nos. Nam ipſe aſſerit ex textu ſeptuaginta interpretum Magiſtros Iudæorum aliqua loca abſtuliſſe: hic vero nos non loquimur de textu ſeptuaginta interpretum, ſed de veritate Hebraica. Et accedit, quod in Pſalm. 95. nuſquam legitur particula illa (à ligno) non ergo eſt erraſa illa particula a Iudæis. Ad id vero quod obijcit, de dictione illa, עַלְמָה Gnalmah, quę nunc poſita eſt in Iſaia cap. 7. vbi nos legimus; *Ecce virgo concipiet*, dicendum eſt, eamdem particulam tempore Hieronymi reperiri in illo loco, teſte eodem Hieronymo ibidem. Quæ vox non ſolum (inquit Hieronymus) ſignificat in ſacris litteris virginem: ſed illam virginem, quæ adeo occulta & a virorum conſortio ſemota eſt, vt illorum conſpectibus numquàm patuerit, & cuius turpitu C do (vt loquitur Scriptura) nondum reuelata eſt. Explicuit hoc exacte Forerius commentarijs in locum Iſaiæ, vbi adducit loca ſcripturæ, in quibus vox illa Gnalmah. virginem ſignificat, præſertim Geneſ. cap. 24. ubi de Rebecca dicitur: *Ecce Rabecca egrediebatur, puella decora nimis, virgoque pulcherrima & incognita viro*. Quod optime intelligentes ſeptuaginta interpretes, & vulgatæ editionis auctor tranſtulerunt; *Ecce virgo concipiet & pariet filium &c*.

Ad quartum

In Vulgata editione nullibi legiſ illa particula, a ligno in Pſal. 95.

Ad illud item de ſimilitudine litterarum, & inuentione punctorum, ac mutatione eorum, reſpondetur, variam & multiplicem eſſe ſententiam. Quibuſdam enim viſum eſt, vt refert Helias Leuites in lib. Maſoreth. ſiue traditionum Hebræorum, vocales litteras datas fuiſſe Moyſi in monte Synai, quando data fuit lex ſcripta digito Dei; tuncque eiſdem vocalibus litteris puncta ab ipſo Deo D affixa. Alijs vero, referente Petro Galatino lib. 8. de arcanis ſacræ ſcripturæ, cap. 8. multo aliter viſum eſt, cum doceant, Eſdram fuiſſe primum auctorem: quoniam, vt dicitur lib. 2. Eſdræ, cap. 8. Eſdras, alijs Leuitis circumſtantibus, legit coram omni populo legem, id eſt, aperte, clare, & diſtincte; ita vt adſtantes magnopere gauderent, eo quod edocerentur ex punctorum adinuentione, legem facilè legere. vtramque tamen ſententiam vterque auctor, friuolam reijcit. Et quam ipſi credunt communiorem, & probabiliorem; præſertim prædictus Helias Leuites ætate noſtra inter Iudæos Grammaticus doctiſſimus, ea eſt, anno 436. poſt templum ſecundò euerſum, hoc eſt apud nos anno Chriſti nati, & Iudæis ac gentibus miſſi 512. puncta a Rabbinis Thiberitis Paphalagoniæ Biblijs affixa & ſubpoſita. Id prolixe ſatis oſtendit prędictus Rabbinus. Sed cum de hac

Ad quintum

De punctoris ad inuentione inter Iudęos.

de hac re cæci certent Rabbini, neque nos aliquid certi habeamus, ſat nobis ſit in propoſito, viris Hebraicæ linguæ peritis conſtare poſſe, an habeant aliam lectionem volumina affecta punctis, quàm habuerint volumina tempore Hieronymi. Immo docent aliqui (inter quos vnus eſt Sixtus Senenſis loco ſuperius cit.) numquam ſibi contigiſſe videre uolumen aliquod Hebræorum, in quo puncta litteris addita aliam & diuerſam redderent verborum ſignificationem ac ſententiam; ab antiqua ſignificatione & ſententia, quàm tempore Origenis, Euſebij, Epiphanij & Hieronymi habuerunt. Neque negandum eſt, facillimum eſſe dictiones variati ex litterarum ſimilitudine, punctorum variatione, & uocum æquiuoca ſignificatione. Facilitas tamen hæc magno labore, ſumma cura, & incredibili diligentia a Iudæis olim vincebatur. Superandaque erit ſimiliter hac ætate a quocunque nitente in Hebraica peritia progreſsus facere. Et hæc quidem in ſolutionē primæ ſententiæ, ac rationū illius dixiſſe ſufficiat.

Solutio rationum ſecundæ ſententiæ. Rationibus verò, quibus vtuntur auctores ſecundæ ſententiæ non erit operoſum ſatisfacere. Prima etenim ratio ſolum probat, tempore Sanctorum Patrū conceſſum eſſe ad exemplaria Hebraica (ſi qua quæſtio inter Latina exemplaria exorta fuiſſet) recurrere. Poſt Concilij verò Tridentini tempora iam perijt, abolituſque eſt talis recurſus, cuius rationem reddidimus, dum confirmaremus vltimam aſſertionem. Secunda ratio præcipuam ex vtilitatibus, quæ ex peritia Hebraicæ Linguæ deſumitur, demonſtrat. De quibus late egit M. Cano lib. 2. de locis, cap. 15. eſt enim adeo conciſsa lingua Hebraica, vt ex vnica clauſula plures ſæpeſepius ſenſus depromantur, quorum interpres vnicum ſolum reddere potuerit.

Tertium argumentum, quo vtuntur auctores ſecundæ ſententiæ petit difficultatem; cuius certam explicationem intelligere, quamplures ex Theologis doctioribus (me id ſępeſepius audiente) vehementer deſiderant. Quod nempe fuerit inſtitutum Concilij Tridentini, dum ſeſſ. 4. Can. 2. hæc ſtatuit: *Conſiderans ſancta Synodus non parum vtilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat; ſtatuit & declarat, vt hæc ipſa vetus atque vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum vſu probata eſt, in publicis lectionibus, loquutionibus, & prædicationibus pro authentica habeatur, & nemo illam quouis prætextu reijcere audeat & præſumat.* Quid, inquam, ſtatuat Concilium, cum hanc vulgatam editionem vult haberi pro authentica. Et certe ego Theologorum minimus, ne in audaciæ crimen vocer, quòd in re tam difficili & obſtruſa vltrò ſententiam dicam, ſolum aliorum placita, pro vt breuitas temporis, & optatus huius quæſtionis finis expoſcit, referam.

Quod fuerit intentum Concilij Trident. cum vulgatā editionem docet authenticam.

Diuerſa Concilij explication. prima. Aliquibus itaque viſum eſt Concilium, cum declarat, editionem vulgatam eſſe authenticam, voluiſſe declarare in illa non contineri aliquem pernitioſum errorem, neque aliquam ſententiam falſam, & veriùs atque propriùs exprimere ſenſum ab Spiritu ſancto inſtitutum, quàm exprimat vlla alia translatio latina. Quamobrem docent hi auctores, non anteponere Concilium hanc vulgatam editionem Hebraicis codicibus; neque intercludere aditum ſtudioſis vulgatam editionem alicubi emendandi per originales fontes, aut interpretandi commodius in aliquibus locis. Ad quod aſſerendum mouentur ex eo, quod ſi

intentum

A intentum Cõcilij fuiſſet ſingula verba, & ſingulas interpretationes approbare, doceret verba illius editionis eſſe translata ab auctore ſpiritum propheticum habente, & ſine dubio adieciſſet in illo decreto verbum, *Anathema*, quod viſitatum valde ſemper fuit Concilijs, cum aliquid tamquàm de fide definiunt. Hoc verò non fecit; quoniam nil aliud nitebatur, quàm quod dictum eſt. Et huius quidem ſententiæ eſt Andreas de Vega loco ſupra citato, & eum ſequuntur aliqui ex iunioribus Theologis.

Alijs placet, Concilium per authenticam editionem intelligere translationem, in qua, non ſolum verus ſenſus & ſententia ſine pernitioſo errore exprimitur: ſed & in qua ille etiam ſenſus, quem intendebat Spiritus ſanctus in originali ſcriptura, contineatur. Quapropter recurrendum iam non eſſe ad *Secunda explicatio.*
B Hebraicos codices docent. Addunt tamen, interpretem aliqua vertiſſe obſcurè & minus aptè, quæ potuiſſent clarius & aptius verti. Cuius ſententiæ eſt M. Cano lib. 2. de locis cap. 13. Titelmanus in Apologia pro veteri interprete, & Lindanus, lib. 1. de optimo genere interpretandi Scripturam cap. 1. & 9. & alibi ſæpius.

Alij demum affirmant, authenticam editionem tamquam canonicam atque inſtinctu Spiritus ſancti conſcriptam, & neque in minima re deuiam ab eo, quod Spiritus ſanctus intendebat, intelligi debere; nihilque in ea eſſe, quod nõ ſit ſcite, rectè aptèque verſum, ac omnes voces recipiendas eſſe, perinde ac ſi eſſent originalis Scripturæ. Quoniam ad diuinam prouidentiam pertinebat, vt ſacræ litteræ fideliter in Latinum ſermonem traducerentur in Eccleſia Romana *Tertia explicatio.*
C Latina; quoniam erat caput aliarum Eccleſiarum, eaſque dirigere & docere debebat. Etenim ſi ſolum Scripturam retineret in Hebræa, vel Græca Lingua, haberet veluti ſapientiam inuiſam, & ſicuti theſaurum abſconditum; de quibus dicitur Eccleſiaſtici, cap. 20. *Quæ vtilitas in vtroque?* quaſi dixerit, nulla. Diuina autem prouidentia numquam defuit Eccleſiæ in neceſſarijs: cum habeat promiſſionem de adſiſtentia Spiritus ſancti, iuxta illud Ioan. cap. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum.* Vnum autem ex maximè neceſſarijs in Eccleſia eſt integritas Scripturarum, fideliſſimaque earum translatio, tamquàm vnum, & certum fundamentum ac infallibilis regula, credendum eſt igitur, Deum dediſſe Romanæ Eccleſiæ veram, fideliſſimam, & canonicam in omnibus & ſingulis translationem. Quam Concilium Triden-
D tinum eſſe vulgatam illam & antiquiſſimam editionem definiuit & declarauit. Vnde temerarium, inquiunt, videtur vllo pretextu adhuc in minimis eam emẽdare per Hebraicos, ſeu Græcos codices.

Hæc ſunt in decreti explicatione placita. Sed quantumuis audax iudicer, illud obiter fateri non ſinam, quod ſuperius dicere cœpi, priorem ſententiam mihi numquam placuiſſe, neque placitum iri (niſi ab Eccleſia aliud definiretur tenendum). Quoniam ante Concilium Trident. omnes Catholici vulgatam editionem fatebantur mundam ab omni prorſus errore & ab omni ſententia pernitioſè falſa: & denique ponebant in illa ea omnia, quæ modo ponunt auctores primæ explicationis, vt videre eſt apud Driedonem, qui ante annũ 1533. expletum, lib. 2. de eccleſiaſticis dogmatibus cap. 1. declarat, hanc eſſe Theologorum *Exploditur prior explicatio.*

logorum sententiam, quam isti post definitionem Concilij Trident. anno Domini 1546. celebratam, tenent. Quid ergo amplius tribuunt post decretum Concilij? Numquid frustra illud decretum à Patribus positum existimant? Numquid incommodis, & querelis, quæ ex recursu oriuntur ad alios codices, vt inde sic vel aliter legas, & emendes, non obuiasse sacrosanctum Concilium arbitrantur? absit. Immo potius credendum apparet, nihil aliud præcipue Cõcilium voluisse eo decreto, quàm occurrere & obuiare his hallucinationibus & ambiguitatibus, diuersisque istis transferendi modis, quos isti auctores conantur introducere. Vtra tamen sententia ex duabus posterioribus veritati magis consentanea sit, peculiarem & hac nostra longiorem postulabat disputationem. Sed sufficiat modo nobis id obiter tangentibus tertiam & vltimam sententiam tamquam securiorem & veriorem amplectendam, reliquasque reijciẽdas esse admonere, iuxta ea, quæ diximus in vltima propositione. Satque fuerit hoc loco pauca ista dixisse, vt recursum ad Hebraica exemplaria tolleremus. A B

Prolixior hæc controuersia fuit, quàm principio proposueram. Sed prolixiori opus erat, si omnia, quæ tetigimus suo pondere expendenda forent; sufficiat pro nostro instituto ea breuiter tetigisse.

POSTERIOR CONTROVERSIA SCHOLASTICA, Pro eodem Proponente, & in ordine secunda fuit.

Per quid peccatum intrinsice constituatur in esse peccati. C

S V M M A E I V S.

Peccati actualis constitutiuum formale non esse solam priuationem rectitudinis contra Scotum; neque rem tantum positiuam, contra plures Thomistas, & præsertim contra Caietanum: sed potius illud esse positiuum simul cum priuatione, comprobatur. Neque in eo aliquam inueniri repugnantiam ostenditur. Postmodum verò secunda parte Hæreticorum reiectis erroribus, plures Scholasticorum adducuntur sententiæ circa quidditatem originalis delicti, quibus vt parum idoneis confutatis, eam, quam probabiliorem credimus, adducimus & explicamus.

DISPVTATIO hæc Scholasticis Doctoribus adeo semper difficilis visa est, vt etiamsi in ea explicanda sæpesepius laborauerint, multaq; in eius dilucidatione scripserint, restet adhuc in nobis appetitus & desiderium inueniendi aliquid, quod vim difficultatis omnino euacuet; eoquè intellectus, peccati cuiusque quidditatem clarius percipere valeat. Conabimur igitur, fauente Deo, post reiecta & confutata multorum placita, constituere illa, quibus difficultatẽ aperiamus, fugiamusq; simul inconuenientia omnia, quæ in hac disputatione quemcunque, quantumuis doctum premere solent. Sed quoniam peccati actualis essentiam, & originalis delicti quidditatem indagare nitimur, vt plenius præfixo Controuersiæ titulo satisfiat, præsentem controuersiam in duas partimur partes. In quarum priori declarabimus quid sit actuale peccatum. In posteriori verò & vltima de originalis culpæ essentia, formalique ratione instituetur sermo. D

Duas partes habet ista Cõtrouersia.

Priori parte de quidditate

Pro prioris igitur dilucidatione, præmittere oportet, nos hoc loco solum disputare.

A ſputare, de peccato commiſſionis, non de peccato omiſſionis; nam hoc ſine
dubio ſecundum ſuam rationem formalem & intrinſecam non eſt aliquid poſi-
tiuum; quamuis inter Doctores controuertatur, ſit ne neceſſarium omiſſio-
nem in exercitio poſitam ſemper alicui actui poſitiuo coniungi. Igitur hęc pri-
or controuerſiæ pars procedit de culpis & peccatis, quæ commiſſionem inclu-
dunt contra præcepta negatiua, non autem de tranſgreſſionibus contra præce-
pta affirmatiua. Inter ea autem peccata commiſſionis nonnulla ſunt, quæ in-
cludere conuerſionem ad bonum creatum, & commutabile, eique annexam
eſſe auerſionem a Deo & bono incommutabili, nemo dubitat: quod verumq;
reſpectu eiuſdem peccati elegantiſſimè depingit Ieremias, cap. 2. dicens. *Obſtu-
peſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala*
B *fecit populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ:* Ecce auerſionem, *& foderunt*
ſibi ciſternas: Ecce conuerſionem: *ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas*, &
infra in eodem cap. ſubdit, *Verterunt ad me tergum, & non faciem: & in tempore*
afflictionis dicent, Surge & libera nos. Et demum Zachariæ cap. 7. *Noluerunt*, inquit
Propheta, *attendere, & auerterunt ſcapulam recedentes: & aures ſuas aggrauauerunt, ne*
audirent: & cor ſuum poſuerunt vt adamantem ne audirent legem Domini. Sed præter
conuerſionem tribuunt rurſus omnes Theologi peccato priuationem rectitu-
dinis debitæ ineſſe ſecundùm conformitatem ad rectam rationem: niſi enim
humanus actus debita ad ſuam regulam conformitate careret, peccatū non eſſet.
Vnde horum, quæ in peccato reperiuntur, præcipua comprehendit, & eſſentia
lia D. Auguſtinus vnica finitione, lib. 22. contra Fauſtum. cap. 27. ab eoque ac-
C cepit Magiſter, lib. 2. ſent. diſt. 35. dicens, Peccatum eſt dictum, vel factum, vel
concupitum contra legē Dei: ſed ex his omnibus, quæ in peccato inueniuntur,
quid illud ſit, quod peccatū formaliter conſtituit, & quod in ea finitione per illā
particulam: *Contra legem Dei*, loco differentiæ poſitam, intelligatur, inter Scho-
laſticos controuertitur. Sit ne conuerſio ad bonum commutabile, vel priuatio
debitæ rectitudinis. Inter explicandas verò præcipuas huius controuerſiæ opi-
niones, quid ſit iuxta vnamquamq; ſententiam tamquam materiale ponendū, &
quid tāquam formale, perpetua huius controuertiæ ſerie exponemus. Hoc vnō
ante oculos ſemper poſito, nos loqui de peccato in genere moris, non naturæ:
& ideo iuxta genus moris aſſignandū ſemper erit materiale & formale peccati.

peccati actualis, & commiſſionis.

In peccato reperiuntur conuerſio ad bonum commutab. auerſio à Deo & priuatio rectitudinis.

De hac itaq; difficultate eſt prima & celebris ſententia Scoti in 2. lib. ſent. diſt.
D 35. & diſt. 37. q. vnica, Henrici de Gandauo, quodlib. 1. q. 25. Marſilij in. 2. q. 21.
art. 1. Grabielis in 2. diſt. 35. q. vnica, att. 2. & ante hos fuit Althiſiodorenſis lib. 2.
ſuæ ſummæ, tract. 26. cap. 3. q. 1. incidenti, quos omnes ſequitur Driedo, lib. de
captiuitate & redemptione generis humani, tractatu 2. fol. 25. Eorū omniū hæc
fuit ſententia, vt putarent, peccatum formaliter cōſtitui per priuationē rectitu-
dinis debitæ ineſſe. Vnde ſicut Logici ponūt, naturam humanā eſſe vniuerſale
po materiali, ſecundam verò intentionē eſſe vniuerſale pro formali, ita philoſo
fantūr illi auctores, aſſerentes conuerſionē & actionem realem circa obiectū in
debitū eſſe materiale peccati, priuationē vero rectitudinis eſſe formale illius. Et
ſicut ijdem Logici ponūt, naturā humanā eſſe ſubiectū capax denominationis
ꝓuenientis ab vniuerſalitate, & a ſecūda intētione, ita cōuerſio & actio, qua tēdit

Prima Scoti opinio De ratione formali peccati.

homo in obiectum indebitum denominatur ab illa priuatione rectitudinis. A
Quamobrem peccatum pro materiali erit res poſitiua, pro formali vero quid rationis & priuatio. Demum, ſicut ante operationem intellectus abſolute homines vere & realiter dicuntur cæci ratione fundaméti cæcitatis exiſtentis in ipſis, etiamſi cæcitas ſit formaliter priuatio & ens rationis: ita abſolute homines verè & realiter ſunt peccatores ratione cóuerſionis realis, quæ eſt fundamentú proximú illius priuationis rectitudinis debitæ in eſſe: quamuis peccatú & ipſa priuatio formaliter ſint entia rationis. Pro qua ſentétia præcipua arguméta ſunt hæc.

Argumenta pro opinione Scoti.

Primum ex auctoritate S. Patrum.

Primum deſumitur ex auctoritate ſanctorum Patrum vno ore dicentiú, peccatum eſſe nihil, & ex conſequenti non eſſe aliquid poſitiuum. Docet ita Leo Papa Epiſtola 93. ad Thuribium Auſturicenſem Epiſcopum, cap. 6. vbi in hæc verba loquitur: Vera & Catholica fides omniú creaturarum, ſiue ſpiritualium, B
ſiue corporalium, bonam confitetur ſubſtátiá, & mali nullam eſſe naturá. Quod dictú Auguſtinus ſæpeſepius repetit in ſuis operibus, præſertim lib. 2. de Ciuit. Dei c. 10. & in Enchyridio, cap. 12. & tractatu 1. in Ioanné, explicans illa verba Ioannis, cap. 1. *Sine ipſo factum eſt nihil*, ideſt, ſine ipſo factum eſt peccatú, quod eſt nihil. Et clarius lib. 3. Confeſſionum cap. 7. vbi ita loquitur: Recedens a veritate ire in eam mihi videbatur, quia nondum intelligebam malum, nihil aliud eſſe, quàm priuationé boni. Idem docet Damaſcenus lib. 2. fidei Orthodoxæ, cap. 4. & Anſelmus lib. de caſu diaboli, cap. 16. & lib. de conceptu virginali, cap. 5. Et tandem Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus late explicat; primò quid ſit malum in communi; ſecundò oſtendit, quid ſit malú in Angelis; tertiò agit de malo in animabus hominú. De malo quidem in cómuni ita loquitur: Omnia C
exiſtentia, inquátú ſunt, & bona ſunt, & ex bono, inquantú priuata ſunt bono, neq; bona, neq; ex bono. De malo verò in Angelis ita aſſerit: Quare, inquantú geli ſunt, & boni ſunt, & ex bono, & bonum & pulchrum deſiderant, eſſe, viuere, & intelligere, & priuatione & receſſione & caſu a conuenientibus ipſis bonis dicuntur mali. De malo denique in animabus noſtris ſic inquit: Si autem malas fieri animas dicimus, in quo malę fiunt? niſi in bonorum habituum & operationum defectu. Etenim & aerem, qui eſt ſuper nos, obtenebrari dicimus defectu & abſentia luminis. et tandem concludit: Non igitur neq; in Dęmonibus, neque in nobis eſt malum, ſicut exiſtens, ſed ſicut defectus. Conſtat ergo iſtum ſanctiſſimum virum de malo morali (ſub quo comprehéditur peccatum) eodem modo ſentire, ſicut de malo abſolute, quod ſit priuatio & defectus, nó verò quid poſitiuú. D

Secundú Argument. deducit ad inconueniens.

Secundò arguitur. Nam ſi formale conſtitutiuum peccati ponimus eſſe aliquid poſitiuum, incidimus in illud delirium antiquorum philoſophorum, relatum à S. Thoma, quæſt. 3. de potentia, art. 6. Etenim Empedocles omnia entia ad lité, & amicitiam, & ad propria principia boni & mali reducebat. Pythagoras duos ordines rerum, duoque principia ſtatuebat. Vnum bonum, aliud malum. Iſtum errorem primus ad Chriſtianos adduxiſſe fertur Simon Magus, & poſt hunc Manęs quidam Perſa, à quo Manichei ſectatores illius erroris appellati ſunt. Conſtituebant enim iſti duo vniuerſarum rerum principia. Aliud bonum rerum ſpiritalium, lucis & noui teſtamenti principium. Aliud verò malum, rerum corruptibilium, tenebrarum atque veteris teſtamenti initium. Quorum

omnium

A omnium error inde proceſſit, quia putarunt, mala eſſe entia omninò poſitiua, & quæ in cauſam primam poſitiuam deberent reduci. Vnde ſi conſtitutiuum formale peccati poſitiuum omnino ponamus in omnium horum errorem incidere videbimur. Quoniam illa entitas poſitiua, quæ conſtituit peccatum ab aliqua prima cauſa debet produci: ſed non a vero Deo; cum ille non ſit auctor culpæ. Ergo producetur ab illo malo principio tamquàm à prima cauſa, vel ſi neq; ab illo malo Deo, neque a vero Deo procedit, ſed a ſola voluntate deficiente (vt vulgò dicitur) iam aſſignatur aliqua entitas poſitiua, quæ non habet Deum pro prima cauſa; ſcilicet conſtitutiuum formale peccati. Hoc autem concedi non debet, quia vt recte docuit S. Thom. Prima Secund. quæſt. 79. art. 2. ex Dyoniſio. 5. cap. de diuinis nóminibus, omne ens cauſatur ab aliquo exiſtente B in actu; cum omne agens agat pro vt eſt in actu. Omne autem ens in actu reducitur in Deum, vt in primum actum: & ideo omne ens poſitiuum reducitur in primum ens poſitiuum; nempe Deum. Potius ergo aſſerendum erit, peccatum non conſtitui per poſitiuum, ſed per priuationem reſtitudinis, quæ procedit à mala & deficiente voluntate.

Tertiò probatur eadem ſententia. Quoniam illud appellatur conſtitutiuum formale alicuius rei, quo poſito ponitur & intelligitur eius quidditas, & quo remoto per abſtractionem præciſiuam, aufertur: ſed præciſa priuatione rectitudinis debitæ in eſſe, & poſita quacunque entitate poſitiua, non intelligitur peccatum; poſita autem illa priuatione, ponitur peccatum. Igitur illa eſt, quæ formaliter conſtituit. Si verò quis reſpondeat, ſatis eſſe, priuationem illam C conſequi & comitari ipſum conſtitutiuum peccati, ita vt non poſſit eſſe peccati conſtitutiuum ſine illa priuatione: ipſam tamen non eſſe conſtitutiuum formale. Contra. Hoc gratis dicitur, quia etiam ſi præſcindamus riſibilitatem a rationalitate, homo per ſolam rationalitatem tamquàm per integrum conſtitutiuum formale intelligitur conſtitutus, etiam ſi neceſſariò a parte rei ſequatur & comitetur riſibilitas rationalitatẽ. Ergo pari ratione, ſi illa priuatio rectitudinis eſt quid ſolum cõſequens rationẽ formalem ac conſtituentem rationẽ peccati, adhuc illa preciſa manebit peccatum in ſua integra ratione conſtitutum. Id autem eſt falſum, quia ante illam priuationem rectitudinis non eſt intelligere malũ & peccatum. Igitur illa erit ratio conſtitutiua peccati. Hæc ſunt præcipua pro hac parte argumenta: multa alia relinquo, quæ nullã his addunt difficultatem.

Tertium Argumentũ quo aperitur difficultas.

D Secunda ſententia fuit Alexandri Hallenſis 2. Part. quæſt. 12. menb. 1. & fere omnium Thomiſtarum, aſſerentium conſtitutiuum formale peccati eſſe aliquid poſitiuum, quod multis probare conantur.

Secunda ſententia Alexãdri Hallenſis et Thomiſtar.

Primum ex Ariſtotele in Cathegorijs, cap. de Qualitate, tex. 6. & in Poſtprædicamentis, cap. de oppoſitis, tex. 9. quibus in locis affirmat, iuſtitiam & iniuſtitiam non opponi priuatiuè, ſed contrarie: ſed iuſtitia conſtituitur per poſituum. Ergo & iniuſtitia; namque ambo contraria debent eſſe poſitiua. Et ſicut philoſofamur in habitibus, ſic etiam debemus philoſofari in actibus ab illis elicitis. Quare peccatum iniuſtitiæ erit formaliter poſitiuum ad Prædicamentum Qualitatis pertinens. Poteſtq; hæc ratio confirmari. Quoniam habitus iniuſtitię efficienter producitur ab actibus iniuſtitiæ: & iſti efficienter etiam

Probant primo ſuam ſententiam.

corrumpunt habitum iuſtitiæ. Igitur dicunt aliquid poſitiuum. Et Demum A
ipſe Ariſtoteles in præcitato cap. de Oppoſitis citato multipliciter probat, bonum & malum non opponi priuatiuè, ſed contrariè. Primò, quia inter habitũ & priuationem non eſt medium: at inter bonum & malum datur medium; cũ ſint actus ex ſua natura indifferentes ad bonum & malum. Ergo non opponũtur priuatiuè. Secundò, quia à priuatione ad habitum non eſt regreſſus; & tamen a malo ad bonum eſt regreſſus. Potius ergo illa opponuntur contrariè, atque ita vtrumque erit poſitiuum.

Loquitur Ariſtotel. reſpectu ſubiecti aptinati, vt docet Expoſitores eo loco.

Probant ſecũdo.

Secundò arguunt. Si peccatũ conſtitueretur per priuationem, vbicunq; eſſet priuatio eiuſdem ſpeciei, deberent peccata conſtituta eſſe eiuſdem ſpeciei: nam exiſtente eodem cõſtitutiuo formali, debet eſſe idem conſtitutum: conſequens autem eſt falſum; quia prodigalitas, & auaritia priuant eadem rectitudine, quæ B
deberet ineſſe & proficiſci a virtute liberalitatis, & tamen nõ ſunt eiuſdẽ ſpeciei.

Probant vltimo.

Demum id colligunt ex definitione peccati ab Auguſtino poſita, in qua peccatum dicitur actus contra legem æternam, quaſi ſit actus contrarius legi æternæ. Cum igitur contrarium ſemper debeat eſſe poſitiuum, peccatum quantũ ad ſuam rationem formalẽ poſitiuum erit. Et quamuis in hoc fere omnes Thomiſtæ conueniant: tamen in modo explicandi variæ ſunt opiniones.

Diuerſa explicationes inter Thomiſt.

Caietani explicatio, & eius fundamẽta.

Prima explicatio eſt Caietani Prima Secund. quæſt. 71. art. 6. quam, vt ponat, repetit illud, quod dixerat in eadem Prima Secund. quæſt. 18. art. 5. malũ dupliciter ſumi. Primò dicitur aliquid malum ſimpliciter & abſolutè, & iſtud malum formaliter eſt priuatio boni: ſicut cæcitas, & mors dicuntur mala ſimpliciter, quia ſunt priuationes bonorum. Et iſtud malum dicitur abſolute nihil, quia formaliter non dicit aliquod poſitiuum. Secundò aliquid dicitur malum moraliter, & eſt illud, quod nõ eſt malum per ſe & ſimpliciter: ſed potius quoddam bonum & ens: eſt tamen malum huic: ſicuti habitus intemperantiæ ſimpliciter eſt ens & bonum ſecundùm ſuam eſſentiam, tamen eſt malum homini. quemadmodum frigiditas ſimpliciter eſt ens & bonum: tamen eſt quoddam malum igni. Et iſtud malum formaliter & ſimpliciter eſt in ſpecie poſitiua, ſicut intemperantia, & frigus. C

Si obijcias Caietano.

Si obijcias Caietano. Malum morale continetur ſub malo ſimpliciter. Igitur ſicut malum ſimpliciter eſt formaliter priuatio & nihil: ita etiam malum morale formaliter erit priuatio & nihil. Probatur illatio: quia inferius ſub ſuperiori contentum non poteſt eſſe formaliter aliquid poſitiuum, quando ſuperius D
eſt nihil & priuatio.

Reſpondet.

Reſpondet, malum morale & malum ſimpliciter non ſubordinari tamquam ſuperius & inferius: ſed potius æquiuocè ſignificari nomine mali. Quemadmodum enim ſe habet ens æquiuocè reſpectu entis realis, & entis rationis: ita malum ſe habet æquiuocè reſpectu mali moralis, quod eſt ens reale ac poſitiuũ, & reſpectu mali ſimpliciter; quod eſt ens rationis. Quare (inquit Caietanus) inter iſta duo mala triplex verſatur diſcrimen. Primum eſt, quod malum morale eſt quid poſitiuum, & à Deo productum: malum verò ſimpliciter eſt quid priuatiuum & non a Deo. Secundum eſt, quod malum morale præſupponitur ad malũ ſimpliciter & priuatiue acceptum: & e contrario, malũ ſimpliciter &

Diſcrimina inter malũ morale & malũ ſimpliciter.

priua-

A priuatiue ſumptum conſequitur ad malum morale; quia intemperantia priùs habet, quod ſit contraria temperantiæ, quàm quod habeat priuationem rectitudinis, quæ eſt in virtute temperantiæ; illa enim contrarietas eſt fundamentum priuationis. Vltimum diſcrimen eſt, quod malum morale dicit inordinationem poſitiuam, quæ dicitur conuerſio ad obiectum indebitum: malum verò ſimpliciter dicit inordinationem priuatiuam, quæ dicitur priuatio rectitudinis. Hanc de malo morali ſententiam magna cum trepidatione defendit Caietanus in præcitato art. 5. quæſtion. 18. quam tutari non auderet (vt ipſe fatetur) niſi eam eſſe S. Thomæ crederet, Prima parte, quæſt. 48. art. 1. ad ſecund. & lib. 3. contra Gent. cap. 8. & 9. & Opuſculo 3. cap. 113. & quæſt. 2. de malo art. 4. ad octauum, quibus omnibus locis docet S. Thomas, obiectum malum B poſitiue conſtituere ſpeciem mali moralis.

Peccatum ſecundum Caietanum eſt in duplici genere mali.

Aſſerit ſecundò Caietanus, quod, vt colligitur ex eodem S. Thoma ſecunda ſecund. quæſt. 10. art. 5. ad primum, peccatum in duplici illo genere mali reponitur; ſi enim conſideretur peccatum prout eſt actus ordinatus ad obiectum, indebitum, & prout dicit conuerſionem in illud, ſic ponitur in genere mali moralis, & eſt quid poſitiuum & a Deo: ſi verò, vt quid dicens inordinationem priuatiuam conſideretur peccatũ, ſic ponitur in genere mali ſimpliciter, & non eſt a Deo. Vnde peccatum duplicem dicit inordinationem. Alteram poſitiuã & contrariam, quæ ſumitur ex conuerſione ad obiectum indebitum. Alteram priuatiuam, quæ ſumitur ex priuatione rectitudinis, & hæc conſequitur ad priorem. Et ſi a Caietano roges, vtra illarum ſit magis de eſſentia peccati, inordi- C natio contraria ſiue conuerſio, an inordinatio priuatiua? Reſpondet, quod abſolute peccatum eſt in duplici genere mali. Nam eſt in genere mali moralis, in quo genere inordinatio contraria & conuerſio eſt eſſentialis: priuatiua verò inordinatio eſt conſequens, ſicut delectatio eſt conſequens ad eſſentiam beatitudinis. Qua ſimilitudine vſus eſt ipſe Caietanus, quæſt. 72. art. 1. in eadem prima ſecundæ. Eſt etiam in genere mali ſimpliciter, in quo ſolum inordinatio priuatiua eſt eſſentialis. Quare abſolute poteſt concedi, quod vtrumque eſt eſſentiale; quia iuxta diuerſa genera vtrumque eſt intrinſecum. Et quando inquiritur: Si abſolute vtrumque eſt eſſentiale, quod illorum etiam abſolute eſt dicendum magis eſſentiale? Reſpondet, quod conuerſio & inordinatio contraria eſt dicenda magis eſſentialis, propter duo. Primò, quia peccatum magis habet de D voluntario, quàm de malo; eſt enim peccatum ſecundum ſe totum voluntariũ, cum ſit voluntarium ſecundum conuerſionem ad obiectum: & rurſum ſecundum priuationem rectitudinis, ſaltem ſecundariò, & indirectè; at peccatum nõ eſt malum ſecundum vtramque partem; quia licet ſit malum ſecundum priuationem: non tamen eſt malum ſecundum conuerſionem, atque ita magis habet peccatum de voluntario, quàm de malo, & tamen magis de voluntario habet ex parte conuerſionis, quàm ex parte priuationis. Igitur magis intrinſeca erit conuerſio. Secundò, quia ſpecificatio in peccato prouenit ex parte conuerſionis, non verò ex parte priuationis, & illud eſt magis eſſentiale, ex parte cuius prouenit ſpecificatio.

In ſententia Caietani, quid

Denique explicat Caietanus, quid ſit materiale, & quid formale in peccato. Et docet

ſit formale, et quid materiale. Et docet, quod ſi in genere mali ſimpliciter conſideretur peccatum, materiale A eſt actus humanus, ſeu conuerſio, formale verò inordinatio priuatiua, & in iſto genere eodem modo philoſofatur, quo diximus ſupra philoſofari Scotum. Si verò ſermo ſit de peccato in genere mali moralis, actum in eſſe naturæ exiſtimat eſſe materiale in peccato : conuerſionem verò ad obiectum indebitum & inordinationē contrariam ac poſitiuam eſſe formale conſtitutiuum. Hæc ſunt quæ in ſententia Caietani dicuntur. Vtinam tam vera, quàm accuta fuiſſent.

Capreoli explicatio. Secunda ſententia & explicatio eſt Capreoli, in 2. diſt. 35. quæſt. vnica, art. 3. ad 2. & 6. contra primam concluſionem. quo loco eodem modo loquitur de peccato, quo S. Thomas, Prima Parte, quæſt. 41. art. 5. loquitur de potentia generatiua in Diuinis. Aſſerit enim eo in loco S. Thomas, potentiam generatiuam dicere in recto eſſentiam, & in obliquo connotare realem relationem Pa B ternitatis, ita vt potentia illa generandi ſine vtroque intelligi, aut explicari non poſſit. Etenim ſi ſepares connotationem Paternitatis, intelligi non poterit potentia generatiua, neque ſufficit ponere ſolam eſſentiam; quia iſta ponitur in Filio, in quo non ponitur potentia generandi. Ad eumdem modum loquuntur multi (inter quos eſt Paulus Sōcinas, lib. 5. Metaphy. quæſt. 38.) de actione & paſſione, quaſi ſignificent motum in recto, & connotent relationem in obliquo, ita vt ſine ipſa nec valeant intelligi, nec poſſint explicari. Pari modo peccatum (inquit Capreolus) vtrumque includit & conuerſionem, & priuationem rectitudinis; illam in recto, & iſtam in obliquo: ita tamen, quòd peccatum nec intelligi, nec explicari poſſit ſine priuatione, quam connotat. Hinc eſt quòd quamuis Deus ſit cauſa poſitiuæ conuerſionis, quæ eſt in peccato, non ſit cau- C ſa peccati, nam aliquid dicit peccatum, ſaltem ſecundariò & ſecundum connotationem, cuius Deus non eſt cauſa.

M. Victoriæ expoſitio. Tertia expoſitio (vt fertur) fuit Magiſtri Franciſci a Victoria, aſſerentis peccatum poſſe conſiderari dupliciter: vel ſecundum eſſe genericum, & ita eſt quid priuatiuum & malum ſimpliciter, ſicut cæcitas & mors: vel ſecundum eſſe ſpecificum, & iſto modo eſt quid poſitiuum, nempe ordo ad obiectum indebitū. Vnde loquebatur iſte auctor de peccato eo modo, quo aliqui loquuntur de relatione prædicamentali, aſſerentes relationem prædicamentalem, quantum ad eſſe Ad, preciſè, eſſe ens rationis: tamen prout dicit talem relationem, videlicet prædicamentalem & vnam ex decem Cathegorijs, eſſe ens reale & poſitiuum.

Explicatio. M. Cano. Quarta Explicatio (quæ creditur fuiſſe M. Melchioris Cano) in eo conſiſtit, D vt aſſerat, peccatum in genere mali ſimpliciter eſſe priuationem formaliter, in quo aſſentiebatur Caietano: ſi vero conſideretur in genere mali moralis, eſt quid poſitiuum, & nullo modo priuatiuum. Quod probabat ex eo, quoniam malum morale eſt voluntarium & intentum: priuatio verò rectitudinis eſt præter volentis & peccantis intentionem. Igitur malum morale formaliter non eſt quid priuatiuum, quamobrem cum formale conſtitutiuum ſemper ſumatur a per ſe intento, inde erit à conuerſione & à poſitiuo ſumi formalem & conſtitutiuam rationem peccati. Addebat tamen M. Cano, poſitiuum illud, quod conſtituit peccatum, non eſſe aliquid reale: ſed potius ens rationis. Ad quod mouebatur victus argumento Scoti. Nam ſicut ſe habet bonum morale ad virtutem,

A virtutem, ita dicebat ſe habere malum morale ad peccatum : ſed bonitas mo ralis in virtute, quamuis ſit quid poſitiuum, non tamen reale, ſed rationis; quia eſt relatio quædam rationis conformitatis ad ſuam regulam. Ergo malitia moralis in peccato, quamuis non ſit priuatiuum, ſed quid poſitiuum, erit quædam relatio rationis difformitatis & diſſonantiæ a ſua regula. Quod autem conformitas virtutis, & difformitas vitij, ſeu peccati non ſint entia realia probat. Primò quia ex eo, quod operatio ſit conformis, vel difformis a regula, nihil videtur adquiri in operatione, vel ab ea deperdi. Secundò, quia conformitas illa, vel difformitas aliquando poſſunt eſſe reſpectu finis non habiti, neque a parte rei exiſtentis, vt contingit in infirmo reſpectu ſanitatis futuræ, & tunc non poſſunt eſſe relationes reales : ſed tantũ rationis. Ergo bonitas & malitia moralis, *Fundamenta præfatæ ſententia.*
B neque priuationem dicunt, neque realitatem. Vnde in hac opinione materiale in peccato erit actus poſitiuus & realis: formale vero relatio illa difformitatis; a qua relatione extrinſicè denominabitur actus realis difformis, atque huius relationis difformitatis Deus non eſt cauſa, ſed voluntas deficiens.

Vltima ſententia eſt Ferrarienſis lib. 3. contra Gent. cap. 9. quo loco docet, conſtitutiuum formale mali moralis & peccati eſſe poſitiuum: non illud ſolum, ſed vnà cum priuatione, prout ſubſtat priuationi rectitudinis debitæ in eſſe. Et quoniam hanc ſententiam rectè & ſano modo intellectam crediderim inter alias eſſe probabiliorem, & quæ incommodis omnibus, quæ ex alijs opinionibus deduci ſolent, meliùs mea iuditio ſatisfacit, curandum erit eam breuiter, clarè, & diſtinctè, quoad fieri poſſit exponere. Pro illius ergo explicatione. *Vltima ſententia Ferrarienſ.*
C Animaduertamus primò, hoc loco nos diſputare de conſtitutiuo formali actualis peccati, prout abſtrahit a peccato mortali & veniali; non enim indagamus eſſentiam peccati mortalis, prout mortale eſt : aut venialis, prout eſt veniale; quoniam de hoc non eſt tanta difficultas inter Thomiſtas. Conſtituitur namque peccatum mortale, vt ſic, per auerſionem ab vltimo fine: veniale per quã dam deordinationem ſine auerſione ab vltimo fine. Hinc eſt quod S. Thomas prima ſecundæ quæſt. 72. art. 5. aſſeruerit ita diuidi peccatum in mortale & veniale, ſicut corpus in album & nigrum : atque ita ſicut albedo & nigredo ſunt quædam accidentia inter ſe ſe ſpecie diuerſa extra naturã corporis : ita venialitas (vt ſic loquamur) & mortalitas ſunt veluti quædam accidentia inter ſe ſpecie diuerſa extra quidditatem peccati. Et ſicut intra eamdem ſpeciem corporis poſ- *Prima Animaduerſio pro veritate aperienda.* *Veniale & mortale ſunt accidẽtia peccati vt ſic.*
D ſunt reperiri candidum, & atrum, veluti intra eamdem ſpeciem hominum, alij ſunt candidi; alij atri : ita intra eamdem ſpeciem peccati reperiuntur peccata venialia & mortalia, quemadmodum intra ſpeciem furti ſunt quædam furta mortalia, & alia venialia, ſeu leuia. Que dixerim, vt intelligamus reſpectu peccati actualis in communi, & prout abſtrahit a veniali & mortali non poſſe eſſe intrinſecam auerſionem, neque ſimiliter apud rectè ſentientes, quæſtionem de conſtitutiuo peccati, de auerſione poſſe intelligi. Vnde optimè docuit Scotus loco citato quod quotieſcunque de conſtitutiuo peccati actualis eſt ſermo, non debet eſſe difficultas de multis priuationibus, quę conſequuntur eſſentiã peccati conſtitutam, ſicut de priuatione gratiæ, ac aliorum habituum ſupernaturaliũ, & de auerſione. Saluatur enim optimè eſſentia peccati ſine auerſione, & ſine illorum *Auerſio eſt conſequens et poſt quidditatem peccati*

lorum habituum carentia in eo, qui venialiter delinquit, niſi forſan vellit aliquis A dicere, venialem culpam non eſſe ſimpliciter peccatum, vt videtur dicere Bonauentura in 2. diſt. 42. art. 2. quæſt. 2. ad vltimum, immo & Magiſter ſentent. in 2. diſt. 35. ſtatim in principio, quo in loco aſſerit, finitionem peccati ab Auguſtino poſitam peccato mortali ſolùm conuenire; cum illud ſolum ſit contra legem Dei, non veniali. Sed ſine dubio venialis culpa abſolute & ſimpliciter eſt peccatum, & ita abſolute in ſacris litteris appellatur, iuxta illud 1. Ioãnis. cap. 1. *Si dixerimus quoniã peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, & Prouerb. cap. 10. *In multiloquio non deerit peccatum*: quæ ſine dubio de peccato veniali veniunt intelligenda. Eſtque ratio euidens, quoniam culpa venialis, cum ſit actus malus moraliter, contra rectam rationem eſt: ſed cum recta ratio ſit participatio diuinæ & primæ regulæ, erit etiam contra ipſam primam regulam; B ſcilicet contra Deum. Sed illa ſemper erit obſeruanda differentia inter venialem culpam & mortalem, quòd venialis eſt contra legem æternam & præcepta ab ea dimanantia ſine auerſione, & abſque eo, quod coniunctionem ad vltimum finem auferat: ſoletque illud dici contra legem ſecundùm ſubſtantiam, & materialiter, non contra finem legis, & formaliter: at mortale delictum vtroque modo eſt contra legem. idque volens innuere S. Thomas, ſæpius ita loquitur, vt aſſerat veniale peccatum eſſe præter legem, & non contra illam, vt videre eſt prima ſecund. quæſt. 74. art. 9. & quæſt. 77. art. 1. ad primum, & quæſt. 88. art. 1. ad primum. Eodemque modo loquutos fuiſſe Magiſtrum, & Bonauenturam putandum eſt: non autem quod velint negare, peccatum veniale eſſe ſimpliciter peccatum, & contra legem. Atque ita abſolute loquendo definitio C peccati ab Auguſtino poſita omni peccato actuali conuenit, de omnique actuali peccato ſub diſputatione cadit; Sit ne illius formale conſtitutiuum priuatio rectitudinis debitæ ineſſe actui morali, vt peccatũ eſt; huiuſmodi enim priuatio cuicunq; peccato annexa eſt, & ſine illa peccatũ nec veniale aſſignari poteſt.

Peccatum veniale ſimpliciter & abſolute eſt culpa.

Secunda Animaduerſio.

Animaduerto ſecundò cũ S. Thoma lib. 10. Metaph. tex. 15. lect. 6. & lib. 3. contra Gentes cap. 9. & eſt doctrina D. Dionyſij. 4. cap. de diuinis nominibus. Omne priuatiuum neceſſariò præſupponere aliquid poſitiuum, quod multipliciter poteſt euenire.

Primò, quia poſſumus conſiderare priuationem, prout eſt negatio entis creati & entis in communi: & hæc priuatio indiget aliquo poſitiuo; ſcilicet Deo tãquam cauſa efficiente, potente nil producere, ſi voluiſſet. Vnde quia Deus po- D tuit nihil creare, & modo valet nihil conſeruare, ponimus non ens poſſibile, quod non poſſemus ponere ſine cauſa efficiente, quæ poſſet facere ens in communi: atque ita hoc priuatiuum, ſcilicet non ens in communi, aliquid poſitiuũ ſupponit, cauſam videlicet efficientem.

Diuerſa genera priuationũ, & vnde.

Secundò ſunt & aliæ priuationes certi generis & determinati, ſicut cæcitas & tenebræ, & huiuſmodi priuationes nõ ſolum indigent ente poſitiuo tamquàm cauſa efficienti: ſed etiam ſupponunt ens poſitiuũ tamquam ſubiectũ. Namq; cæcum in alio eſſe, quàm in animali non poteſt, & huius generis ſunt omnes priuationes perfectę, quæ dicunt negationem formæ in ſubiecto apto; huiuſmodique priuationes non dicunt negationem cuiuſcunque formæ, ſed formã à

ſubiecto

A subiecto auferunt, non solum in esse specifico, sed etiam in esse generico: vt tenebræ non solum priuant, & auferunt ab aere lumen in esse luminis, sed in esse qualitatis: & cæcitas non solum aufert visum, sed qualitatem. Quare huiusmodi priuatiua & habitus oppositi neque in genere conueniunt.

Tertio possumus considerare priuationem, prout dicit negationem formæ specificæ, non verò formæ superioris & genericæ. Quemadmodum nigrum includit priuationem formæ contrariæ specificæ; nempe albedinis, tamen vtrumque tam album, quàm nigrum conueniunt in forma generica coloris. Atq; ita Aristoteles, lib. 10. Metaph. tex. 15. citato asseruit, primam oppositionem esse illam, quæ versatur inter habitum & priuationem; quoniam in quacunq; oppositione saluatur habitus & priuatio, & inter contraria vnum contrariorū B includit priuationem alterius, sicut infra ex doctrina S. Thomæ & aliorum probabimus. Istaque priuatiua plus habent positiui, quàm superiora; quia habent causam efficientem positiuam, formam; qua priuant subiectum, & genus; quia vtrumque contrarium sub eodem genere positiuo continetur. Sunt demū quædam priuationes, quæ neque negant omnino habitum oppositum, neque negant genus, sicut color medius non dicit omnimodam priuationem albedinis, & ægritudo non dicit omnimodam priuationem salutis; quia iam esset mors, sed salutem priuationi admixtam. Et hæc priuatiua includunt omnia ista positiua, causam efficientem, subiectum, genus, & formam partialem. Quia forma constitutiua ægritudinis, aut malæ valetudinis est res positiua mixta, seu iuncta priuationi, ita vt nec res positiua solum constituat ægritudinem, C neque priuatio solum; sed vtrumque simul. Huius ergo generis sunt malum morale & peccatum, quia cum sint contraria bono morali & actui virtutis necessariò includunt priuationem boni & conformitatis ad rectam rationem: tamen taliter sunt priuatiua, quod supponant causam efficientem & subiectum positiuum; voluntatem scilicet deficientem, & etiam genus. Quoniā sub actu humano tamquàm sub genere collocantur, & demum formam partialem; nempe conuersionem ad obiectum indebitum: ita vt illa conuersio cum priuatione rectitudinis debitæ sit integra forma constituens peccatum & malum morale: His præhabitis.

Priuatiua quę includunt aliquid de positiuo in suo conceptu.

Sit Prima conclusio contra opinionem Scoti. Constitutiuum formale peccati non est sola priuatio rectitudinis debitæ. Hanc conclusionem aperte probāt D argumenta Thomistarum ex Arestotele desumpta, supraque posita. Namque clarè conuincunt, bonum & malum in moralibus contraria esse, de quorum ratione est natura positiua, neque cum sola priuatione contrarietas saluari potest atque ita Aristoteles in Cathegoria Qualitatis posuit iustitiam & iniustitiam, vtrumque tamquam naturam positiuam.

Prima conclusio contra Scotum.

Præterea peccata ex conuersione ad obiectum specificantur, omnes enim actus per ordinem ad obiectum constituuntur, & distinguntur, teste Aristotele lib. 2. de anima cap. 4. Igitur peccata non solum per priuationem, sed etiam per conuersionem tamquam per positiuum constituuntur in esse peccati. Integra ergo ratio constitutiua peccati non potest esse priuatio.

Secunda conclusio contra Caietanū. Peccatū in genere mali moralis non solū

Secunda conclusio contra Caietanum.

conſtituitur per aliquid poſitiuum. Hanc concluſionem ſine dubio probant A argumenta facta pro opinione Scoti, & hac ſola ratione conuincere vnuſquiſq; poterit. Quia ſi peccatum, prout eſt malum morale, in ſua formali ratione conſtitutiua includit ſolum poſitiuum, procul dubio Deus eſſet cauſa peccati. Probatur conſequentia: quia cuiuſcunque entitatis poſitiuæ Deus eſt cauſa. Si quis verò reſpondeat, taliter conſtitutiuum peccati eſſe aliquid poſitiuum, vt ſit poſitiuum deficiens & in ordine ad obiectum indebitum, hoc autem poſitiuum deficiens a cauſa debet eſſe deficiente, non verò a cauſa efficiente tantum, & ita non eſt a Deo, ſed ab humana voluntate. Et hæc equidem non eſt ſolutio, ſed difugium. quod ſic deſtruo. Illa entitas poſitiua, quæ dicitur conſtituere peccatum, vel preciſè, inquantum eſt poſitiua, conſtituit peccatum, vel non preciſe, ſed cum aliquo alio. Si ſolum & preciſè conſtituit, inquantum B eſt res poſitiua: ergo peccati Deus erit cauſa; cum ſit cauſa cuiuſcunque entitatis poſitiuæ. Si non preciſè conſtituit, neque ſolum inquantum eſt res poſitiua, ſed prout eſt res poſitiua deficiens, vel ſub alia qualibet ratione. Tunc inquiro, vel ſub iſta ratione deficientis, & ſub quacunque alia, ſub qua dicatur conſtituere; eſt aliquid poſitiuum, vel non; inter hæc enim contradictoria non eſt aſſignare medium. Si ſub ratione deficientis & ſub quacunque alia eſt res poſitiua, currit argumentum factum: ſi non eſt preciſè res poſitiua, habetur propoſitum, & ita concluſio erit vera, quod peccatum in ſua ratione formali conſtitutiua non ſolum includit poſitiuum. Si deinde quis reſpondeat, peccatum eſſe defectum quemdam moralem, & ideò debere eſſe a cauſa deficiēte morali, atque ex conſequenti non à Deo. Contra iſtam ſolutionem & contra quamcunque aliam, vim habet argumentum factum. Quia ſi ille defectus C moralis quo ad ſuam rationem formalem dicit preciſè entitatem poſitiuam, Deus illius erit cauſa, ſicuti benè valet conſequentia: Petrus eſt cauſa animalis rationalis: ergo eſt cauſa hominis. Vnde etiamſi Petrus non cauſaret riſibilitatem, quæ conſequitur ad naturam hominis, dum modo cauſaret naturam hominis, verè diceret & abſolutè cauſa hominis. Igitur ſi priuatio rectitudinis debitæ ineſſe, & deformitas ſe habent ſolum conſequenter ad eſſentiam poſitiuā peccati, ſequitur quod etiam ſi Deus non ſit cauſa priuationis & deformitatis conſequentis, adhuc ſit cauſa peccati, cum ſit cauſa totius poſitiui, & quod ſolum præceſſit per Caietanum tamquam conſtituens peccatum. Hoc argumentum adeò forte eſt, vt multos coegerit Prima Secundæ, quæſt. 79. art. 1. ſententiam Caietani, quam prius quæſt. 71. art. 6. amplexi fuerant, deſeſere. Inter D quos vnus eſt M. Bartholomęus a Medina in commentarijs ad Primā Secundæ S. Thomæ.

Efficax ratio Contra Caietan.

Deſtruuntur aliquæ ſolutiones rationis poſita

Tertia concluſio contra eūdem Caietanum.

Tertia concluſio. Fundamenta opinionis Caietani ferè omnia ſunt falſa. In primis differentiæ illæ, quas aſſignat inter malum ſimpliciter, & malum morale non ſunt veræ. Primum illud diſcrimen, quòd malum morale ſit poſitiuum & a Deo productum, malum ſimpliciter ſit priuatio & non a Deo, ſic oſtendo eſſe falſum. Quia ſicut malum ſimpliciter & priuatio rectitudinis conſiſtit in eo, quod eſt recedere a ratione & a regula æterna, ita malum morale contrariè ſumptum conſiſtit in hoc, quod eſt contrariari rationi & regulæ æternæ, &

Deus non cauſat peccatum ſecundū quod eſt malum morale contrarie ſumptum.

A & ſicut implicat, Deum recedere a recta ratione & a regula æterna, ita etiam implicat contrariari rectæ rationi & regulæ æternæ. Ergo quemadmodum Deus non poteſt eſſe cauſa peccati, ſecundùm quod eſt malum ſimpliciter & priuatiuum, ſic etiam non poterit eſſe cauſa peccati, ſecundùm quod eſt malum morale contrariè ſumptum. Immo ſecundum Caietanum, conſiderando peccatum in genere mali moralis (quomodo ferè ſemper de illo Theologi loquuntur) concedendum eſſet abſolute, Deum eſſe cauſam peccati. Conſequutio conſtat, nam per Caietanum peccatum in illo genere ſolum dicit poſitiuum, cuius Deus eſt cauſa.

Secunda rurſum differentia, poſita a Caietano eſt falſa, quòd malum morale præſupponitur ad malum priuatiuè; intemperantia (inquit) priùs habet, B quod ſit contraria virtuti, quàm quod habeat priuationem rectitudinis debitæ: vnde contrarietas eſt fundamentum priuationis. Hoc, inquam, diſcrimen falſum eſt. Quia contrarietas non præſupponitur in malo morali ad priuationem, immo potius intrinſecè includit priuationem. Non enim eſſet contrarium malum morale bono, niſi includeret intrinſecè priuationem rectitudinis. Neque hoc eſt peculiare in iſtis duobus contrarijs, ſed omnibus conuenit. Quia ad contrarietatem duo requiruntur, & aliquid poſitiuum; in quo vtrumque extremum conueniat. Non enim album & nigrum contraria eſſent, niſi ſub eodem genere coloris ponerentur. Et requiritur inſuper negatio, ſeu priuatio ſui contrarij: quia candidum non eſſet contrarium atro ſolum propter conuenientiam in illo poſitiuo, niſi intrinſecè includeret non eſſe atrum, vt optime C docuit S. Thomas queſt. 1, de malo, art. 1. ad ſecundum, & Ferrarienſis, lib. 3. contra Gent. cap. 9. Quamobrem ad contrarietatem & requiritur poſitiua natura & negatio, ſeu priuatio alterius extremi, ſed neque vnum eorum ſufficit. Et hac quidem ratione iniuſtitia contrariatur iuſtitiæ, & ſimiliter malũ morale contrariatur bono; quia includit intrinſecè poſitiuum, ſcilicet conuerſionem ad obiectum, & priuatiuum; videlicet priuationem rectitudinis: ita vt altero deficiente non poſſit intelligi contrarietas inter bonum & malum morale. Quare manifeſte deprehenditur, falſam eſſe differentiam illam ſecundam, a Caietano poſitam, contra quam hanc rationem conſtituo.

Vnum contrarium includit negationē alterius ex ſententia S. Tho.

Si prius eſſet contrarietas ad rectam rationem, quàm priuatio rectitudinis; ergo poteſt priùs intelligi contrarietas illa, quàm priuatio rectitudinis. In illo D ergo priori, actus humanus vel intelligitur conformis regulæ rationis, & ita bonus eſt, & non contrarius rationi: vel intelligitur difformis, & ſic caret commenſuratione ad rationem. Igitur in illo priori, vt actus ille ſit malus moraliter, & non commenſuratus rationi, debet intrinſecè includere priuationem rectitudinis. Cum ijs tamen omnibus ſtat benè, poſitiuum, quod eſt in malo morali præciſè ſumptum eſſe bonum, & a Deo, & priùs quàm priuatiuum. Quamobrem malum morale & peccatum includunt aliquid in ſua ratione formali, quod bonum eſt, & poſitiuum & a Deo.

Vltimum denique diſcrimen a Caietano poſitum; ſcilicet malum morale ſolum dicere inordinationem poſitiuam, & malum ſimpliciter includere inordinationem tantum priuatiuam, ex ijs, quæ modò dicebantur, conuincitur eſſe

 falſum.

falſum. Nam, vt viſum eſt, malum morale etiam priuationem rectitudinis debitæ includit, & conſequenter dicit etiam inordinationem priuatiuam. In quo autem diſtinguantur malum morale, & malum ſimpliciter infra dicetur in explicatione vltimæ concluſionis. A

Demum deficit Caietanus in explicatione eius, quod aſſignari debet tamquam materiale in peccato,& illius, quod poni debet tamquam formale in genere moris. Nam in eo genere aſſignare debemus aliquid morale, quod ſit tamquam materiale,& aliud, quod ſit vt formale. Nec ſufficit dicere, actum in eſſe naturæ eſſe veluti materiale, & conuerſionem tamquam formale. Etenim, vt ſupra dicebamus, intra genus moris ſaluanda eſt pars materialis intrinſeca, & pars formalis.

Quarta Concluſio contra M. Victoriã. Quarta concluſio in bona Metaphyſica ſtare non poteſt; peccatum nempe ſecundùm eſſe genericum eſſe aliquid rationis, & idem ſecundùm eſſe ſpecificum, eſſe aliquid reale. Hoc quippe aſſeritur contra ſententiam M. Victoriæ, quæ adeo rationi diſſonat, vt eam tanti fuiſſe viri, difficile mihi perſuadeam. Hac etenim ſola ratione noſtra aſſertio cõuincitur, & prædicta opinio exploditur. Nam illud dictum Ariſtotel. lib. 4. Phyſic. tex. 67. *Non entis nullæ ſunt ſpecies;* communi omnium Expoſitorum explicatione ſic intelligitur, quaſi non poſſint eſſe ſpecies poſitiuæ & reales reſpectu generis, quod non eſt poſitiuum & reale: quoniam illa, quæ non conueniunt in genere, non poſſunt conuenire in ſpecie. Cum igitur ens reale & ens rationis non conueniant in aliquo genere, non poterunt conſtituere aliquam ſpeciem; vnum tamquam genus & alterum tamquam differentia: aliàs enim ea, quæ differunt plusquàm genere, conſtituerent vnam ſpeciem, & vnum per ſe. B C

Quinta Concluſio contra M. Cano. Quinta concluſio. Poſitiuum illud, quod intrat conſtitutionem mali moralis & peccati; non eſt ens rationis. Hoc aſſeritur contra M. Cano,& clarè conuincitur argumentis factis pro ſententia Thomiſtarum. Quia malum morale contrariatur bono: igitur, cum contraria debeant eſſe eiuſdem generis, malum & bonum in eodem genere erunt: bonum autem eſt in genere entis realis, vt cõſtat de iuſtitia, quæ eſt in genere qualitatis. Ergo etiã malũ morale ponetur in eodẽ genere entis realis. Quapropter prædicta ſententia falſo aperte nititur fundamento; quòd ſcilicet relatio conformitatis, vel difformitatis conſtituat bonum, vel malum. Hoc ſiquidem falſum eſt; quoniam illa relatio ſe habet conſequutiue ad conformitatem, vel difformitatem conſtitutiuam boni vel mali: ſicut relatio in actione & paſſione ſe habet conſequenter ad rationem formalẽ actionis & paſſionis. Neque argumenta, quibus vtebatur Cano, vt inſtitutum ſuum probaret, aliquid concludunt. D

Ad primam rationem M. Cano. Primum enim illorum aſſumit illud falſum: Res nempe conformes vel difformes non adquirere aliquam realitatem, cum de nouo fiunt conformes, vel difformes. Immo ſibi adiungunt entitatem. licetque id ex eo inſpicere, quoniam penes prædictam conformitatem vel difformitatem ad diuerſas expectant ſpecies qualitatis, ſiue virtutis, ſiue vitij.

Ad ſecũdam rationem eiuſdem. Secundo etiam argumento reſpondeo, hic loqui de conformitate, vel difformitate ad regulam æternam, & ad regulam proximam rationis: non autem de confor-

A conformitate ad finem adquirendum. Et quamuis ita eſſet, quod illa relatio eſſet rationis, non inde bene colligere liceret, conformitatem, vel difformitatem, quæ ſunt fundamenta illarum relationum, non eſſe entia realia. Nam fundamento exiſtente reali poteſt relatio eſſe ens rationis, vel quia ambo extrema non ſunt entia in rerum natura exiſtentia, vel quia non ſunt eiuſdem ordinis. De quo alibi videndum eſt latiùs.

Sexta concluſio & vltima. Conſtitutiuum formale peccati (loquendo in genere mali moralis) neque eſt poſitiuum preciſe, neque priuatio rectitudinis preciſe, ſed vtrumque ſimul. Hæc concluſio videtur colligi ex S. Thoma prima Part. quæſt. 48. art. 1. ad ſecundum vbi docet, malum in moralibus eſſe differentiam conſtitutiuam, prout eſt quoddam bonum adiunctum priuationi alte- *Vltima Concluſio ponens conſtitutiuum peccati.*
B rius boni. Et quæſt. 1. de malo art. 1. ad ſecundum aſſerit, eſſe dupplices priuationes. Alias, quæ conſiſtunt in priuato eſſe; vt cæcitas & mors. Alias, quæ cõſiſtunt in priuati; vt ægritudo, quæ eſt via ad mortem, & ophthalmia, quæ eſt via in cęcitatem. Et iſtas quidem ſecundas priuationes interdum docet eſſe contrarias: ideoque ſimiliter malum eſſe contrarium, quia non priuat omni bono: ſed aliquid de bono remouet.

Eamdem concluſionem tenuiſſe S. Thomam probant multa eiuſdem teſtimonia inter ſe, vt apparet oppoſita, quæ modò opinioni Scoti fauent, modò Thomiſtarum & Caietani ſententiæ. Concedit enim ſępe formale in peccato, ſiue in malo morali, eſſe priuationem rectitudinis. Docet etenim ita in prima ſecundæ, queſt. 18. art. 1. vbi definiens malitiam moralem aſserit, eam eſse priua- *Poſita concluſio videtur eſſe S. Thomæ.*
C tionem rectitudinis debitæ ineſse actui. Et infra quæſtion 109. art. 2. ad ſecundũ docet peccatũ nihil eſse aliud, quàm deficere a bono. Econtrario verò concedit, bonum & malum eſse differentias poſitiuas in moralibus, vt videri poteſt quæſtion. prima de malo art. 1. & prima ſecundę quæſtion. 18. articulo 5. ad ſecundum, & quęſt. 2. de malo art. 4. ad octauum. Quæ omnia ſibi inuicem aduerſa minime ſunt. Nam cum peccatum in ſua ratione formali vtrumque includar, modò S. Thomas aſserit, vnum eſse intrinſecum, modò alterum. Intueatur qui voluerit iſta & plura alia S. Thomę teſtimonia, ex quibus videbit noſtram ſententiam ab eius ſententia non diſonare, ſed potius eidem conſonam eſse. Eam item eſt amplexus Ferrarienſis, lib. 3. cap. 9. Immo, ſi vellimus Capreolũ recte exponere, eamdem ſequutus eſt. Siquidem cum aſseruit, poſitiuũ
D conſtituere primariò, & priuatiuum ſecundariò, ſi vtrumque intrinſecum intelligat, quamuis vnum vt præcipuum, & aliud tamquam complementum, nobiſcum facit: ſi verò priuationem extrinſecam ponat, idem aſſerit, quod Caietanus, & ita eiſdem rationibus eius opinio reijcietur.

Colligitur etiam prædicta concluſio ex duabus prioribus, quibus probatum eſt contra Scotum, formale conſtitutiuum peccati non eſſe ſolum priuatiuum, & contra Caietanum, non poſſe eſſe ſolum poſitiuum. Integra ergo ratio conſtituens peccatum & malum morale ex vtroque conſtare debet; eritque inordinatio contraria, includens priuationem rectitudinis debitæ. *De opinione Capreoli iudicium.*

Præterea peccatum, ſicut reliqui actus morales ex obiecto ſpecificantur. Igitur peccatum ex obiecto indebito accipiet ſuum conſtitutiuum formale. Vnde

vt

vt exquiſite atque perfecte docuit Ferrariens., obiectum ſpecificans peccatum A duo includit, & rem poſitiuam, & inordinationem. Quamobrem peccatum differentiam conſtitutiuam ab obiecto ſumit, non quidem quomodocunque; ſed prout includit vtrumque; ab obiecto ſcilicet includente priuationem debitæ conformitatis ad rationem. Peccatum ergo, quantum ad ſuum formale, vtrumque includit.

Præuenit auctor, & obiectionibus ſatisfacit. Non tamen nos fugit, huiuſmodi concluſionem tamquam nouam pluribus rationibus a multis impugnandam; quibus præuenientes oportet breui ſatisfacere; ne veritas ex ignorantia reijciatur.

Prima obiectio contra poſitam ſententiam. Si quis igitur primò objiciat contra eam Ariſtotelem, lib. 3. Metaph. tex. 10. aſſerentem, differentiam eſſe vnum & ens; cum ergo formale conſtitutiuum ſit veluti differentia rei conſtitutæ, oportet eſſe vnum & ens: ſed poſitiuum & pri- B uatiuum non ſunt vnum & ens. Ergo non poſſunt eſſe vnum formale conſtitutiuum peccati. Tum vel maximè, quod conſtitutiuum debet conſiſtere in indiuiſibili; cùm ſpecies rerum ſint ſicuti numeri, ex eodem Philoſopho lib. 8. Metaph. tex. 10. Ergo cum poſitiuum & priuatiuum nō poſſint in indiuiſibili conſiſtere, non poterunt ſimul vnam ſpeciem conſtituere. Et denique, quia priuatio, quæ eſt ens rationis non poteſt eſſe de intrinſeca ratione entis realis, & poſitiui. Ergo neque de eſſentia peccati.

Solutio eius. His reſpondeo, hanc reperiri magnam differentiam inter Deum, & creaturas, quòd Deus actus purus cum ſit, nullam habens imperfectionem, nullo modo includit non ens, ſed eſt ens omni ex parte, dicens infinitā rationē entitatis: creaturæ verò ſunt entia nō entia, hoc eſt, ſunt entia, quæ includunt potentialita- C tem & imperfectionem. Sed in hoc ſunt varij gradus, inter quos vnus eſt eorum entium, quæ creata cum ſint, maiorem includunt imperfectionem, quàm alia; qualia ſunt entia quædam defectuoſa; vt ægritudo, Opthalmia, & alia huiuſmodi, in quorum ratione mirum non eſt, imperfectionem quamdam priuatiuam includi: ſicut neque mirum eſt, in quolibet contrario negationem alterius contrarij inueniri, ſine qua vere non eſſet contrarietas, vt dicebamus ſupra. Huius generis eſt peccatum, prout eſt malum morale. Et quamuis poſitiuum, & priuatiuum ſint multa in genere entis, & mali abſolute ſumpti: tamen in genere mali moralis ſunt vnum conſtitutiuum peccati. Poteſt etenim contingere, quòd ea, quæ ſunt plura in vno genere, in alio ſint vnum. Vulgare eſt illud exemplum de domo, quæ in genere ſubſtantiæ eſt plura, in genere verò quali- D tatis vnum. Immo, vt in aliquo ſimplici exemplum demus, Ad reale, conſtituit vnum genus generaliſſimum relationis, illudque ſimplex, cum genera generaliſſima, & differentiæ dicantur conceptus ſimplices, & tamen in illo modo intrinſeco conſtitutiuo prædicamenti relationis duo includuntur; nempe eſſe Ad, & realitas. Quoniam eſſe Ad, preciſe certum eſt non conſtituere prædicamentum relationis, cū abſtrahat ab ente reali, & ente rationis. Igitur Ad, ſimul cum realitate eſt integrum conſtitutiuum illius prædicamenti. Non diſſimiliter in peccato illa duo poſitiuum & priuatiuum efficiunt vnum conſtitutiuum, conſiſtens in indiuiſibili. Nam quemadmodum in numeris, quocunq; addito, vel ſublato, variatur numerus: ita in genere mali moralis, variato quocunque

Quæ ſunt plura in vno genere, in alio poſſunt eſſe vnum.

A cumque illorum duorum, non conſtituitur peccatum: ſi enim auferas poſitiuũ, remanet ſolum priuatio; quæ non poteſt ſola conſtituere peccatum: ſi verò ſepares priuationem rectitudinis debitæ, remanet ſolum poſitiuum. Atque ita omne, quod remanet, bonum eſt, neque a ratione recta deficiens, neque illi contrarium. Vnde in illo genere mali moralis, vtrumque vnum integrat conſtitutiuum formale peccati.

Si moleſte inſtes. Poſitiuum per ſe ſumptum non conſtituit peccatum, ſed preter illud per ſe requiritur priuatio. Ergo priuatio eſt, quæ conſtituit; quia poſita priuatione rectitudinis ponitur peccatum: & illa ſublata aufertur, vt argumentabatur Scotus. Reſpondetur, hoc eſſe, quod modò nos nitebamur deſtruere. Falſum enim eſt dicere, quòd poſita priuatione, ponitur peccatum: *Redargutio poſitæ ſolutionis.*

B niſi enim vtrumque ponatur, poſitiuum & priuatio, non intelligimus peccatum conſtitui: ſicut niſi ponatur Ad reale, non conſtituitur Prædicamentum Relationis. Preterea Theologi dum loquuntur de infinita Chriſti Domini ſatisfactione, concedunt, quòd Chriſtus inquantum Deus non meruit infinitè, neque inquantum homo: benè tamen inquantum Deus homo. Rurſum Theologi loquentes de fide aſſerunt, de ratione fidei non ſolum eſſe certitudinem, neque tantum obſcuritatem, ſed vtrumque eius rationem formalem integrare. Pari ergo modo neque poſitiuum conſtituit peccatum, neque priuatio, ſed vtrumque. Hinc abſolute intelligi poteſt, quomodo, etiam ſi omne poſitiuum, quod eſt in peccato, ſit à Deo, adhuc Deus non ſit cauſa peccati; quoniam plus peccatum in ſua quidditate includit, quàm poſitiuum, priuationem ſcilicet re- *Reſpondetur.*

C ctitudinis, cuius Deus non eſt cauſa, ſed deficiens voluntas.

Adhuc autem, ſi quis interroget. Cùm in conſtitutiuo peccati includantur illa duo, res poſitiua, & priuatio, quod illorum principalius ad conſtitutionẽ ſpectat? Reſpondetur, quòd in genere mali moralis (vt dictum eſt) non conſiderantur illa tamquam duo, ſed vt vnum ſimplex conſtitutiuum: abſolute tamen loquendo principalius eſt poſitiuum: priuatio verò eſt veluti complementum intrinſecum entis defectuoſi. Ratio huius eſt, quia poſitiuum eſt magis voluntarium, quàm priuatiuum; cùm priuatiuum ſit voluntarium ratione poſitiui & concomitanter. Quare licèt vtrumque per ſe conſtituat peccatum, non tamen vtrumque eſt per ſe intentum, ſed ſolum poſitiuum. Cum ergo peccatũ intantum ſit peccatum, inquantum voluntarium, quod fuerit magis volunta- *Interrogatio de principaliori in peccati conſtitutiuo. Reſponſio.*

D rium, erit principalius. Rurſus ſecundò quia ſpecificatio peccatorum attenditur ex conuerſione ad obiectum, magis quàm ex priuatione. Igitur illud erit principalius. Quibus adde, conſtitutiuum formale peccati ſecundùm illud, quod includit de poſitiuo, magis conuenire cum ſpecie conſtituta, & cum actu humano, quam priuatio. Ergo ſecundùm illud poſitiuum principalius conſtituet. Hoc videtur aperte ſignificare S. Thomas Prima Secundæ, q. 72. art. 1. ad ſecundum, cum inquit, quòd peccatum non eſt pura priuatio, ſed eſt actus debito ordine priuatus: & ideò, inquit, peccata magis diſtinguntur ſpecie ſecundùm obiecta. Vbi nota dictionem; Magis diſtinguntur.

Si verò argumenteris contra hoc. Vltimum adueniens & complementũ intrinſecum magis ſpecificant, quàm quodlibet aliud: ſed priuatio rectitudinis *Obiectio contra prædicta.*

eſt

Solutio. eſt complementum intrinſecum peccati, & vltimum aduenjens. Ergò illud erit A principalius. Reſpondetur, quòd vltimum aduenjens non eſt principalius, niſi ſit magis intentum, vt docuit S. Thomas, Prima Secundæ, quæſt. 72. art. 1. præſertim ſi ſit vltimum aduenjens, tamquam defectus complens naturam entis defectuoſi.

Alia obiectio contra ſuperiora. Si rurſum arguas. Peccatum iniuſtitiæ expectat ad Prædicamentum Reale. Ergo eſt vnum ens per ſe, & non per accidens ante quamcunque operationem intellectus: ſed priuatio rectitudinis non eſt ante intellectũ. Igitur falſum eſt, illam priuationem eſſe intrinſecam. *Reſpondetur.* Reſpondetur, quòd peccatum eſt vnum ens per ſe; quia conſtituitur aliquo tamquam genere, ſcilicet actu humano, & aliquo tamquam differentia, ſcilicet malo moraliter ſumpto, ſeu difformi. Itaque actus humanus, prout eſt communis actui virtutis & vitij, eſt veluti ma B teriale in peccato: malitia verò, deformitas, ſeu ordo ad obiectum indebitum eſt veluti formale conſtitutiuũ, & diſtinctiuum: ſed in hoc includitur inordinatio contraria & priuatiua, ita vt priuatio ſit veluti complementum illius inordinationis deficientis. Neque mirum eſt, vnum ens per ſe deficiens conſtitui poſitiuo, tamquam genere, & poſitiuo ſimul cum priuatione complente, tamquàm differentia. Huius modique entia defectuoſa poſſunt in Prædicamento Reali collocari, etiam ſi pendeant a priuatione, tamquam complemento, dummodo non pendeant ab illa tamquam a genere integro, vel differentia integra, vt falsò dicebat Victoria. Et ita videmus in fide, de cuius ratione eſt obſcuritas, & ineuidentia, quæ priuationem claritatis & euidentiæ dicunt.

Differentia inter malũ morale & malũ ſimpliciter. Ex omnibus ergo ſupra dictis non erit difficile colligere, in quo differant C malum morale, & malum ſimpliciter. Namque diſtinguntur in hoc, quòd malum morale eſſentialiter includit inordinationem contrariam, & priuatiuam; ita vt, quacunque deficiente, non poſſit eius quidditas intelligi: malum autem ſimpliciter dicit ſolam priuationem. Quamobrem malum de illis duobus æqui uoce dicitur, in quo optime loquebatur Caietanus. Atque ita peccatum in vtroque genere reponetur; quoniam ſi ſolùm conſideres in peccato priuationem rectitudinis, erit in genere mali ſimpliciter: ſi verò conſideres poſitiuum cum priuatione ſimul, reponetur in genere mali moralis: ſi demum ſolum poſitiuũ conſideres, in nullo genere mali erit.

Argumenta opinionum initio poſitarum non egent ſolutione, quia probant ſextam concluſionem. Neque oportet argumenta principio adducta pro illis opinionibus ſoluere. Etenim omnia illa, ſi rectè inſpiciantur, ſuadent noſtram ſextam concluſionẽ. D Nam argumenta pro opinione Scoti probant, neceſſariò & intrinſecè peccatũ includere priuationem rectitudinis: non autem ſolam priuationem. Econtrariò autem argumenta Thomiſtarum ſolum concludunt, peccatum dicere aliquid poſitiuum, non verò præter poſitiuum non includere priuationem. Quare Sancti Patres conſiderantes peccati imperfectionem, & radicem defectus aliquando appellant peccatum nihil, aſſeruntque mali nullam eſſe naturam. Verum item eſt ſepeſepius prędictos Patres ſimilibus loquutionibus deſtruere velle errorem Manichæorum, ponentium primam illam cauſam mali poſitiuam; quòd, vt præſtent, oſtendunt, carentiam & defectum in malo reperiri, nulla facta mentione poſitiui. Vt ſic conuincant, nullum eſſe culpæ malum, quod à

deficiente

A deſſiciente voluntate, non valeat procedere, atq; adeo ſuperuacaneè poni illud primum mali principium.

Veniamus iam ad ſecundā & poſteriorē huius controuerſiæ partē, in qua de originalis peccati quidditate diſputaturi lectorē priùs admoneamus, hoc loco nos præcipuè intendere, breuiùs, quàm fieri poſſit ſententias aliquorū noſtri tēporis Doctorū, qui licet varia & multiplici, nec ſatis expedita ratione: eius tamē formalē rationē aſſignaſſe & aperijſſe creduntur, quoad valuerimus refellere, rationibus confutare, & veritati repugnantes oſtendere: verā amplectendam, & quā credimus eſſe S. Thomę ſententiā aperire. Neq; idcirco tamen in hæreticorū erroribus refutandis lectorē detinere conſentaneū duximus, præſertim cū poſſit id paſſim apud multos de hac reſcribentes inſpicere; nihilq; ſit ꝙ non perdoctè

PARS Secūda controuerſia, in qua de peccato origin. agitur.

B cōtra eos diſputatū inuenire valeat. Aduertere tñ obiter, quos hæreticorū errores fugiēdos Catholici doceāt, neq; ſuperuacaneū, neq; moleſtū exiſtimauimus; vt facilius contra vnūquēque, multa cū libuerit, opusve fuerit, intueri ꝗcūq; poſſit.

Fugiat igitur primò lector errorē Pelagij, quē refert D. Auguſt. lib. 3. de peccatorū meritis, c. 7. & lib. 1. de baptiſmo paruulorū, c. 2. & lib. 5. cont. Iulianū, c. 5. Abailardi item relatum a D. Bernardo, Epiſt. 111. & 118. Armenorū, & Albanēſiū, qui cōmemoratur ab Alfonſo de Caſtro, verbo. Peccatū, hęreſi 1. & Iacobi Fabri Epi Vienēſis in Apologia ꝓ ſuis cōmentarijs in Paulū, cuius mentionē facit Sixtus Senen. lib. 6. Bibliothecæ, Annotat. 236. ꝗbus omnibus aſſentiri videtur Eraſmus, Annotat. in illud ad Rom. c. 5. *In quo omnes peccauerunt.* Fugiat, inquam, lector, eorum errorem aſſerentium peccatum originale, aut nihil eſſe, aut ſolum

Fugiendus error Pelagij, & aliorum.

C eſſe imitatiōnē tranſgreſſionis Adæ. Pro quo errore ſtabiliendo inducunt multa Patrū teſtimonia, pręſertim Theodoreti ſuper Pſal. 50. in illud: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum.* et in illud ad Rom. c. 5. *In quo omnes peccauerunt.* et Hieronymi, Cōmentarijs in eadē verba Pauli, & in illa c. 7. *Sine lege peccatū mortuū erat.* Quibus in locis videntur docere S. Patres, peccatum Adæ in poſteris fuiſſe imitatione peccandi transmiſſū. Ad quem errorē alludere videntur Marcus Anachoreta, & Anaſthaſius Patriarcha Anthiochen. (referēte Doctiſſimo & mirandę religionis viro Franciſco Turriano, in Epiſt. de definitionē propria peccati originalis pag. 6.) dicētes peccatū originale eſſe alienationē a Deo, quæ mors eſt, ſiue reatus ad pœnam. Qui forſan moti fuerunt verbis B. Chryſoſtomi, hom. 10. in Epiſt. ad Ro. dū explicat illud: *In quo omnes peccauerunt.* & hom. 39. in Epiſt. 1. ad Corinth.

Franciſcus Turrian. de peccato orig.

D dū explicat illud c. 15. *Sicut in Adā omnes moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificabuntur.* et hom. 24. in Epiſt. ad Epheſ. dū exponit vltima verba vltimi cap. & deniq; in hom. quæ inſcribitur ad Neophytos. Et D. Ambroſi, ſuper citata verba ad Ro. cap. 5. Quibus in locis videntur ſentire dicti Patres, peccatum Adæ non eſſe animæ damnationē, ſed obligationē ad mortē corpoream, ex noxa primi parentis contractam, tranſireq; peccatū Adæ ad poſteros non culpa, ſed pœna. Sed damnatus eſt cōmemoratus error in Concil. Meleuitan. c. 2. in Conc. 2. Tolet. c. 12. & nouiſſime in Conc. Trid. ſeſs. 5. Neque verum eſt Sanctos Patres, quos in ſui erroris patrocinium adducunt, illud ſenſiſſe, vt oſtendit Sixtus Senenſ. lib. 6. Bibliothecę, Annotation. 236. & duabus ſequentibus. Vbi prædicta teſtimonia, & plura alia accurate explicat, docens, D. Auguſtinum reſpondiſſe Iuliano lib. 1. contra ipſum, cap. 12. in D. Chryſoſtomi defenſionem, atq; inſuper commentaria

mentaria illa in Epiſt. ad Roman. nequaquam D. Hieronymi fuiſſe: denique A omnia alia ſano modo iuxta antecedentia & ſequentia, & iuxta ea, quæ alibi ijdem Patres docuere, eſſe accipienda, & intelligenda, declarat.

Cauendus error Origenis, Priſcilliani et aliorum.

Caueat etiã ab errore, quẽ Epiphanius in Epiſt. ad Ioannẽ Hieroſolymitanũ tom. 4. inter opera D. Hieronymi, & multi alij, quos citat Sixtus Senenſis, lib. 5. Bibliothecæ, Annotat. 185. impingunt Origeni, lib. 1. Periachon. c. 9. aſſerenti, peccatum originale eſſe peccatũ commiſſum ab anima ſua voluntate ante hanc vitam. Quem errorem poſtea tenuit in Hiſpania Priſcillianus Epiſcopus Abulẽ. vt refert Caſtro lib. 2. aduerſus hæres. Verbo, Anima, hæreſi. 9. Eſt enim damnatus iſte error in Concil. Bracharenſi. 1. cap. 6. & in Concil. Lateranen. ſub Leone. 10. ſeſs. 8. & impugnauit eum late Ciryllus Alexandrinus, lib. 1. Commentar. in Ioannem 23. rationibus, quas adducit Sixtus Senenſis loco citato. B

Fugiendus error Cornelij Agrippæ.

Fugiat præterea errorẽ Cornelij Agrippæ de peccato originali noſtris diebus, ſcribentis, & aſſerentis, ipſum concupiſcentiã eſſe venereã, a primis parentibus deriuatã. Exiſtimabat enim iſte hæreticus, peccatũ primorũ parentũ fuiſſe peccatũ luxuriæ, cũ ſtatim ac peccauerunt, erubuerint, & cõſuerint ſibi folia ficus. Quam erubeſcentiam ex luxuria in pudendis partibus fuiſſe ſubortã, atq; ea de cauſa Geneſ. cap. 18. Abrahæ in remedium circumciſſionẽ in illis partibus datã & inſtitutam, vt contrarium contrario curaretur, arbitrabatur. Sed, hanc demẽtiam aperte contra S. Scripturã eſſe, facile quisq; colliget ex c. 3. Geneſ. Ex quo etiã deprehendet erubeſcentiã ex eſu vetiti ligni tamquàm ex prima radice ſubortã, quamuis in illis partibus, prius quàm in alijs fuerit oſtenſa & manifeſta, ob maiorem naturæ inclinationẽ ad generandum ſibi ſimile. *Quis* (ait Dominus ad C Adam) *indicauit tibi, quòd nudus eſſes, niſi quòd de ligno dequo præceperam tibi, ne comederes, comediſti?* Circumciſſionem rurſum datam hominibus, quia in illis partibus maximè appareat peccatũ, docuit D. Auguſt. lib. 14. de Ciuitat. c. 5. & D. Bernardus Sermone de circumciſſione. Poſtremò, error iſte ex eo reuincitur, quòd congreſſus viri & feminæ non ſolùm non fuerit eo tempore prohibitus, ſed expoſtulatus, dum eis eſt dictum: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.*

Quare data in illis partibus circumciſſio Iudæis.

Geneſ. cap. 1.

Cauendus error Mathiæ Flacci.

Caueat item ab errore Matthiæ Flacci Illyrici, relato a Franciſco Turriano vbi ſupra, aſſerentis, peccatũ originale eſſe formã quamdã ſubſtantialẽ naturæ hominis ſuperadditã. Exiſtimabat ſiquidẽ ille hæreticus, homini in principio ſuæ creationis præter rationalem animam, humanum corpus informantem, tributã fuiſſe ſubſtantialem quamdam formam, ſiue ſubſtantialem gradum, quo ad Dei D imaginem & ſimilitudinem in iuſtitia & gratia conſtitutus fuerat; diuinæq; particeps naturæ effectus, ac ſupernæ beatitudinis capax. Et poſtquam ille contra mandatum elegit ſibi ſumere cibum, & contra Creatorẽ ſuum ruinoſum illud admiſit delictum, eum ſubſtantialem illam formã imaginis ac ſimilitudinis Dei amiſiſſe, eaq; corrupta aliam itidẽ ſubſtantialem adquiſiuiſſe, qua ad omnia vitia pronus, & ad bonum ineptus atque inhabilis factus eſt, adeo vt ſubſtantialiter exiſtimet, hominem illum per corruptionem mutatum, & ex diuinæ naturæ participe atque ex Dei imagine redditum per formam ſubſtantialem denuo adquiſitam procliuem ad malum, & in Diaboli imaginem conuerſum & tranſmutatum. Quod quidem delirium conabatur probare multis ſacrarum litterarum teſtimonijs, quibus edocemur, hominẽ per peccatum mori,

A ſemen fieri Diaboli, plantationẽ Sathanæ, & alia eſſe ſimilia; quę neq; apparentiam habent, ſi iuxta Metaphoram (vt debent) accipiantur, & declarentur. Quẽ errorem infinita fere abſurda conſequũtur. Primò enim ſequitur, vel Deum eſſe cauſam peccati originalis, vel dari aliquã ſubſtantialẽ formã, quam Deus non producat. Illatio eſt clara. Quoniã illa forma ſubſtantialis, quæ eſt peccatũ originale, vel eſt a Deo producta, vel ſi non eſt a Deo, iam ſubſtantia aliqua ſubter fugiet Dei cauſalitatẽ; quod alludit ad errorẽ Manichæorũ, ponentium primũ illud principium malorum. Vnde non eſt minus abſonum, quod in eius erroris defenſionem addit hæreticus ille; Dęmonẽ ſcilicet, efficaciã habere ad illarum formarum tranſmutationem faciendam, Quod Theologi merito irrident. *1. Ioanis. c. 3. Ioannis cap. 8*

Secundò ſequitur, per baptiſmũ non auferri peccatũ originale; cum per illũ B nulla forma ſubſtãtialis deſtruatur. Quod ſi ꝑ teruè aliquã formã deſtrui aſſerat, ſaltẽ ſequitur in baptiſmo corruptionem inueniri formæ ſubſtantialis. Quo etiã cõceſſo, efficitur, hominẽ baptizatũ ſpecie differre ab eo, qui eſt in peccato originali; cum media forma ſubſtantiali differat. Immo & inferri poſſet, Chriſtum Dominum non fuiſſe eiuſdem ſpeciei cũ alijs hominibus, cũ eo peccato, atque ea forma ſobſtantiali caruerit. Innumaraq; alia conſequuntur inconuenientia, tum in Theologia, tum in Philoſophia, quæ conſideranti obuia eſſe poſſunt quæque ne multus cuiquam videar, prudens omitto.

Fugiat deniq; errorẽ impij Lutheri & eius ſequatiũ, quem refert Caſtro vbi ſupra, dicentiũ, peccatũ originale eſſe ipſam carnis concupiſcientiã, ſeu fomitem, aut potentiarũ inordinationẽ, quã in nobis experimur. Ad quod dicendũ moue C batur teſtimonijs Pauli ad Rom. c. 6. & c. 7. appellantis concupiſcientiã peccatũ & multus teſtimonijs D. Auguſtini id aſſerentis, pręſertim, lib. 1. de peccarorũ meritis, cap. 16. & lib. 2. cap. 4. & lib. 1. de nuptijs, cap. 25. & lib. 1. retractationũ, c. 15. Sed cõtra hos facit id, quod definitur a Conc. Trid. ſeſs. 5. in Decreto de peccato originali ꝑ batiſmũ ſcilicet deleri peccatũ originale. Si ergo poſt baptiſmũ manet fomes, iuxta illud Pauli ad Ro. c. 7. *Sentio aliã legẽ in menbris meis repugnantẽ legi mentis meæ*, non poterit ille eſſe peccatũ originale. Quamobrẽ teſtimonia Pauli interpretãda ſunt iuxta explicationẽ traditã ab eodẽ Cõcilio, loco citato. Quaſi appellet Paulus concupiſcientiã peccatũ, quia eius ſit effectus, vel quia ad illud alliciat. iuxta illud Iacobi cap. 1. *Vnuſquiſq́ tentatur a concupiſcientia ſua abſtractus & illectus; deinde concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum.* Eodẽ etiã modo intelligẽ D da eſſe teſtimonia Auguſtini, conſtat ex Eodẽ lib. 6. contra Iulianũ, cap. 5. & 8. & lib. 1. cont. duas epiſt. Pelagionorũ, cap. 13. Neq; eæ interpretationes ſomnia ſunt, vt impudẽtes hæretici calumniãtur. Multiplex etenim & varia eſt acceptio peccati in ſacris litteris. Accipitur ſiquidẽ aliquãdo pro oblatione & hoſtia, quę pro peccatis offertur, vt adnotauit D. Auguſt. q. 12. ſup Numeros. & Epiſt. 120. atq; Origenes hom. 5. ſuper Leuiticũ. Iuxta illud Oſeæ, c. 4. *Peccata populi mei comedent ſacerdotes.* Ideſt ea, quæ pro peccatis offerũtur. Vnde Chriſtus vera hoſtia ſe peccatũ feciſſe dicitur, 2. Cor. c. 5. *Eum qui non nouerat peccatũ, pro nobis peccatũ fecit* Hoc eſt, ſe ipſum tamquam hoſtiam pro peccato obtulit. Quod eſt idẽ cum illo ad Galat. cap. 3. *Chriſtus*, ait Paulus, *de maledicto nos redemit, factus pro nobis maledictũ*. Accipitur inſuper peccatũ ꝑ pœna debita peccato, iuxta illud, lib. 1. Mach. c. 6.

Fugiendus error Lutheri.

Peccatũ quot modis accipiatur.

Sancta & ſalubris cogitatio pro defunctis exorare vt a peccatis ſoluantur. Id eſt, a pœnis A peccatis debitis. & Leuitici cap. 20. *Qui dormierit cum vxore Patrui ſui, & reuelauerit ignominiam cognationis ſuæ, portabunt ambo iniquitatem, & peccatum ſuum; abſque liberis morientur*. Hoc eſt, portabunt iniquitatem, & pœnam eius, quam ſtatim explicat Scriptura ſubiungens verba illa, *Abſque liberis morientur*. Sumitur rurſum pro effectu peccati. Eſt enim conſuetum ſacris litteris effectus nominibus cauſæ nominare, ſicut & communi vſu loquendi, quod loquimur, lingua dicitur; quod ſcribimus, aut dipingimus, manus. & ita Paulus concupiſcētiam & fomitem peccatum vocat locis citatis. Demum pro tranſgreſſione mandatorum Dei ſumitur, vt paſſim in Scriptura videmus, & in ſcriptis Doctorum ſcholaſticorum.

Sed omiſſis hæreticorum erroribus, & ipſorum delirijs, in quibus confutandis non eſt iam cur immoremur, ad ſententias Catholicorum veniamus. Inter B quas deeſſet vtinam aliqua, quam vt pari fere nota dignam reijciendam nequaquam iudicare deberemus. Albertus enim Pyghius Campenſis, Controuerſia de peccato originali in ea fuit ſententia, vt exiſtimaret, in poſteris Adæ verè reperiri peccatum originale, non quia in ſingulis aliquid eſſe intriſecum & proprium crederet, a quo denominatentur; ſed quia a primo peccato Adæ per extrinſecam denominationem peccatores dicerentur. Eādem ſententiam tutatus eſt Ambroſius Catherinus opuſculo de caſu hominis, & peccato originali, diſputatione 6. & 7. vbi poſtquam Scholaſticos Doctores, vt proteruos fugis, tergiuerſationibus, & cauillis, difficultatibus ſatisfacientes obiurgat, & tāquam ad pauca reſpicientes ac poſitionem, quam ſemel elegerunt reclamante ſæpius C intellectu defendentes redarguit, commodiorem ſe eligere dicendi modum, & qui mirificè multis placuerit apprimè doctis, & bene Catholicis, cum quibus contulerit, arbitratur. Aſſeritque peccatum Adæ vnum & eumdem actum fuiſſe, reatu tamen atque effectu diuerſum, ideoque in nos illud propagatione trāſfundi; quia carentiam iuſtitiæ originalis, reatum, fomitem, & ſimilia (quæ apud ipſum pœnæ ſunt) videamus transfuſa: non verò quia aliquid aliud, quod proprie habeat culpæ, peccatique ratione, peccatoremque demū vnumquemque dici propter peccatum illud ab Adamo perpetratum atque commiſſum. Videntur huiuſcemodi Doctores de peccato originali, & de damnatione a primo parente permanante loqui, ſicut Lutherani de iuſtitia noſtra, & iuſtificatione a Chriſto proueniente loquebantur. Exiſtimabant ſiquidem Lutherani D hominē non per iuſtitiam interiorē animæ inhærentem, ſed per extrinſecam quamdam denominationem a iuſtitia in Chriſto Domino exiſtente prouenientem iuſtificari. Atque ita vtrique ſuum in patrocinium adferunt Diuinum Paulum ad Roman. cap. 5. quo loco collationem faciens Apoſtolus inter peccatum Adæ, & iuſtitiam Chriſti, & inter damnationem illius, ac redemptionem huius, dixit, quod ſicut per primum hominem peccatum intrauit in mundum; ita per Chriſtū gratia & iuſtitia: & quemadmodum ceteri omnes in Adam peccauerunt, & ab eo vnico delicto peccatores denominantur; ſic reliqui iuſti in Chriſto viuificantur, & ab eius iuſtitia & gratia iuſti & grati dicuntur. Vnde concludit Paulus: *Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem*.

Prima ſententia A. Pyghij & Catherini.

Probant ex Paulo ad Roman. 5.

ſic &

A *ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem. ſicut enim per inobidentiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per vnius obeditionem iuſti conſtituentur multi*. Ergo ex ſententia Pauli non ſunt in ſingulis hominibus ſingula peccata originalia, a quibus peccatores dici valeant. Sed ſolum vnicum fuit Adæ peccatum, & vnicus actus, a quo reliqui per denominationem extrinſecam ſic appellari debeant.

Ratione etiam id ipſum probare contendunt. Quia illud, quod eſt verè & propriè peccatum debet eſſe actus voluntarius circa obiectum diſſentaneum rationi. Inde eſt, neminem ſine aliquo ſuo actu iuſte puniri. Quare qui pœnas luere immerito ſe arbitrantur, hunc in modum conqueri ſolent: Quid feci? Quid patraui? Quid commiſi? Cum ergò originale peccatum ſit verè & pro- *Probant ratione.*

B priè peccatum, actus debet eſſe voluntarius. Sed non poteſt eſſe actus eius, qui habet peccatum originale; quia iam non eſſet originale, ſed actuale. Igitur debet eſſe actus alterius, a quo ſumitur extrinſeca denominatio.

Secunda ſententia fuit Durandi in 2. diſt. 30. queſt. 3. aſſerentis, peccatum originale nihil eſſe aliud ſecundum ſuam eſſentiam, quàm indignitatem habēdi iuſtitiam originalem, & reatum. Quare naſci in peccato originali eſt oriri cum obligatione non habendi iuſtitiam, & in indignitate ad illam. Probat Durandus hanc ſententiam. Quia peccatum originale fuit voluntarium: ſed non niſi ei eo, quod ſubiectum incurrit indignitatem habendi iuſtitiam originalem. Ergo in indignitate illa, ſiue obligatione conſiſtit quidditas peccati originalis. *Secunda ſententia Durandi.* *Eius fundamenta.*

C Probat rurſum: quoniam peccatum originale non eſt actus transfuſus ab Adam in nos; cum hoc ſit impoſibile. Ergo tantum eſt pœna cum reatu: quia hoc ſolum eſt transfuſum ab Adam in poſteros.

Tertia ſententia fuit Gregorij Ariminenſis in 2. diſt. 30. queſt. 1. Gabrielis ibidem, queſt. 2. Henrici de Gandauo Quodlib. 1. quæſt. 22. & Quodlib. 2. queſt. 11. Driedonis in fine lib. 1. de gratia & libero arbitrio. Quibus aſſentitur Michael Baius Doctor Louanienſis in lib. de peccato originali. Eamdemque ſententiam videtur tenere Magiſter, citata diſt. 30. Quorum omnium hoc fuit placitum, vt exiſtimarent peccatum originale eſſe qualitatem quamdam animæ inhærentem, & ex morbida qualitate carnis prouenientem. Quoniam arbitrabantur in Adamo poſt peccatum duplicem reſultaſſe qualitatem: alteram in voluntate; qua nimium in creaturas inclinabatur: alteram in carne, qua cum inficiatur ſemen in generatione, per illam producitur corpus alia ſimili & morbida qualitate infectum, atque ita in animæ infuſione corpus morbida illa qualitate coinquinatum coinquinat animam, in illa producendo qualitatem, quæ eſt peccatum originale. Vnde appellant præfati Doctores illam animæ qualitatem originale peccatum formaliter: morbidam vero qualitatem carnis dicunt eſſe peccatū originale cauſaliter. Cuius ſententiæ fundamenta ſunt quædam D. Auguſtini teſtimonia, in quibus docet peccatum originale eſſe concupiſcentiam, quæ eſt affectio malæ qualitatis, ſicut languor: rurſum animam corpori infuſam ab eo maculari ſicut a vaſe vitiato. Primum docuit, lib. 1. de nuptijs, cap. 23. & cap. 25. Secundum aſſeruit lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. 9. & 12. Et vtrumque *Tertia ſententia Gregorij & aliorum.* *Probant ex D. Auguſt.*

D (margin letter beside "luntate")

que

que multis alijs in locis. Probant ſecundò ex illa parabola hominis deſcendentis A ab Hieruſalem in Hierycho, Lucę cap. 10. in quo typicè intelligitur humana natura per peccatum non ſolum ſpoliata gratia & iuſtitia, ſed & vulnerata per aliquam qualitatem. Demum confirmant, quia maiorem multò ſentimus pronitatem in malum poſt peccatum, quàm ſentiremus in puris naturalibus. Aliquid ergo habemus poſt peccatum, quod non haberemus in puris naturalibus.

Quarta ſentẽtia: plurimo Scholaſticorũ ſumpta ex Anſelmo.

Quarta demum ſententia fuit Alexandri Hallens. Part. 2. quęſt. 122. Scoti in 2. diſt. 30. quęſt. 2. Antonij Andræ diſt. 32. quæſt. 1. Capreoli diſt. 30. quæſt. 1. Caietani Prima Secundæ, quæſt. 82. art. 1. & 3. Ferrarienſis lib. 4. contra Gentes cap. 52. in fine, Dominici Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 8. & 9. Bartholomæi a Medina in commentarijs ad articulum, 1. quęſt. 82. citatæ, atque aliorum Iuniorum tenentium, peccatum originale eſſe priuationem iuſtitiæ originalis, B quæ debuerat ineſſe. Quam ſententiam videntur ſumpſiſſe omnes ex Anſelmo lib. de conceptu Virginali cap. 27. Sed quamuis præfati omnes auctores in ea conueniant ſententia, atque doceant in peccato originali includi duo. Vnum tamquam formale; ſcilicet priuationem iuſtitiæ originalis: & alterum tamquã materiale; videlicet concupiſcentiam: in eorum tamen explicatione quàm maxime differunt. Suntque in quattuor diuiſi vias, quarum ſingulas contendunt ſinguli oſtendere fuiſſe S. Thomæ.

Diuerſæ explicationes Thomiſtarum.

Prima Via Caietani.

Prima itaque via fuit Caietani Prima Secundæ, quæſt. 82. art. 3. cuius ſententiam vt melius percipiamus, ex doctrina eiuſdem ſupponamus primò, priuationem iuſtitiæ originalis varijs poſſe ſumi modis, ſecundum quòd iuſtitia originalis multis & varijs poteſt conſiderari; dignoſcitur enim priuatio per eum habitum, quem a ſubiecto pellit. Sumitur quippe iuſtitia originalis. Primò, prout C erat donũ quoddam ſupernaturale animæ inhærens. Secundò, prout cauſabat in voluntate ſubiectionem ad Deum. Tertiò, prout cauſabat in voluntate rectum ordinem ad obiectum. Quartò, prout cauſabat in alijs viribus inferioribus ſubiectionem ad rationem & rectum ordinem ad obiectum. Priuatio ergo iuſtitiæ originalis poteſt eiſdem accipi modis. Primò pro priuatione illius doni habitualis & ſupernaturalis. Secundò pro priuatione ſubiectionis mẽtis, ſeu voluntatis ad Deum. Tertiò pro priuatione recti ordinis voluntatis ad bonum. Et denique ꝓ priuatione ſubiectionis ad rationem, & recti ordinis aliarum potentiarum, & virium inferiorum ad bonum.

Supponamus ſecundò, ex originali peccato duplicem inordinationem oriri D in voluntate; quarum prior eſt inordinatio, quæ opponitur ſubiectioni voluntatis ad Deum, & quæ ſignificatur per auerſionem: poſterior verò eſt inordinatio; quæ opponitur rectæ conuerſioni ad obiectum, & quæ ſignificatur per cõuerſionem, ſeu pronitatem voluntatis ad malum. Vnde per originale peccatũ ita manſit voluntas inordinata, vt primò maneret auerſa a Deo, & ſecundò maneret prona & conuerſa ad malum. His poſitis.

Aſſertum ſecundum eiuſdem.

Docet primò Caietanus, peccatum originale quantum ad formale dicere primariò priuationem illius doni habitualis, quod erat iuſtitia originalis, & ſecundariò dicere priuationem ſubiectionis mentis, ſeu voluntatis in Deum; quæ ſecunda inordinatio dicitur auerſio.

Docet

A Docet ſecundò, peccatum originale quantum ad materiale dicere priuationem eius ordinationis, quæ debebat eſſe ad bonum, ſiue in voluntate, ſiue in alijs viribus inferioribus, & conſequenter dicere conuerſionem, ſeu pronitatem voluntatis, & aliarum virium ad malum. & eam credit appellari concupiſcentiam a S. Thoma art. 3. citato. Et hæc quidem credit eſſe de mente S. Thomæ, ita loquentis in eo atticulo: *Sic ergo priuatio iuſtitiæ originalis, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali, omnis autem alia inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali ſicut quoddam materiale.* Hæc S. Thomas. In quibus verbis, nota primò, S. Thomam aſſerere priuationem iuſtitiæ originalis, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſſe formale in peccato originali. Nota ſecundò S. Thomam innuere voluiſſe illis verbis: *Omnis autem alia inordinatio virium animæ*, B aliquam inordinationem voluntatis pertinere ad formale peccati originalis; ſcilicet inordinationem, quæ opponitur ſubiectioni voluntatis ad Deum. Nam ſi hoc non voluiſſet docere, non dixiſſet: *Omnis autem alia inordinatio virium animæ*. Nota tertiò, expreſiſſe S. Thomam inordinationem voluntatis, quam innuebat pertinere ad formale peccati, illis verbis: *Sic ergo priuatio iuſtitiæ originalis, per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale, &c.* quaſi voluerit vnica propoſitione ſignificare priuationem non ſolum habitus, ſed & illius effectus, qui erat ſubdere voluntatem Deo, eſſe formale peccati originalis. Nota quartò, omnem aliam inordinationem præter priuationem habitus iuſtitiæ originalis, & præter priuationem ſubiectionis voluntatis ad Deum, S. Thomam declarare, pertinere ad materiale eius peccati. Vnde inordinatio voluntatis, qua volun- C tas eſt prona, & conuerſa ad malum, pertinet ad materiale peccati originalis, quamuis inter materialia eius peccati illa pronitas, ſeu conuerſio ad malum dici poſſit quodammodo formale.

Aſſertum ſecundum eiuſdem.

Probationes vtriuſque aſſerti.

Docet tertiò, peccatum originale non eſſe ſolam priuationem, ſed habere aliquid poſitiui admixtum; ſicut ægritudo, quæ eſt qualitas non cōpoſita, aut collecta ex pluribus qualitatibus diſſonis naturæ ægri, ſed diſſonans in principali parte: ita peccatum originale non eſt collectio, aut compoſitio pronitatū, quæ ſunt in viribus animæ, ſed pronitas exiſtens in prima animæ parte, prout illa prima pars animæ iuncta eſt, & cohæret ceteris partibus pronis. In huius confirmationem adducit S. Thom. in art. 1. q. 82. præſertim in ſolutione ad primum, vbi aperte docet, peccatū originale non eſſe puram priuationem, ſed habere aliquid D poſitiuū admixtū, eſſeque habitū corruptū, ſicut eſt ægritudo. Verba S. Thom. ſunt hæc: *Dicendum, quòd ſicut ægritudo corporalis habet aliquid de priuatione, inquantū tollitur æqualitas ſanitatis, & aliqd habet poſitiue, ſcilicet ipſos humores inordinate diſpoſitos: ita etiā peccatū orig. habet priuationē iuſtitiæ origin. & cū hoc inordinatā diſpoſitionē viriū aīæ:*

Aſſertum tertium Caietani

Secunda via eſt Capreoli & Ferrarienſis exiſtimantium, peccatum originale quantum ad formale dicere primariò priuationem iuſtitiæ originalis, & ſecundariò priuationem ſubiectionis voluntatis, in Deum, & recti ordinis voluntatis ad obiectum. Ita quod pronitas, & conuerſio voluntatis ad malum, quam Caietanus exiſtimat pertinere ad materiale: docent ſpectare ad formale peccati originalis. Quod probant ex eo, quia tantum tria videtur condiſtinguere S. Thomas, art. 3. citato: primò donum gratuitum: ſecundò effectum

Secunda via Capreoli, & Ferrarienſis.

Aſſerunt primo.

effectum formalem & primarium illius : & tertiò effectum ſecundarium in viri- A
bus animæ, prout mouentur a voluntate. Et quia duo priora apparent tamquã formalia in iuſtitia originali, ideo priuationem illorum duorum aſſerit expectare ad formale peccati originalis.

Probant ſecundò, quia priuatio primarij effectus iuſtitiæ originalis ſpectat ad formale peccati originalis : ſed priuatio primarij effectus includit plenam inordinationem voluntatis; ſicut & primarius effectus iuſtitiæ originalis includebat plenam ordinationem voluntatis, quantùm ad ſubiectionem ad Deum, & rectum ordinem ad obiectum. Ergo peccatum originale, quantùm ad formale plenam dicit inordinationem, quæ conſurgit ex auerſione a Deo, & pronitate, ſeu conuerſione ad bonum creatum. Vnde ponebant ſolum tamquam materiale iſti Doctores inordinationem virium inferiorum, quam dicunt appellaſ- B
ſe S. Thomam concupiſcentiam. Quoniam illa verba, quibus mouebatur Caietanus : *Omnis autem alia inordinatio virium animæ ſe habet in peccato originali ſicut materiale*, de inordinatione aliarum virium animæ, & non de aliqua inordinatione voluntatis eſſe intelligenda, ex verbis ſtatim poſitis a S. Thoma conſtare dicunt; quia poſt ea ſubdit : *Inordinatio aliarum virium animæ communi nomine poteſt concupiſcentia appellari, & ita peccatum originale materialiter eſt concupiſcentia &c.* Ex quibus, & alijs in articuli ſerie poſitis, colligi poteſt, per omnem aliam inordinationem virium animæ S. Thomam intellexiſſe inordinationem in alijs viribus tantùm.

Aſſerunt ſecundò. Aſſerunt ſecundò, concupiſcentiam, quæ eſt materiale peccati originalis, non eſſe habitum, aut qualitatem, neque aliquid poſitiuum ſuperadditum na- C
turali inclinationi: ſed eſſe ipſam inclinationem naturalem virium inferiorum, non abſolutè, ſed prout illa inclinatio naturalis perueniebat ex priuatione originalis iuſtitiæ, atque tendit ad inordinatè apetendum, & cum quadam relatione rationis ad peccatum primi parentis. Et hoc modo concupiſcentia eſt habilitas quædam ad inordinatos actus, nihil addens reale, ſed ſolum priuationem iuſtitiæ originalis, tamquam cauſam, & relationem rationis ad peccatum Adæ, tamquam id, quod concomitanter ſe habet. Tenet ita S. Thomas, quæſt. 4. de malo, art. 2. ad quartum aſſerens, concupiſcentiam, quæ eſt materiale peccati, eſſe concupiſcentiam habitualem per remotionem freni originalis iuſtitiæ ita relictam. Quaſi ſignificauerit, originalem iuſtitiam eſſe frenum naturalis inclinationis, continereque illam intra debitos limites : illa autem ſublata D
manere naturam effrenem ad pręcipitanter in obiecta tendendum. Id, quod itẽ credunt ſignificaſſe S. Thomam, Prima Secundæ, quæſt. 82. art. 1. cum appellauit peccatum originale habitum corruptum, naturæ diſpoſitionem, & eiuſdem languorem. Ideſt, naturam ex priuatione iuſtitiæ originalis factam languidam & prodiuem ad ſenſibilia bona.

Tertia via D. Soto & Bartholom. a Medina Docent primò. Tertia via incedunt Dominicus Sotus & Bartholomæus a Medina, aſſerentes primò peccatum originale quantùm ad formale nõ eſſe priuationem illius doni, tum quia ea reperitur in baptizatis. tum quia eſt effectus peccati originalis. tum quia Deus ſubſtraxerit originalem iuſtitiam, cauſaque fuerit priuationis illius.

Docent ſecundò. Aſſerunt ſecundò, peccatum originale formaliter eſſe priuationem primarij, & forma-

A & formalis effectus, qui prouenire debuerat a iustitia origin. Quod probat, quoniã id, quod in Adã habuit rationẽ culpæ & peccati, id origine in nos transfusũ est originale peccatũ: sed in Adã transacta actione peccandi, priuatio doni habitualis nõ fuit culpa, sed potius culpa fuit obliquitas & deuiatio a lege, & priuatio rectitudinis debitæ p modũ habitus manens. Ergo hæc eadẽ priuatio rectitudinis p modũ habitus in nos transfusa formalẽ habet rationẽ peccati originalis.

Asserunt tertiò, materiale peccati esse cõcupiscentiã, sed aduertũt, nõ ad eũdẽ sensũ concupiscentiã esse materiale peccati, ad quẽ cõcedimus in peccato actuali actionẽ ipsam esse materiale ipsius. Nam in peccato actuali id, q est materiale, nempe actio, denominatur peccatũ, quia substat malitiæ, & obliquitati illius; & quia est subiectũ saltẽ denominationis illius obliquitatis. At concupiscentia B non substat, neq; est aliquo modo subiectũ priuationis iustitiæ originalis pro formali; quia iustitia origin. & priuatio illius sunt subiectiue, vel in anima, vel in voluntate; concupiscentia, verò est in viribus inferioribus. Dicitur tamen cõcupiscentia materiale illius peccati, quia sit proximus defectus dimanans in viribus inferioribus ab inordinatione voluntatis, quæ est ratio formalis eius peccati: effectus verò nomine causæ sæpe nuncupari solet. Quare D. August. & Theologi eũ sectantes ad eũ sensum dicunt, concupiscentiã esse peccatũ originale, ad quẽ Paulus concedit, fomitem esse peccatum, quia scilicet sit effectus peccati.

Docent tertio [illegible]

Vltima via est quorumdam Iuniorum, ponentium primò peccatum originale formaliter esse priuationem iustitiæ originalis, id est, gratiæ & charitatis, quatenus eis debebat conuerti homo in Deũ: neq; refert, inquiunt, dicere esse carentiam doni habitualis, aut carentiam effectus formalis; siquidem idem est, subiectum priuari forma, & priuari effectu formali formæ. Quare auctores, quos pro explicationibus positis citauimus, credunt differe in modo tantũ loquendi. Probant suam assertionem primò, quia ea est optima regula cognoscendi quidditatem peccati originalis, iuxta Concil. Meleuitan. can. 2. & Concil. Trid. sess. 5. in Decreto de peccato originali inuestigare, quid per baptismum primò & per se auferatur: sed per baptismum primò & per se aufertur priuatio gratiæ & charitatis. Igitur in illa priuatione consistit quidditas peccati originalis.

Vltima via quorundã Iuniorum. Prima eorum Assertio.

C

Probant secundò, quia peccatum originale est mors animæ formaliter iuxta Concilium Arausicanum secundum, can. 2. & Concil. Trid. vbi supra: sed mors animæ est carentia gratiæ, & charitatis. Ergo in ea cõsistit essentia illius peccati.

D Et si ab ijs Doctoribus causã expostules, ob quã originale peccatũ potius dicitur carentia iustitiæ originalis, quàm gratiæ & charitatis: siquidẽ per eos, illud peccatũ in tantũ habet causare priuationẽ iustitiæ, in quantũ causat carentiã gratiæ? Respondent ideo Doctores ita loqui, vt explicent per peccatũ originale hominẽ priuari gratia, nõ quacunq; sed ea, quã in sua cõditione deberet habere.

Affirmant secundò, peccatum originale in sua quidditate includere auersionẽ a Deo fine supernaturali, nõ verò a Deo fine naturali. Probant hoc secundũ. Primò quia peccatũ originale non priuat aliqua perfectione naturali, quia post peccatũ, naturalia manserunt integra: sed conuersio ad Deum finem naturæ est naturalis homini. Ergo post peccatũ originale mansit. Vnde inferunt, pueros in Limbo existentes diligere Deũ finẽ naturæ sup oĩa, esseq; pbabile eos esse beatos

Secũda assertio.

beatitudine naturali. Atq; ita etiam ſi Adam poſt proprium actum, quo ſe ad A creaturas conuertit, manſerit auerſus a Deo etiam fine naturali, pueri nihilominus, qui ſine proprio actu a Deo fine ſupernaturali ſunt auerſi, conuerſi manēt ad eum finem naturalem. Non enim eſt data iuſtitia originalis, vt conuerteret hominem ad Deum finem naturæ, cum eam ſuapte natura haberet, ſed vt illam conuerſionem in Deum finem naturalem inter alia conſeruaret. B

Tertia aſſertio eorundem. Dicunt tertiò, peccatum originale in ſua eſſentia nihil includere poſitiuum: ſed quidquid in ea conſideretur, eſſe priuatiuum. Probant hoc primò. Quia ſi quidditas eius peccati includit aliquid poſitiuum, vel eſt anima, vel aliqua potētia animæ, vel aliquid ſuperadditum alicui eorum. Non eſt anima, quia ea potius eſt ſubiectum peccati, & quid bonum ex natura ſua. peccatum verò originale eſt malum & iniquitas. Neq; (ob eamdem rationem) eſt potentia animæ. Neque B eſt aliquid ſuperadditum, quia incideremus in ſententiam Gregorij & Henrici quam infra oſtendemus eſſe falſam. Quod ſi quis reſpondeat, eſſe quemdam modum ipſius animæ vel voluntatis non realiter diuerſum, ſed formaliter, ſcilicet ipſam animam aut voluntatem in creaturas nimis propenſam. Contra hoc arguunt, quòd ea ſolutio ſit inintelligibilis; quia illud poſitiuum, quod includit peccatum originale prout eſt idem cum anima aut voluntate propenſa, deberet eſſe idem cum propenſione animæ, ſeu voluntatis in bonū in cōmuni; propēſio autem in bonum in communi neq; augeri, neq; minui, neq; mutari poteſt, cū ſit quædam entitas naturalis nō potens accretionem, aut decretionem ſuſcipere immo neq; mutationē pati. Quamobrem homo in puris naturalibus conditus non aliter neq; alio modo haberet voluntatē, aut potentias propenſas, quàm ho C mo, modò genitus & ab Adā deſcendens, cum vterq; habeat eſſentiā, & potētias immutabiles, habereq; non valeat vnus aliquam entitatē, quā alius nō haberet.

Probationes eius aſſertionis. Probant ſecundò, quia ſi aliquod poſitiuum includeret in ſua quidditate peccatum originale, maximè conuerſionem ad creaturas: ſed ea conuerſio ad creaturas non poteſt habere rationem peccati, niſi ſit tamquam ad vltimum finem: & in ijs, qui ex Adam generantur, voluntas non eſt propenſa ad creaturas vt ad vltimum finem, cum ſit conuerſa ad Deum finem naturæ, vt ad vltimum finem, ſicut eſſet voluntas hominis producti in puris naturalibus. Ergo conuerſio ad creaturas non poteſt includi in peccato originis. Præterea quia illa conuerſio nō eſt phyſica, vt clare conſtat, neq; moralis, cū non ſit conuerſio actualis, neq; ſit conuerſio Adæ imputata per denominationē extrinſecam eius poſteris. Igitur D nihil poſitiuū in eo includitur. Poſtremò; Ideò ad delendū peccatum originale non requiritur conuerſio actualis eius, qui regeneratur, quoniam eius voluntas non erat conuerſa ad creaturā, tamquam ad vltimū finem. & ob eamdē rationē morienti cum ſolo originali non tribuitur pœna ſenſus. Ergo peccatū originale non dicit conuerſionē ad creaturas. Et confirmatur, quia in Baptiſmo totū id tollitur, quod eſt de vera eſſentia peccati originalis, & tamen per Baptiſmū nihil reale tollitur a baptizato. Igitur peccatū originale in ſua quidditate nihil reale includit: ſed ſolā priuationē. Hæc ſunt aliorum placita circa quidditatē originalis

Pro dilucidatione. peccati. Sed vt nos in hac re non minus difficili, quàm varia aliquid in medium proferamus, quo forſan eruditorum animi conquieſcant, præfari nonulla operę

pretium

A pretium duximus, quibus facilius poſtea ſententiæ noſtræ vires innoteſcant.

Præmittend. primò.

Præmitto igitur primò, quòd etiam ſi inter Doctores controuerſia ſit; An homo fuerit in gratia conditus, partem negantem tenentibus Alexandro Hallenſi 2. Part. q. 96. Bonauentura, & Scoto in 2. diſt. 29. atque Marſilio, quæſt. 16. id accipientibus ex Hugone de ſancto Victore, lib. 1. de ſacram. pag. 6. Affirmantem verò amplectentibus S. Thoma Prima Part. q. 95. art. 1. & Durando in 2. diſt. 20. Omnes tamen conueniunt, illum in iuſtitia originali fuiſſe creatum, iuxta illud Eccleſiaſtic. cap. 7. *Fecit Deus hominem rectum, & ipſe infinitis ſe immiſcuit quæſtionibus.* Sed ea iuſtitia originalis (quam eſſe eumdem habitum cũ gratia gratum faciente, probabilius multò exiſtimo cum Dominico de Soto lib. 1. de natura & gratia, cap. 5. quidquid ſenſerit Caietanus, Prima Part. loco

Gratia & iuſtitia originalis erant idem habitus.

B citato.) ſicut & gratia in animæ eſſentia, vt in ſubiecto erat, ibique effectum formalem primarium, & eumdem cum gratia producebat; reddebat enim animã diuinæ naturæ conſortem & participem, & in Deum habitualiter conuerſam; aliàs iuſtitia originalis in ſuo immediato ſubiecto nullum formalem effectum poneret, quod eſt contra naturam formæ ſubiecto inhærẽtis. Rurſus ex ipſa, ſicut & ex gratia, virtutes profluebant, tamquàm riuuli à fonte. Quæ explicuit optime Ægidius Roman. in 2. diſt. 30. quæſt. 1. art. 5. Solum autem erat differentia in hoc, quod virtutes a iuſtitia originali emanabant, ita vt redderent potentias inferiores ſubditas rationi, tandiu, quandiu ratio ipſa eſſet Deo ſubdita, ſic vt neque poſſent adhuc ſecundùm motus primò primos a ratione deuiare. Quãobrem eadem eſt natura gratiæ, etiam eius, quam habemus in ſtatu naturæ cor-

Iuſtitia originalis formalẽ et primarium effectum ponebat in anima eſſentia.

C ruptæ, & natura iuſtitiæ originalis, ſolum ex diuina inſtitutione & ordinatione pro diuerſis ſtatibus eadem natura diuerſas habet conditiones, & effectus ſecundarios. Pro quibus omnibus vide S. Thom. Prima Part. q. 95. art. 1. & q. 100. art. 1. ad ſecundum, & Secũda Secũdæ, q. 164. art. 1. Igitur iuſtitia originalis Adæ eius animã conuerſã in Deũ habitualiter reddebat, diuinæq; naturæ participẽ, tamquàm primarium effectũ cauſabat, inſuper rationẽ ſuperiorẽ Deo, rationẽ verò inferiorẽ, ſuperiori, & apetitũ ſenſitiuũ voluntati ſubdebat, cauſabatq; ea tamquam ſecundarios effectus quamuis inter hos ſecundarios effectus ſubiectio mentis in Deũ præcipuus ſit, & veluti formalis reſpectu aliorum, qui ſunt ſecundarij. Vnde ſicut in rebus Phyſicis effectus formalis animæ rationalis primarius eſt informare materiã, & dare illi eſſe hominis: ſecundarij autẽ effectus ſunt gra

Secundarij effectus iuſtitiæ originalis erant in potentijs animæ.

D dus poteſtatiui, qui dimanant ab anima & reddunt hominem intellectiuum, volitiuum, & ſenſitiuum: inter quos, etiam intellectiuum reſpectu ceterorum quodammodo eſt formale, tamquam gradus perfectior, eodem modo in propoſito. Sed ea iuſtitia cum omnibus prædictis effectibus Adæ eſt tributa, non ſolum vt peculiari perſonæ, ſed etiam vt principio totius humanæ naturæ, a quo quodammodo in poſteros per propagationẽ deriuanda erat. Quãobrẽ omnes nos in ipſo Adã, tamquam in ſtipite & capite atque ceterorũ principio iuſtitiam accepimus originalem cum omnibus ſuis effectibus. Eo autem pacto & conditione eam pro ſe & nobis accipit Adam, vt credamus Deum cum eo pepigiſſe; vt ſi illam, quam præceperat legem cuſtodiret, iuſtitiam ipſam originalem ſibi, & poſteris conſeruaret; ſin aliter, omnia pro ſe & filijs amiſſurum intelligeret.

Iuſtitia eſt data Adæ vt principio continenti deſcendentia.

Adã accepit iuſtitiam orig. ex pacto ex ſentẽtia S. Patrum, & Scholaſtic.

K 2 Quem

Quem pacti modum miror quomodo irrideant aliqui, inter quos est D. Sotus A lib. 1. de natura & gratia, cap. 10. cum colligatur ille ex sacris litteris, ex Sanctis Patribus, & ex scholasticis Doctoribus; possitque ratione suaderi. D. enim Augustinus, lib. 16. de Ciuitate Dei, cep. 27. & Eucherius, quæst. 24. in Genesim, ad nostrum propositum exponunt illud Genes. cap. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo; quia pactum meum irritum fecit.* Hieronymus item illud Oseæ, cap. 6. *Ipsi autem, sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prauaricati sunt in me*, ad idem propositum interpretatur. Consentiunt etiam Scotus, Albertus Pyghius & Catherinus locis citatis, & ratione comprobatur. Quoniam, vt peccatum Adæ ad descendentes deriuetur, vereque pertineat, non satis est, eum fuisse caput & principium descendentium ab eo; nam aliàs peccata omnia parentum transfunderentur ad filios: est igitur præter naturalem illam descendentiam necessaria lex aliqua a Deo lata, ratione cuius Adæ B data fuerit iustitia pro se, & sua posteritate. Hanc legem appellant commemorati Doctores pactum, iuxta vsitatum modum loquendi Sacræ Scripturæ. tum etiam quia ex vtraque parte videbatur quodammodo continere mutuam pacti obligationem. Cum ergo Adam iustitiam originalem pro se, & posteris eo pacto receperit, omniumque voluntates in sua quodammodo habuerit, inde etiã factum est, vt ex eius inobedientia, manserint omnes inobedientes & Dei inimici. Vnde optime Basilius homil. de ieiunio, ait. Omnes cecidimus, quia omnes in primo parente non ieiunauimus. & Augustinus lib. 1. de baptismo paruulorum cap. 10. Omnes, inquit, peccauerunt, quia omnes in eo (nempe in Adamo) fuerunt vnus homo. Ideo, vt accute notauit Catherinus in fine disputatio C nis 7. de peccato originali, nomen istud Adam, quod secundùm suam propriã significationem hominem significat, accommodatum est ad significandum illum primum hominem, vt inde cognosceremus ea, quæ cum illo a Deo agebãtur, non solum ad illum pertinere, sed spectare etiam ad vniuersum humanum genus in ipso contentum. Vnde postquam Genes. cap. 1. dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* subdit iuxta veritatem Hæbraicam: *Et præsint piscibus maris, et volatilibus cæli, &c.* Est enim eo loco posita vox illa וְיִרְדּוּ Veirdu, in plurali, quæ in rigore significat: *Et dominentur.* vt intelligeremus in eo homine, quem ad imaginem, & similitudinem suam creauit Deus, omnes homines, qui ex eo nascituri erant, & futuri ad imaginem & similitudinem eius, piscibus, volatilibus, & alijs præfuisse. D

Nomen Adã cum significet hominem qua re accomodatum primo parenti.

Ex quibus colligere, & intelligere non erit admodum difficile, quomodo peccatum originale sit voluntarium; non enim dicitur voluntarium voluntate propria, sed voluntate capitis. Quemadmodum enim si singuli ciues propria vniuscuiusque voluntate consensum proprium in vnius voluntaté transferrent, ita vt quidquid ille se velle declararet, id ipsum omnes velle profiterentur: tunc temporis verum esset vnumquemque ciuem id ipsum velle, quod ille se velle manifestaret. Non dissimiliter existimare debemus, omnium ab Adam descendentium voluntates in Adæ voluntate Deum posuisse, idque non solum rectissimè, sed etiam iustè & cum magno nostro commodo, non expectato nostro consensu potuisse a Deo fieri credendum est, non solum quia erat Dominus & supræmus

Quomodo peccatum originale sit voluntarium.

A mus humanarum rerum, ac noſtrarum voluntatum gubernator: ſed etiã quia totum illud in noſtrum ordinabatur bonum. Nam ideo Deus gratiam, iuſtitiã, & innumera alia auxilia Adæ contulit, abſtulitque ab eo internos omnes inimicos, vnumque tantum, & leuiſſimum ei vt capiti pręceptum impoſuit, vt aptus magis ad obediendum eſſet, & ad conſeruandum nobis iuſtitiam, quàm ad peccandum. His adde, totum illud circa ſupernaturalia verſari, ſine quibus homo ex natura ſua naſci deberet. Quare omnia illa Adæ, & nobis in eo conferri, gratiæ fuit: eo verò peccante, eis priuari rectitudinis & iuſtitiæ. Sed hæc ratio pars eſt eius, quam aſſignat S. Thomas, Prima Secundæ, quæſt. 81. art. 1. Quo in loco primùm ex Porphyrio cap. de ſpecie ſumpſit illud, *Participatione ſpeciei omnes homines ſunt vnus homo*. Rurſum ſicut accidit, inquit, in rebus ciuilibus, quod omnes ciues quaſi vnum corpus reputantur, ita etiam multi homines ex Adamo deriuati ſunt veluti multa menbra vnius corporis. Et ſicut actus vnius membri (puta manus) non dicitur voluntarius voluntate manus, ſed voluntate animæ primò mouentis manum, ita inordinatio, quæ eſt in homine ex Adamo genito, non eſt voluntaria voluntate ipſius, ſed voluntate Adæ mouentis omnes ab eo deſcendentes motione generationis. Quare ſicut peccatum per manum commiſſum non eſt peccatum manus, niſi inquantum manus eſt aliquid ipſius hominis, ſic etiam peccatum originale non eſt peccatum huius perſonæ, niſi inquantum hæc perſona naturam accipit a primo parente, & ob id nuncupatur peccatum naturæ.

Ratio S. Thomæ qua probat & explicat peccatum orig. eſſe voluntarium.

B

Non poſſumus tamen obiter non animaduertere iſthæc omnia nõ placuiſſe Catherino, opuſculo citato diſputatione 4. quo loco aſſeruit nil quietis intellectui ea omnia adferre. Primùm, nam logicum illud axioma ex Porphyrio adductum: *Participatione ſpeciei omnes homines ſunt vnus homo*, non videtur ad propoſitum allatum. Quoniam eadem ratione peccata omnium hominum vniuerſis communia fierent etiam, & ipſi Chriſto, cum vniuerſi etiam, & Chriſtus ſpeciei participatione ſint vnus homo, & non eſſet maior ratio contrahendi peccatũ Adæ, quam aliorum hominum; cum non ſit ille primus homo, magis homo quàm quilibet alius. Et reſpectu cuiuſlibet verificetur illud iuxta logicam acceptionẽ: *Participatione ſpeciei omnes homines ſunt vnus homo*, communis ſcilicet negatiue.

C

Catherinus arguit contra rationem S. Thomæ & cõtra tria exempla in ea inducta.

Cõtra primũ.

Illud inſuper ſecundò adductum de ciuibus vnum corpus conficientibus minùs Catherino videtur congruere; quia in Repub. aut quauis communitate in eo primùm conuenerunt actu ciues, vt aliquem ſibi in principem, aut ſuperiorem eligerent, qui in communitatis vtilitatem rebus omnibus prouideret. At Adamus nequaquam noſter fuit princeps; neque quiſquam noſtrum ei cauſam commiſſit aliquam; neque eramus nos in rerum natura, vt rem ipſe noſtram agere poſſet. Tum demùm quia peccata principis nequaquam ſubditis nocent, niſi propria voluntate admiſſa fuerint. Quomodo igitur Adæ peccatũ propria cuiuſque voluntate non admiſſum tantopere nobis nocuit?

Contra ſecundum.

D

Poſtremum etiam illud de manu a S. Thoma poſitum innumeris ratiunculis nititur oſtendere ad rem non facere. Primò, quoniam homicidio per manũ patrato, in manu non eſt peccatũ vt in ſubiecto, ſed mouetur manus tamquàm inſtrumentum ad peccandum; atque ita vnicum eſt peccatum hominis per manum

Contra tertiũ.

num

num commiſſum: at in nobis verè, & propriè eſt peccatum originale numero A diſtinctum a peccato Adæ. Secundò, quia in homicidio, ille qui manu occidit, ea vti poteſt vt inſtrumento, cum exiſtat in rerum natura: at vero Adam nullo noſtrũ eſt vſus vt inſtrumento ad peccandum, quia non eramus in rerum natura. Tertiò, quia eadem ratione quicunque homines deſcendentes ab auctore cuiuſque familiæ peccata contraherent ſuorum progenitorum, cum quilibet illorum moueat generando per principium motiuum generationis illos, qui ab eis deſcendunt. Quartò, quia motio, qua tunc mouetur manus a voluntate eſt peccatum: at motio, qua homo mouetur a primo parente, non eſt peccatum. Quomodo ergò per motionem, quæ non eſt peccatum, transfunditur in nos peccatum? Quintò, quia capi non poteſt, quomodo illud dicatur peccatum naturæ: quoniam vel dicitur peccatum naturæ vniuerſalis, vel naturæ particu- B laris, quod vtrumque falſum eſt; quia peccare non eſt naturæ, ſed perſonæ & ſubſiſtentis, cum actiones ſuppoſitorum ſint & ſubſiſtentium. Non igitur inducta exempla difficultatem tollunt.

Deceptus eſt valde Catherinus.

Sed in his procul dubio nimiũ deceptus fuit Catherinus: conſiderare etenim deberet, & ad id attendere, quod a nouitijs adhuc Dialecticis perſæpe animaduerſum videmus, in exemplis non quærendam identitatem, ſed contemplandam potius & ſcrutandam proportionem, & in eo ad quod adducuntur explicandum, ſimilitudinem. Cum enim S. Thomas rectè conſideraſſet, tria requiri, vt vnius peccatum deriuaretur in alterum; quod ſcilicet primò eſſent vnũ: quòd ſecundò vnus ab altero moueretur: & tertiò deniq; quòd aliquid deberet ab vno in alterum deriuari, quod non deriuaretur: tria etiam alia adhibere vol- C uit exempla, quibus hęc tria ſolum explicaret. Vt igitur primò intelligeremus, quomodo nos & Adam vnum eramus, & in vnica natura cõueniebamus, illud adduxit Axioma; *Participatione ſpeciei omnes homines ſunt vnus homo.* Vt perciperemus ſecundò quomodo omnes nos ab Adam moueremur, illud de ciuibus adduxit, qui licet ſint perſonæ diuerſæ, a principe tamen tamquam a capite mouentur, tamquam membra vnius corporis: licet in modo motionis ſit diuerſitas. Poſtremò vt vnico & eodem exemplo non ſolum tertiam conditionem, ſed & duas ſimul priores aperiret, exemplum illud de manu hominis homicidium per eam patrantis expoſuit. Manus enim & ille, cuius eſt manus, vnum conſtituunt ſuppoſitum, a quo manus ipſa mouetur: neque ab eo recipit motionem, quam deberet iuxta rationis regulas recipere. Quare ſicut manus non propria D regitur voluntate, ſed ſuppoſiti, ita ille, qui ab Adam deſcendit, non propria voluntate in illo peccato, ſed voluntate ſui capitis & principij mouebatur. Ecce proportionem, quam ſolum ſcrutari deberet Catherinus, relictis alijs diuerſitatibus, quæ obeſſe parum inſtituto S. Thomæ quilibet inſpicere poterit. Neq; denique peccatum originale ideò appellatur peccatum naturæ, quia non ſit verè & propriè in perſona: ſed quia ratio contrahendi illud, ſit vnitas in natura per propagationem accepta, quemadmodum ideo aſſerimus peccatum manus eſſe peccatum perſonale, quia eius peccati ratio ſit vnitas in perſona. Similiter cum dicitur peccatum originale voluntarium voluntate naturæ, nil aliud ſignificatur, quam fuiſſe voluntarium voluntate Adæ, prout ipſe erat principium

Ad quid induxit tria illa exempla S. Thomas.

Proportio quam deberet ſolum conſiderare Catherinus.

propaga-

A propagationis naturæ humanæ, cui naturæ in eodem contentæ conceſſa fuerat iuſtitia originalis, & virtualiter ab omni natura acceptata, ſicut & poſtea ſublata & remota.

Si verò perconteris. Cum non ſolum noſtra natura, ſed & noſtra voluntas fuerit in Adam, ſi ex eo, quia noſtra natura fuit in illo vt in capite, dicitur peccatum voluntarium voluntate naturæ, cur etiam non dicetur voluntarium voluntate noſtra? Eo vel maxime, quod ſicut conuenimus cum Adam in natura ſpecifica, & differimus in numerica, ſic etiam conuenimus in voluntate ſecundum ſpeciem, & differimus in voluntate numerica. Huius diuerſitatis eam credo eſſe rationem, quoniam cum dicimus aliquod eſſe peccatum voluntarium voluntate propria, actum nominamus in indiuiduo prout exijt ab eo, cum verò appellaB mus peccatum voluntarium voluntate naturæ, nominamus principium ipſius naturæ, vt ſic, & non nominamus perſonam, vt ſic. *Pulchra interrogatio.* *Reſponſio.*

Præmitto ſecundò, peccatum in ſua communitate ſumptum prima ſui diuiſione diuidi in peccatum veniale, & in peccatum mortale. Sed quoniam propoſito parum inſeruiens eſt, venialis delicti partitiones inueſtigare & adducere, eis omiſſis, peccatũ deinde mortale ſubdiuidimus, in mortale actuale, & in mortale habituale. Quando enim homo actu furatur, illum actuale committere peccatum, atque peccare aſſerimus. Poſt actionem tamen furandi, non illum peccare, neque peccantem eſſe, ſed eum peccatorem nominare conſueuimus; quia licet per actionem præſentem non auertatur a Deo, & conuertatur ad bonũ commutabile: manet tamen habitualiter a Deo auerſus & ad creaturas conuerC ſus virtute actus præcedentis. Quod optimè explicuit Driedo lib. de Captiuit. & redemp. generis humani foli. 25. & 26. Sicut, inquit, filius, qui recedit a domo Patris, quò longius progreditur, eò magis a domo patris diſcedit: ceſante autem motu & progreſſu, manet adhuc a domo patris elongatus, quouſque in eam reuertatur. Non diſſimiliter qui actu peccat, ſe a Deo elongat & auertit, ita vt actu ceſſante, auerſus adhuc maneat, donec per pænitentiam reuertatur. Quamobrem in ſacris litteris ratione præcedentium delictorum homines Dei inimici, abominales, & vaſa iræ apta in interitum nuncapantur. Quam diuiſionem peccati ſic accipere debemus, quaſi mortale peccatum per prius de actuali dicatur, per poſterius verò de habituali. Habet namque iſtud habituale peccatum rationem culpæ per attributionem ad actuale. Quamuis vtrumque verò D & propriè peccatum dicatur. Quemadmodum Peripatetici dicere ſolent, ens per prius de ſubſtantia dici, de accidente verò per poſterius, & per attributionem ad ſubſtantiam, quamuis vtrumque verè & propriè, & in rigore ſit ens. Vnde falluntur multi putantes, peccatum actuale diuidi adæquatè in veniale, & mortale, quaſi nullum ſit mortale, quod non ſit actuale. Decipiuntur quidem non conſiderantes duo, quæ deberent animaduertere. Primum, eam cõmunem eſſe diuiſionem, ſed non adæquatam; diuiditur enim communiter actuale peccatum in veniale & mortale, ſicut diuiditur homo in album, & nigrum: tamen album, vel nigrum in alio ſubiecto reperitur: ita diuitur actuale peccatum in veniale & mortale: tamen mortalis peccati ratio in alio reperiri poteſt, quàm in peccato actuali. Secundum eſt, quod deberent animaduertere iuxta commune *Præmittend. ſecundò.* *Diuiſiones quædam peccati inſtituto inſeruientes.* *Deceptio aliquorum putãtium peccatũ mortale debe re eſſe actuale.*

Dialecti-

Dialecticorum prouerbium, *Analogum per se acceptum stare pro famosiori & priori significato*: Quare cum absolutè peccatū mortale proferimus, pro actuali vt priori & famosiori accipimus; non quia re uera habituale peccatum non sit mortale, sed quia de isto per posterius & per attributionem ad illud prius peccatum esse mortale, intelligimus. Habituale præterea peccatum mortale partiri potest in peccatum habituale, quod remanet cum ordine ad actum præcedentem eiusdē personæ peccantis; quale est peccatum remanens in fure transacta actione furādi, & secundò in habituale peccatum quod remanet cum ordine ad actum præcedentem, non eiusdem personæ peccantis, sed alterius, in qua virtute continebatur. Tale est peccatum pueri recenter nati; quoniam puer ille verè, & propriè habet peccatum, & verè & propriè est constitutus peccator, iuxta illud ad Romanos cap. 5. *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Non quidem per actionē ipsius pueri, sed per actionem primi sui parentis, in cuius lumbis virtualiter continebatur. Vnde habituale peccatum ita propriè & vere est in puero recens nato, sicut in fure transacta actione furandi, quia mortali peccato habituali hoc solum est intrisecum, vt per ipsum, subiectum sit conuersum ad bonum commutabile, & auersum a bono incommutabili cum ordine ad actionem præcedentem: ei tamen per accidens conuenit ordo ad actionem eiusdem personæ, vel ad actionem alterius continentis virtualiter subiectum, in quo est.

Peccatum analogicè dicitur de actuali, & de habituali.

Ex quibus poteris primò colligere, peccatum analogice dici de peccato actuali, & de peccato habituali quocunque: Vniuoce tamen dici de habituali eiusdē personæ, a qua dimanauit actuale, & de habituali per propagationē transfuso. Quare, sicut primum habituale verè & proprie & in rigore denominat peccatorem, ita & secundum. C

Peccatū orig. vere est peccatum mortale.

Poteris secundò colligere, peccatum originale verè & propriè esse peccatum mortale, sicut peccatum habituale, quod remanet transacto actu furandi. Quoniam de intrinseca ratione peccati mortalis, vt est mortale, est auersio, vt diximus in priori parte huius Controuersiæ. Auersio autem æque primò saluatur in fure transacto actu furandi, & in puero recenter nato. Atque ita in Conc. Tridentino sess. 5. dicitur: *Qui dixerit primum parentem non traduxisse in posteros peccatum, quod est mors animæ; Anathema sit*. Et in Scriptura sacra aperte docemur per peccatum originale contraxisse mortem animæ. Igitur verè & propriè peccatum originale est dicendum peccatum mortale.

Quomodo intelligendæ cōparationes quæ fiunt inter peccatum originale & veniale.

Quamobrem comparationes factæ a Theologis, & præsertim a S. Thoma 3. Part. quæst. 1. art. 4. inter peccatum veniale, & originale accipiendæ sunt, non ex ea parte, qua originale est peccatum mortale; quia vt sic, in infinitū excedit veniale, & est eo grauius: sed ex ea, qua peccatum originale non est personæ, sed naturæ, hoc est, non contractum per propriam actionem eius, in quo est, sed per actionem Adæ, in quo tamquam in capite continebantur voluntates omnium ab eo descendentium. D

Triplex consideratio peccati origin. iuxta quam triplex indagandum constitutiuum.

Poteris colligere tertiò, tria nos posse cōsiderare in peccato originali. Primū, quod sit peccatū verè & propriè. Secundū, quod sit peccatū mortale habituale, & non actuale. Tertium, quod sit originale, & non contractum per propriam actionem personæ, in qua est. Iuxta quæ tria qui recte intelligere desiderat quid ditatem peccati originalis, oportet intelligat, per quid primò constituatur in

esse

A eſſe mortalis habitualis; per quid poſtremò conſtituatur in eſſe originalis. Ex quorũ cognitione orietur, vt credo, integra quidditatis peccati origin. notitia.

Præmitto tertiò, fieri non poſſe, vt aliquis reperiatur auerſus a Deo vltimo fine, & non conuerſus ad bonum commutabile, vt ad finem vltimum. (quantum ad affectum peccatoris) Quod aperte conuincitur ex eo, quod etiam ſi reſpectu vnius hominis neceſſario debeat eſſe aliquis vltimus finis: non tamen poſſunt eſſe plures vltimi, vt docte docuit S. Thom. Prima Secundæ q. 1. art. 4. & 5. Si ergo homo auerſus eſt a Deo vltimo fine, neceſſe eſt eum eſſe conuerſum ad bonum aliud creatum, tamquam ad vltimum finem. Doctrina hæc reſpectu hominis, qui per actionem propriam deliquit, ac mortaliter peccat, communiter recipitur, ita vt non ſolum quando peccat auertatur in actione a Deo, & per B eamdem conuertatur ad creaturam: ſed ita etiam, vt tranſacta actione maneat habitualiter ſubiectum auerſum a Deo, & conuerſum ad bonum commutabile: reſpectu tamen ſubiecti habentis peccatum originale, non ab omnibus eſt recepta. Quoniam Iuniores tenentes vltimam viam ſupra expoſitam in ſecundo ſuo dicto, exiſtimant eam doctrinam debere ſolum accipi (vt verum habeat) de peccato actuali, ſiue habituali remanente in eadem perſona, in qua præceſſit actuale, non autem de originali, cum illud ſit auerſio quædam habitualis, non autem conuerſio ad bonum creatũ. Quamobrem credunt in nobis propagari peccatum Adæ, quia transfunditur auerſio illa habitualis, non verò conuerſio. Quod ſi eis obijcias; hominẽ exiſtentẽ in peccato originali eſſe auerſum a Deo: ergo debere eſſe conuerſum ad aliquid creatum; cum illius hominis C debeat eſſe aliquis vltimus finis? Reſpondent primò, illationem non tenere, cum prædicta doctrina intelligi debeat de peccato actuali, non de originali. Certè vt verum fatear, hæc & ſimilia ſunt, propter quæ ſcholaſticæ diſtinctiones a multis paruipenduntur; cum ſæpius verbis pronuncientur, rebuſque accommodentur nonnullis, vbi mens conſentire non valeat. Bone Deus, ſi ſubiectum aliquod debet neceſſario habere aliquem vltimum finem actu, vel habitu. Igitur ſubiectum illud, quod habet peccatum originale, habere debet aliquem vltimum finem, ſi non poteſt actu, ſaltim in habitu, eò vel maximè quòd illud ſubiectum manet auerſum a Deo ultimo fine habitualiter, vt ipſi etiã fatentur: quomodo ergo poterit intelligi, non eodem modo (nempe habitualiter) manere conuerſum ad aliquid creatum tamquàm ad vltimum finem? Niſi forſan confin D gant ad conuerſionem illam in bonum creatum ut in ultimũ finẽ requiri actionem eiuſdem perſonæ. Sed tunc oporteret confingere, atque modũ inueſtigare, quo nobis explicarẽt, quomodo auerſio habitualis ſine actione propria perſonæ poſſit ad eamdem deriuari, & non poſſit conuerſio; ſiquidẽ per modũ habitus deriuaretur una, ſicut & altera. Reſpondent ſecundò deſcendentes ab Adam & peccatũ contrahentes originale ſolum eſſe auerſos a Deo fine ſupernaturali, non autẽ a Deo fine naturali. Quamobrẽ manere eos credũt cõuerſos ad Deũ finẽ naturæ, atq; ita docent nõ valere illationẽ illã: Manent auerſi a Deo. Ergo cõuerſi ad bonũ creatũ, vt ultimũ finem; quoniam eſt dare medium inter vtrumq; manere ſcilicet cõuerſos ad Deũ finẽ naturę. Sed hæc ſolutio ſtare nõ poteſt. Primò. quia in quocũq; ſtatu loquamur, adhuc ſi in puris naturalibus, auerſionẽ a Deo

Præmittend. tertiò.

Non poteſt aliquis eſſe auerſus a Deo quin ſit cõuerſus ad bonum commutab.

Cõfutatur ſriuola quædam ſolutio.

Si ſaluatur habitualis auerſio in puero, quomodo negari poteſt habitualis cõuerſio?

fine ſupernaturali comitatur auerſio a Deo fine naturali. Cum ergo maneant A
deſcendentes ab Adam auerſi a Deo fine ſupernaturali, etiam manebunt auerſi a Deo fine naturali. Aſſumptum illud ita probo. Quia peccatum omne, quod eſt mors animæ, atq; dicit auerſionem a Deo fine ſupernaturali, cum ſit verè & propriè peccatum, contra naturam eſt hominis, prout eſt homo, hoc eſt, contra rectam rationem, docentibus D. Auguſtino lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 17. (quo loco Ludouicus Viues id ipſum ex antiquis Philoſophis latiſſime comprobat) Damaſceno, lib. 2. fidei orthod. cap. 4. & Dionyſio 4. cap. de diuinis nominibus. Sic adeo vt vitia & peccata, quæ ſunt contra virtutes infuſas, & omnino ſupernaturales, ſint etiam contra naturam hominis, & contra rationem, cum natura rationalis dictet in communi & in genere in omnibus obſeruandam eſſe Dei legem, neque transgredienda quæcunque eius præcepta. Si ergo eſt contra rectam B
hominis rationem, a recta ratione deuiat & auertit. Igitur peccatum originale, cum ſit verè & propriè peccatum, & mors animæ, deuiationem & auerſionem habitualem dicit a recta ratione. Tunc vltra, eo ipſo quod peccatum auertit a recta ratione, & ei contrariatur formaliter, auertit a Deo fine naturali, & ei contrariatur obiectiuè, docente id S. Thoma Prima Secundæ, quæſt. 68. art. 1. ad ſecundum, & quæſt. 71. art. 2. ad quartum & quæſt. 73. art. 7. ad tertium, quia lumen rationis a Deo deriuatur, iuxta illud Pſalmi 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Ergo peccatum originale auerſionem habitualem dicit, non ſolum a Deo fine ſupernaturali, ſed etiam a recta ratione, & a Deo fine naturali.

Probatur hominem auerſum a Deo fine ſupernaturali, eo ipſo eſſe auerſum ab eodem fine naturali.

Præterea omnes nos in Adam, vt inobedientes transgreſſi fuimus præceptum illud: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas*. Igitur in eodem Adam conuerſi fui C
mus ad cibum illum, ventremque Deum conſtituimus, iuxta illud ad Philipens. cap. 3. *Quorum Deus venter eſt*. Ergo tranſacto illo actu Adæ, in quo cum eo præuaricati ſumus, manſit in nobis habitualis conuerſio ad commutabile bonum, tamquam ad vltimum finem, ſicut & in eodem Adam manſit, non ſolum vt peculiaris erat perſona, ſed vt principium & caput omnium noſtrum. Dicamus ergo nos (& colligitur ex S. Thoma quæſt. 4. de malo art. 2. in corpore,) in quouis peccato mortali ſaluari conuerſionem ad bonum creatum, tamquam ad vltimum finem, eodem omnino modo, quo ſaluatur auerſio a Deo vltimo fine. In actuali quidem ſaluatur actualis auerſio, & conuerſio. In habituali verò habitualis auerſio, & conuerſio in ordine ad actionem præteritam, ſiue eiuſdem perſonæ, ſiue alterius, in quo peccauit. Eoque modo in ori- D
ginali delicto veram & omnimodam rationem peccati; qualis reperitur in peccatoribus tranſacto actu peccandi, melius intelligemus: reuincemuſque aptiùs & commodiùs hæreticorum impudentiam negantium veram & propriam rationem culpæ in originali peccato reperiri. Atque ita demum quantò illi rationem peccati in eo delicto conati ſunt minuere, tantò nos curabimus eius proprietatem, veramq; rationem magis oſtendere & aperire. His prælibatis ſtatuo ſequentes propoſitiones.

Ratio qua conuincitur Adæ poſteros habitualiter conuerſos ad bonum commutab.

Prima propoſitio: Peccatũ originale eſt in vnoquoq; ab Adam deſcendente, non ſolũ per denominationẽ extrinſecã, neq; ſolũ quantũ ad reatũ & obligationẽ ad pœnã, ſed quantum ad verã rationẽ peccati, a qua intrinſecè denominatur peccator.

Prima propoſitio cõtra Pyghium & Catherinum, & Durandum.

A peccator. Hæc aſſertio eſt contra Pyghium, Catherinum, & Durandum: & ſine errore negari non poteſt. Conſtatque ex Concilio Trident. ſeſs. 5. vbi in hæc verba loquitur Concil: *Si quis Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe; aut illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod mors eſt animæ; Anathema ſit.* & ſtatim: *Si quis Adæ peccatum, quod origine vnum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſſum omnibus, id eſt, vnicuique propriū &c. Anathema ſit.* Vnde in ſacris litteris homines ab Adamo deſcendẽtes cõcepti dicũtur in iniquitatibus, & a ſorde nequaquam mundi; nuncupanturque alijs ſimilibus vocibus, quibus aliquid eſſe denotatur in Adæ poſteris, ſiue priuatiuum ſit illud, ſiue poſitiuum, a quo verè, propriè & ſimpliciter atque ab intrinſeco peccatores exiſtunt.

B Peculiariter contra Pyghium & Catherinum militat illud met teſtimonium ad Roman. cap. 5. ab eis in ſuum adductum patrocinium. Quoniam eo loco Paulus collationem faciens inter damnationem primorum parentum, & redemptionem Chriſti, aſſeruit, *Quod ſicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obeditionem iuſti conſtituuntur multi.* Sed tali modo per Chriſti obedientiam & gratiam iuſti conſtituuntur multi, vt non excludatur ab vnoquoq; peculiaris gratia de Chriſti plenitudine accepta, vt contra Lutheranos definiuit Concilium Trident. ſeſs. 6. can. 10. & 11. Igitur per inobedientiam Adæ ſic peccatores conſtituti ſunt multi, vt ab vnoquoque non excludatur aliquid, ſiue rationis, ſiue reale, a quo intrinſecè denominetur peccator. Et ita debere Paulum intelligi, colliges ex D. Hieronymo dialogo 3. contra Pelagianos; ex D.

Probatur aſſertio contra Catherin.

C Auguſtino lib. 2. de nuptijs, cap. 26. & ſuper Pſalm. 50. & ex D. Cypriano, lib. 1. Epiſtolar. Epiſtola 8.

Neque illud horum auctorum argumentum in peccati definitione fundatũ: quòd ſcilicet ſit actus humanus malus, ſi attendamus ad ea, quæ Notab. 2. præmiſimus alicuius eſt roboris: quoniam non eſt de ratione peccati quod ſit actus, ſed quod ſit actus, vel ordinem dicat ad actum præcedentem; vt conſtat in peccatore dormiente, qui per aliquid ſibi intrinſecum peccator conſtituitur, ſcilicet per conuerſionem habitualem ad bonum commutabile, & auerſionem ſimiliter habitualem a Deo. Quod ſi conſideraſſet Catherinus, non tam leui argumento ſuccubuiſſet.

Fundamenta Catherini nullam vim habent.

Inſuper contra Durandum ea propoſitio confirmatur. Quoniam vt ex ſacris D litteris clarè colligitur, reatus culpæ (qui nil eſt aliud, quam obligatio ad pœnam peccato debitam) nequaquam ponendus eſt, vbi culpa non ponitur. Si ergo peccatum originale ſolum eſſet reatus, aut quæuis alia pœna, iam obligatio ad pœnam in filijs Adæ eſſet ſine propria culpa. Quam rationem conuincere contra Durandum accurate inſpexit Catherinus; eiuſque ſi meminiſſet, nunquam in eam, quam reprobauimus, ſententiam veniſſet. Inde namque inſpicere potuiſſet ponendam eſſe culpam in eodem ſubiecto, in quo reatum; pœnas vè alias, ponendas cognouit. Immo inuitus profectò fuiſſet, ſe in Durandi ſententiam, quam prius reiecerat, tandem incidiſſe.

Probatur propoſitio contra Durandum.

Inde etiam nos obiter colligamus, nil probabilitatis habere id, quod M. Bartholomæus a Medina loco citato concluſione 3. inter eas, quas vltimo loco poſuit,

Non videtur probabile puerum codẽ reatu teneri quo Adam.

ſuit, probabile eſſe aſſeruit, deſcendentes ab Adam, atque habentes peccatum A
originale non alio reatu maculatos eſſe, neque teneri, quàm reatu illo primæ in obedientiæ. Hoc enim ex eo videtur improbabile; quoniam in quocunque ſaluatur vera & peculiaris culpa, ibi ſaluari debet peculiaris reatus,& obligatio ad pœnam ei culpæ debitam. Immo ex eo a poſteriori nos cognoſcimus contra Durandum,& alios, in vnoquoque eſſe peculiarem culpam, quia in vnoquoque nouimus particularem reatum, & obligationem ad pœnam. Sed eſſe in vnoquoque veram & peculiarem culpam, ſine errore negare non poſſumus. Ergo in vnoquoque pecculiarem eſſe reatum, & obligationem ad pœnam, non poſſumus cum probabilitate negare.

Argumenta Durandi nil probant.

Neque argumenta Durandi vim vllam habent; non enim peccatũ originale ex eo fuit voluntarium, quia indignitas & obligatio non habendi iuſtitiã originalem incurritur, ſed potius, quia quodammodo omnium voluntates continerentur in voluntate Adæ, vt in capite, iuxta ea, quæ late diximus, Notab. 1. Quare ſicut in ipſo Adam manſit anima,& tota natura conuerſa in bonum commutabile, vt in vltimum finem,& a Deo auerſa: ita etiam in quocunque ab eo deſcendente per ſeminalem propagationem, manet natura habitualiter conuerſa,& auerſa. Et ſicut indignitas illa habendi originalem iuſtitiam,& reatus conſequebantur conuerſionem ad commutabile bonum,& auerſionem a Deo in Adam: ſic in quocunque ab eo deſcendente conſequebantur habitualem conuerſionẽ, & auerſionẽ, quæ (vt infra dicemus) conſtituunt peccatũ, quod eſt mors animæ. B

Secunda propoſitio Cõtra Gregoriũ Ariminens. & alios.

¶ Secunda propoſitio: Peccatum originale non eſt eſſentialiter qualitas inhærens animæ ex morbida qualitate carnis producta. Hæc aſſertio eſt contra auctores 3. ſententiæ. Poſſetque multis comprobari: ſed ſufficiat, ſententiã ſine colorato fundamento poſitã brebiter confutare. Si enim qualitas illa eſt eſſentialiter peccatũ origin. cum omne ens poſitiuum a Deo ſit, ſequitur Deum cauſam eſſe illius. Quod ſi quis reſpondeat, qualitatem illam habere ſibi annexam priuationem iuſtitiæ debitæ. In primis hæc ſolutio non eſt ad mentem eorum auctorum, Inſuper quia tunc oporteret explicare, quomodo illa qualitas eſſet de eſſentia peccati originalis, & quomodo reſpectu illius ſe haberet priuatio, an tamquam conſequens, an potius tamquam intrinſeca, & an tamquam formale, vel quomodo. Denique qualitas illa poſitiua in anima exiſtens deberet habere cauſam efficientem, id quod libenter illi auctores concedunt, aſſerentes produci à morbida qualitate corporis. Sed hoc & impoſibile in bona Philoſophia, & inintelligibile iam ab omnibus iudicatur. Primò quia qualitas illa morbida corporis, vt pote corporea ſpiritalem in anima qualitatem nequaquam producere poſſet. *Non enim quod intrat per os, coinquinat animã*, ex ſententia Chriſti Domini; Matth. cap. 15. Igitur pomum illud non potuit media qualitate morbida animam inficere realiter. Secundò quia illa qualitas corporis non eſt, a quo poſſit dici producta; cum ridiculum ſit aſſerere, illam qualitatẽ ex cibo vetito, quẽ primi parentes comederunt, eſſe productam, quaſi cibus ille intoxicauerit carnẽ ad corruptionem miſeram, quam nunc ſentimus. Quoniam, vt colligitur ex Auguſtino lib. 4. de Ciuit. Dei cap. 12. & lib. 4. contra Iulianũ, cap. 37. & lib. 8. ſuper Geneſim, ſi cibus ille aliquid cauſaret in corpore, in ſalutem eius potius fuiſſet, C D

Ridiculum eſt aſſerere productam eſſe qualitatẽ morbidam eſu pomi in Adam.

quàm

A quàm in nocumentum & morbum. Neque minus ridiculũ eſt Gregorij Ariminenſis. aſſertũ, ponens ex Auguſtino (vt ipſe credit) lib. 4. Hypognoſticon, in principio, ex flatu venenoſi ſerpentis, per quem Dæmon primos tentauit parentes, productã eſſe morbidã illam qualitatẽ. Poſtremò: Nam iam homo poſt peccatũ qualitatibus afficeretur aliquibus, quibus non conſtaret in puris conditus naturalibus. Quod aduerſari videtur communi Theologorum ſententiæ, aſſerentium hominẽ in puris naturalibus conditum, & peccato originali infectum, ſolum differre, ſicut differt homo nudus ab expoliato. Ponit multa contra eam ſententiã Catherinus diſputatione 4. cit. Neq; proprie & in rigore intelligẽdus eſt Auguſtinus, vel auctor libri Hypognoſt. quisquis ille fuerit, ſed potius ſecundum Metaphorã accipiendũ eſt; flatu venenoſi ſerpentis primos parentes nocu-
B mentum accepiſſe. Similiter cum aſſerit, peccatum originale eſſe languorem & malam affectionem, ſolum ſignificare voluiſſe arbitrandũ eſt, non eſſe ſubſtantiam, aut ſubſtantialem formam, vt dicebant hæretici, neque ideo contrahi illud in anima, quia migret ipſa de corpore in corpus: ſed potius quia infunditur in corpore ab Adam per ſeminalem generationem deſcendente.

Ita Anſelmus lib. de cõceptu virg. c. 7.

Illud prætereà, quod adductum eſt pro ea ſententia: Naturam poſt peccatum manſiſſe non ſolũ ſpoliatã, ſed vulneratã, quod Thelogi ſumpſerunt ex Auguſt. lib. 2. q. Euangelicar. q. 19. ex Baſylio ſermone. 1. de Anunciatione, ex Ambroſio & Chryſoſtomo ſuper cap. 10. Lucæ. ſic intelligendum multi putant, non quod negent naturalia manſiſſe integra: neque ita vt qualitatem aliquam ibi per peccatum productam ponant; ſed ita; vt exiſtiment, hominem poſt peccatum tũ
C ſpoliatum gratuitis & ſupernaturalibus donis, tum vulneratum in naturalibus, quia in eis homo deficiat, quæ ſunt illi proportionata ſecundum ſuam naturam; cum neq; valeat omne verũ naturale cognoſcere, neq; omne morale bonum efficere, quod vtrumq; poſſet in ſtatu innocentiæ. In quo natura hominis ex coniunctione ad originalem iuſtitiam vim & robur haberet, vt medio generali concurſu, & omnẽ verum ſibi proportionatum cognoſcere, & omne morale bonũ efficere poſſet. Ita Caietanus, Prima Secund. q. 109. art. 2. ſed procul dubio ea naturæ vulneratio explicari debet de maiori pronitate animæ ad malũ, de quo prætactũ eſt in poſtrema ratione eius ſententiæ. Quæ minime concludit, neq; conuincit, ponendã qualitatẽ aliquã poſitiuã poſt peccatũ, quã non poneremus in puris naturalibus, cũ poſſit ea maior pronitas poni ſolum ex eo, ꝙ in puris natu-
D ralibus nulla eſſet priuatio ſuperaddita, qualis reperitur in natura poſt peccatũ. Sed de hoc latius dicemus infra in explicatione 4. propoſitionis.

Ad argumenta Gregorij Reſpondetur.

Auctores qui docent naturam manſiſſe vulneratam poſt peccat.

Tertia propoſitio: Peccatum origin. formaliter neque eſt priuatio doni habitualis, quod appellamus iuſtitiam originalẽ, neq; ſubiectionis mentis in Deum ab ea prouenientis. Hæc aſſertio eſt contra auctores quartæ ſententiæ, qui exiſtimabant, carentiã originalis iuſtitiæ eſſe formaliter peccatũ originale: quamuis eſſent diuiſi ac diuerſi in modo explicandi, vt vidimus. Priorẽ partẽ, quæ aſſerit non eſſe priuationẽ illius doni habitualis, ſufficienter contra Caietanũ & Ferrarienſem probauerunt Dominicus Sotus, & B. a Medina. Quoniã carentia iuſtitiæ eſt pœna, & effectus peccati. Neq; valet ſolutio Ferrarienſis, dicentis priuationem illam ſecundùm ſe, eſſe pœnam: ſed eamdem cum ordine ad peccatum

Tertia propoſitio Contra auctores quartæ ſententiæ.

Ratio quare peccatũ orig. non eſt priuatio doni habitualis.

primi

Redargutio solutionis Ferrariensis. primi parentis eſſe culpã, & putat ita ſenſiſſe S. Thomã, Prima Secundæ, quæſt. A 82. art. 4. Hæc ſolutio falſa eſt, & aduerſatur expreſse S. Thomæ Parte citata q. 85. art. 5. vbi in fine corporis docet, priuationem iuſtitiæ originalis eſſe pœnã peccati originalis, ſicut priuatio gratiæ eſt pœna peccati perſonalis. Tum etiã, quia priuatio illa in Adamo fuit pœna. Ergo in nobis non eſt culpa; cum peccauerimus in Adamo; & illud quod in Adamo, fuit peccatũ perſonale, in nobis tranſfuſum eſt originale: & ſicut carentia iuſtitiæ originalis, etiam ſi in Adamo conſideretur cum ordine ad actionem peccandi fuit pœna: ita etiam carentia iuſtitiæ, quæ debuerat ad nos deriuari, etiam cum ordine ad peccatum Adami erit pœna, & non culpa. Ordo enim ad culpam (quem videmus in qualibet pœna reperiri) non facit de pœna culpam. Neque S. Thomas contrarium dixit in illo art. 4. quæſt. 82. Quoniam eo articulo loquebatur non de priuatione formali illius habitus, ſed de priuatione cauſali, hoc eſt, de eo, quod cum ſit verè & B formaliter peccatum cauſat priuationem iuſtitiæ originalis. de quo in explicatione quartæ propoſitionis latius.

Redargutio ſolutionis Scoti. Et ſi quis adhuc dictis reſpondeat cum Scoto aſſerente non eſſe eamdem rationem in nobis & in Adamo, quantum ad carentiam iuſtitiæ originalis, quoniam in nobis ea carẽtia eſt contracta actu alieno: in Adamo verò actu proprio. At peccatum originale eſt carentia commemoratæ iuſtitiæ actu alieno habita. Hæc ſolutio non minuit vim rationis poſitæ. Nam carentiam iuſtitiæ eſſe in aliquo per actum proprium, vel alienum per accidens eſt ad explicandum, An ea ſit peccatum, au pœna peccati. Solum enim ea ſolutione declaratur diuerſitas carentiæ iuſtitiæ originalis, prout in Adam, & eiuſdẽ, prout in deſcendentibus C ab ipſo. Non verò aſſignatur ratio, quare in Adamo non fuerit peccatum, ſed pœna peccati, & in eius poſteris fuerit peccatum.

Confirmatur præterea prior pars concluſionis. Quia in peccatoribus baptizatis manet carentia illius doni habitualis, & tamen ea non eſt peccatum originale. Quod ſi reſpondeas cum Scoto, per baptiſmũ debitum habendi iuſtitiam originalem, commutati in debitum habendi gratiam ex Chriſti plenitudine, vnde non remanente poſt baptiſmum debitũ habendi iuſtitiam originalem, non remanet carentia illius. Hæc ſolutio non exhaurit vim argumẽti. Quoniam admiſſa ea doctrina (quidquid de ea ſit) ad priuationem alicuius doni nõ eſt neceſſarium debitum habendi illud; rectè enim concedimus ruſticum priuari habitu Theologiæ, Muſicæ, & ſimilium, quamuis non debeat habere illa. D Igitur puer baptizatus rectè dicetur carere iuſtitia originali, etiam ſi non debeat habere illam. Atque ita omnes concedunt vere nos carere iuſtitia originali.

Probatur peccatum originale non eſſe priuationem ſubiectionis mẽtis in Deum. Immo hac eadem ratione comprobare poſſumus ſecundam & poſteriorem partem tertiæ propoſitionis contra omnes alios Doctores. Nam in peccatore baptizato manet priuatio ſubiectionis mentis in Deum, tam eius ſubiectionis, quæ in poſteros per originem deriuanda erat ab Adamo mediante iuſtitia originali, quàm illius, quæ per gratiam reſtituentem & ſupplentem illam priorem ſubiectionem mentis ad Deum, & rectitudinem, deberet haberi.

Rurſum eamdem ſecundã partem propoſitionis confirmo. Quoniam ſicut ſe habet gratia ad ſuum primarium effectum formalem, nempe ad eſſe conſortẽ

diuinæ

A diuinæ naturæ: ita ſe habet iuſtitia originalis ad ſubiectionem mentis in Deũ, ſecundum hos Doctores. Inſuper ſicut ſe habet peccatum perſonale ad gratiã, ſic ſe habet peccatum originale ad iuſtitiam originalem: ſed peccatum perſonale non eſt priuatio primarij effectus conſortij diuinæ naturæ. Ergo peccatum originale non erit carentia eius, quod ab eis auctoribus ponitur, tamquam primarius effectus; nempe ſubiectionis mentis in Deum. Immo neque carentia primarij effectus, quem cauſabat in anima iuſtitia orig. Quod addiderim contra Ægidiũ vbi ſupra tenentem peccatum originale eſſe carentiã primarij effectus in anima producti. Vnde ſi verum amemus, videbimus, peccatum originale non eſſe id, quod eſt non habere mentem ſubditam Deo; neque id, quod eſt, animam non eſſe conuerſam in Deum per originalẽ iuſtitiam.

B Præterea carentia doni habitualis non poteſt eſſe culpa, vt probauimus, & cõcedunt Doctores huius viæ. Igitur neque carentia primarij effectus erit peccatũ originale. Illationem probo. Quia prior eſt carentia formæ, quam carentia effectus formalis: priuatio autem formæ eſt effectus peccati, & eo poſterior. Ergo & priuatio effectus formalis poſterior erit ipſo peccato. Conantur reſpondere huic rationi, in diuerſis generibus cauſarum idem poſſe eſſe prius & poſterius alio, iuxta Theologorum doctrinam loquentium de contritione, quæ in genere cauſæ materialis prior eſt habitu gratiæ, & ad eum diſponit: in genere verò cauſæ formalis illo eſt poſterior, & ab illo dimanat. Non diſſimiliter ſubiectio mentis in Deum in genere cauſæ materialis prior fuit habitu iuſtitiæ, & ad illũ diſponebat: at in genere cauſæ formalis poſterior fuit habitu originalis iuſtitiæ,

Idem alia ratione comprobatur.

Solutio B. à Medina.

C & ab eo proueniebat. Quare priuatio ſubiectionis mentis in Deum potuit præcedere tamquam culpa priuationem doni habitualis, quæ erat pœna. Sed hæc ſolutio, præfataque diſtinctio rem iſtam implicare, potius quàm explicare videtur. Quis enim vnquam reſpectu effectus formalis primarij prouenientis a forma in genere cauſæ formalis poſuit prioritatem in genere cauſæ materialis? Repugnat enim quòd eſſe album & eſſe animatum (qui ſunt effectus formales) poſſint conſiderari tamquam priora in genere cauſæ materialis. Quaſi effectus formales primarij conſiderari poſſint vt diſpoſitiones ſubiecti. Hæc enim eſt differentia inter actus ab habitibus procedentes, & effectus formales primarios a formis dimanantes, quod priores, & ſunt actus ab habitibus eliciti, & ſunt diſpoſitiones, quibus ſubiectum promptius & habilius redditur. Poſteriores verò præ

Redargutio eius ſolutionis

D ter rationem effectus in genere cauſæ formalis non habent rationem diſpoſitionum: immo potius præſupponunt ſubiectum diſpoſitum, & affectum ſua forma: & contrarium in bona Philoſophia, & Metaphyſica credo capi non poſſe. Quamobrem licet in contritione tamquam in vltima diſpoſitione & actu a gratia procedente locum habeat illa diſtinctio, nullum in originali iuſtitia, & eius effectu formali primario habere arbitror. Inſuper quia, cum loquimur de ratione formali conſtitutiua peccati, quis credet recurſum aliquo modo poſſe fieri ad genus cauſæ materialis? ſemper enim ratio formalis conſtitutiua alicuius ad genus cauſæ formalis pertinet. Quomodo ergo priuatio ſubiectionis mentis in Deum poterit in genere cauſæ materialis conſiderari, tamquam prior priuatione doni habitualis? Rurſum, ſi in genere cauſæ formalis prior eſt priuatio illius iuſti-

iuſtitiæ habitualis, quam priuatio ſubiectionis mentis in Deum, vt fatentur au- A
ctores huius ſolutionis. Ergo in genere cauſæ formalis pœna antecedit culpam, & tunc ſimpliciter pœna erit prior culpa; quia vt ex Ariſtotele didiſcimus, lib. 2. Phyſic. cap. de cauſis, quod eſt prius in genere cauſæ finalis & formalis, abſolutè eſt prius. Quando ergo nitimur veritatem aperire, ea oportet verbis proferre quibus mens conquieſcat, vſitatiſque Theologorum diſtinctionibus ibi vti, vbi diſtinctiones (iuxta ſui naturam & Ethymologiam) difficilia & obſcura, clara & aperta reddant, non autem obſcuriora & minus perceptibilia. Erit ergo priuatio iuſtitiæ originalis, & ſubiectionis mentis in Deum effectus peccati originalis, & pœna potius quàm culpa, ſeu formalis ratio culpæ.

Authores 4. ſententiæ ſupponunt vnum falſum.

Poſtremò ſupponunt falſum illi doctores aſſerentes, primarium effectum formalem iuſtitiæ originalis fuiſſe ſubiectionem mentis in Deum. Hoc enim, vt B
oſtendimus Notabili 1. non eſt verum. Quoniam primarius effectus formalis iuſtitiæ originalis in animæ eſſentia cauſari debet, vtpote in ſubiecto immediato illius doni habitualis, in voluntate autem quicunque effectus ab ea iuſtitia proueniens ſecundarius erat, & ſupponens primarium. Quare ſubiectio mentis in Deum non poteſt eſſe primarius effectus formalis iuſtitiæ originalis. de quo vide ſupra.

Ex prædicta propoſitione, & eiuſdem confirmatione habes, argumenta eorum auctorum, quos tribus prioribus vijs incedere retulimus, nullam vim habere. Quoniam in Adamo neque carentia doni habitualis, neque priuatio ſubiectionis mentis in Deum peccatum erat poſt tranſactam actionem peccandi, ſed pœna peccati. Quomodo autem intelligenda ſint teſtimonia S. Thomæ, C
quæ in ſuum patrocinium adducebant, audies ſtatim poſt 4. propoſitionem.

Solutiones argumentorum, quæ aſſerebant Iuniores 4. vis pro ſua. 1 aſſertione.

Habes ſecundò, falſum eſſe primum illud dictum poſitum ab auctoribus vltimæ viæ, aſſerentibus peccatum originale eſſe priuationem iuſtitiæ originalis, id eſt, gratiæ & charitatis. Neque duo illa argumenta in eius probationem inducta aliquid probant. Primum illud procedens iuxta regulam Concilij Mileuitani & Tridentini ſubſumit propoſitionem probandam, per baptiſmum primariò auferri priuationem gratiæ & charitatis. Non enim eſt illud, quod primariò tollitur: ſed conſequenter ad remotionem peccati id ſublatum eſt, vt infra videbis. Secunda ratio, cum ſupponat per idem conſtitui peccatum originale in ratione peccati, & in ratione mortalis, falsò nititur fundamēto. Quamuis enim peccatum originale vtrumque includat, tamen per aliud conſtituitur D
in eſſe culpæ, & per aliud in eſſe mortis animæ. Nam licet peccatum originale in eſſe mortis animæ, conſtituatur per auerſionē, non tamen in eſſe culpæ, in quo per aliquid ante auerſionem conſideratum, audies nunc illud conſtitui.

Omnibus fuit difficillimum aperire quodquid eſt peccati orig.

Veniamus iam ad eius dilucidationem quod aperire omnibus fuit difficillimum. Quid enim non ſit originale peccatum, cuique facile fuit explicatu; quid autem ſit, vtinam Deo iuuante aperire valeamus. Sed prius breui in memoriam reducamus oportet triplicem illam peccati originalis conſiderationem, Notabili 2. præmiſſam. Poſſe primò conſiderari illud peccatum, inquantum propriè, & verè atque præcisè, eſt culpa. Secundò prout eſt mortale & mors animæ. Tertiò ſecundum quod eſt originale, & non actuale. De quibus omnibus peculiariter

A riter dicendum eſt, vt melius eius peccati quidditatem intelligamus.

Quarta propoſitio. Peccatum originale in ratione peccati conſtituitur per conuerſionem habitualem ad obiectum indebitum, cui conuerſioni eſt coniuncta tamquam complementum intrinſecum priuatio rectitudinis debitæ. Hanc propoſitionem oportet prius explicare, anteqnam probemus. Ex ſuperiori parte huius controuerſiæ accepimus, peccatū in ratione peccati cōſtitui non per ſolam conuerſionē ad obiectū, ſed per conuerſionē cum priuatione rectitudinis, quæ debuerat ineſſe ad modū, quo ſupra explicuimus. Hoc autem diuerſo modo conuenit peccato actuali, & peccato habituali. Nam peccati actualis intrinſecū conſtitutiuum eſt actualis conuerſio cum priuatione rectitudinis, quę debuerat ineſſe illi actioni & ſubiecto operanti per illam conformiter ad rectam rationē.

Quarta propoſitio.

Explicatio propoſitionis.

B Peccati verò habitualis intrinſecum conſtitutiuum eſt conuerſio habitualis ad obiectum indebitum cum priuatione rectitudinis, quæ debuerat conformiter ad rectam rationem ineſſe ſubiecto per actum præcedentem, ratione cuius dicitur ſubiectum manere habitualiter conuerſum. Cum ergo peccatum originale non ſit peccatū actuale, ſed habituale, in ipſo ſaluatur habitualis conuerſio animæ ad obiectum indebitum cum priuatione rectitudinis; quæ conformiter ad rectam rationem naturæ ineſſe debuerat: ſed ſublata eſt per actum præcedentē, non propium, ſed eius in quo, vt in primo principio & capite continebatur. Et aduerte, quod non loquimur de priuatione eius rectitudinis, quā haberet homo per originalem iuſtitiam; quia hæc priuatio eſt effectus peccati, vt vidimus, ſed de priuatione rectitudinis, quam deberet habere natura conformiter ad rectam

De priuatione cuius rectitudinis ſit ſermo in prop.

C rationē. Quia, vt præmiſſimus, Notabili. 3. recta ratio dictat obediendū Deo in omnibus, nullaque eius præcepta tranſgrediēda. Sic intellecta cōcluſio probatᷓ.

Quoniam iam omnes cōueniunt, illud quod manſit in Adamo tranſacta actione comedendi de ligno prohibito, & illud quod eum peccatorem reddebat in poſteros transfuſum eſſe peccatum originale: nam Concilium Tridentin. ſeſſ. 5. dixit, peccatum originale vnum eſſe, ſed propagatione transfuſum eſſe vnicuique proprium. Sed in Adam manſit conuerſio ad commutabile bonum cum priuatione rectitudinis, quam deberet habere natura conformiter ad rectā rationem, & iſtud erat, quod eum peccatorem conſtituebat, & ex eo ſequuta eſt priuatio gratiæ & iuſtitiæ originalis, & carentia ſubiectionis mentis in Deum, & ante illud nihil eſt aliud, quod poſſit intelligi conſtituere Adam peccatorem.

Probatur propoſitio.

D Ergo conuerſio illa habitualis cū priuatione rectitudinis dictæ in poſteros tranſfuſa eſt peccatum originale. Nihil enim aliud, quod culpæ rationem habuerit in Adamo, transferri potuit præter commemoratam conuerſionem habitualem cum priuatione rectitudinis. Quoniam in Adamo ſolum eſſe potuit peccatum actuale, vel habituale: ſed traduci actuale erat impoſibile; tum quia vna numero actio non poſſet migrare de ſubiecto in ſubiectum; tum quia actuale peccatum ceſſauit, ceſſante actione comedendi. Debuit ergo transferri illud, quod erat habituale, non quidem habituale Adæ, pro vt erat particularis perſonæ: ſed pro ut erat principij & capitis totius naturæ ab eo propagandæ. Quamobrem propagatur natura habitualiter conuerſa ad commutabile bonum cum relatione & ordine ad actum illum primi capitis.

Secundò confirmo eamdem propoſitionem. Peccatum quodcunque, etiam originale, eſt quoddam malum morale: ſed malum morale, quod eſt peccatum commiſſionis, intelligi non poteſt ſine conuerſione ad obiectum indebitum, & ſine priuatione rectitudinis; vt ſupra in priori parte huius cõtrouerſiæ vidimus. Ergo peccatum originale in ratione peccati, non poteſt intelligi ſine conuerſione ad obiectum commutabile & priuatione rectitudinis, non quidem actuali, ſed habituali. Confirmatur inſuper. Quia anima peccato originali infecta contrariatur Deo, & ei non ſolum priuatiuè ſed contrariè eſt inimica, ſed ad eam cõtrarietatem non ſufficit priuatio ſola, cum vtrumque contrariorũ debat eſſe poſitiuum. Ergo quemadmodum anima per originalem iuſtitiam erat conuerſa habitualiter in Deum: ita per peccatum originale erit conuerſa habitualiter in commutabile bonum, vt in vltimum finem, & Deo contraria habituali affectu. A B

Dubitatio. An conuerſio habitualis ſit aliquid poſitiuũ.

Interrogabit verò aliquis ſumens occaſionem ex his, quæ nunc dicebamus. Num huiuſmodi habitualis cõuerſio ad bonũ commutabile, quæ remanet poſt actum peccandi, & appellatur peccatũ habituale, ſit aliquid poſitiuũ, an potius merè priuatiuũ? Et ratio dubitandi eſt, quia ex vna parte videmus nos innuiſſe aliquid eſſe poſitiuum. Ex altera verò, ſunt argumenta facta a Iunioribus vltimæ viæ pro tertio ſuo dicto, quæ videntur probare aperte, non eſſe aliquid poſitiuũ. Reſpondeo tamẽ conuerſionem illã habitualem ad bonum commutabile, vt ad vltimum finem, includere in ſe duo. Primum, inclinationẽ animæ in bonũ cõmutabile. Secundum priuationem rectitudinis, quam anima deberet habere cõformiter ad rationẽ. Itaque ſicut ſupra priori parte huius controuerſiæ ponebamus, rationem formalẽ peccati actualis eſſe cõuerſionẽ actualẽ ad obiectũ indebitum, & priuationẽ rectitudis debitæ, ita ut neq; ſufficeret conuerſio actualis, neq; ſufficeret priuatio rectitudinis: ſed ex vtroque in genere moris dicebamus vnum confici conſtitutiuum formale peccati actualis, ſimiliter aſſerimus ex propenſione naturali ad bonum commutabile, & ex priuatione rectitudinis, quam anima conformiter ad rectam rationem deberet habere, intelligimus confici vnum in genere moris, quod eſt conſtitutiuum peccati habitualis. Inſuper ſicut dicebamus in peccato actuali conuerſionem in obiectum ſecundum ſe, & præciſe ſumptam eſſe bonam, & a Deo: ita aſſerimus, inclinationem animæ ad bonum commutabile ſecundum ſe & præciſè ſumptam eſſe bonam & a Deo. Et ne plura multiplicemus, loquendum eſt pari modo de inclinatione & propenſione ad bonum proprium & bonum creatum, prout ſubſtat priuationi rectitudinis debitæ ineſſe conformiter ad rectam rationem reſpectu peccati habitualis, ſicut loquuti ſumus ſupra de conuerſione actuali ſubſtante priuationi, reſpectu culpæ actualis. Igitur conuerſio illa habitualis, quæ conſtituit peccatum habituale, dicit propenſionem animæ, prout ſubſtat priuationi rectitudinis, quam anima habitualiter deberet habere iuxta regulas rationis. Quare includitur ibi poſitiuum, ſed non ſuperadditum ipſi naturæ, ſed ipſamet naturæ pronitas per dictam priuationem rectitudinis facta nimis prona & nimis procliuis ad bonum commutabile. Exempla ſunt plura in naturalibus. In equo præcipitanter incedere, non dicit aliquid poſitiuum ſuperadditum naturali inclinationi incedendi: ſed eſt ipſa naturæ inclinatio, prout ſubſtat priuationi C D

&

A & ſubtractioni freni. Simile exemplum eſt in naui, fracto gubernaculo, & in alijs ſimilibus. filoſofamur ergo nos de conuerſione iſta habituali animæ ad modum quo ſupra filoſofari Capreolum & Ferrarienſem de concupiſcentia, quæ eſt materiale peccati originalis diximus, parique paſſu de conuerſione habituali ſeruata proportione loquendum credimus. Neque contra iſta vim habent ea argumenta, quibus illi Iuniores vltimæ viæ vtebantur in confirmatione m ſuæ tertiæ aſſertionis. *Ad argumẽt. auctorum vltima via pro 3. ſua aſſertione.*

Ad Primum Reſpondeo, conuerſionem illam habitualem ad bonum commutabile, vt ad vltimum finem, non eſſe animam, neq; potentiam animæ, neq; qualitatem ſuperadditam, neque propenſionem in bonum in communi: ſed propenſionem animæ ad bonum commutabile, prout ſubſtat priuationi rectitudinis debitæ conformiter ad rectam rationem. Vnde quantum ad poſitiuum, quod includit illa habitualis conuerſio, non diſtinguitur homo poſt peccatum ab homine condito in puris naturalibus, diſtinguitur tamen quantum ad hoc, quod poſt peccatum illud poſitiuum priuationi ſubſtat, & ratione vtriuſq; manet homo conuerſus ad bonum commutabile tamquam ad vltimum finem. At in puris naturalibus, cum deſit illa priuatio rectitudinis debitæ conformiter ad rectam rationem, licet maneat propenſa anima ad bonum commutabile, non tamen vt ad vltimum finem. Quare non eodem modo remanſit ſimpliciter homo poſt peccatum, ſicut eſſet, ſi crearetur in puris naturalibus, quamuis nil poſitiuum habeat in vno ſtatu, quod non in alio haberet. *Ad primum.* (B)

Ad Secundum concedimus, illud poſitiuum incluſum in conuerſione habituali eſſe propenſionem ad creaturas, & illam inſuper propenſionẽ, prout ſubſtat priuationi rectitudinis debitæ, ordinare habitualiter animam ad creaturas, vt ad vltimum finem, & conſequenter potentias animæ. Quare falſum eſt, voluntatẽ pueri recenter nati, & ab Adam deſcendentis manere conuerſam & propenſam ad Deum finem naturæ, tamquam ad vltimum finem, vt late probauimus Notab. 3. Neq; eſt eadem ratio de puero in puris naturalibus: nam eo tempore cum non eſſet conuerſus ad creaturas, vt ad vltimum finem, poſſet eſſe propenſus in Deum finem naturæ. de quo habebitur poſtea ſermo. Denique illa cõuerſio habitualis, moralis eſt, quia voluntaria voluntate naturæ, hoc eſt, voluntate Adæ quodammodo continentis voluntates ab eo deſcendentium. Neq; in hoc mirari debent iſti Doctores, cum etiam ipſi fateantur, auerſionem habitualem pueri eſſe moralem & voluntariam, ob eamdem rationem. *Ad ſecundũ.* (C, D)

Ad Vltimum fatemur, verum eſſe ad delendum peccatum originale non requiri conuerſionem actualem, non quia in habente illud peccatum non ſit conuerſio habitualis ad creaturas, ſed quia tollitur per aliam habitualem conuerſionem contrariam, cauſatam medijs habitibus ſupernalibus infuſſis in baptiſmo. Ad confirmationem concedimus, per baptiſmum auferri eſſentiam peccati originalis, quia tollitur per illum habitualis conuerſio ad bonum commutabile, vt ad vltimũ finem, per quam in eſſe peccati habitualis conſtituebatur. Cum quo bene ſtat remanere poſitiuum, quod includebatur in illo peccato, cum illud ſolitariè ſumptum ſine priuatione rectitudinis, bonum ſit, & non ſit ſufficiens ad cõſtituendũ malum & peccatum. Quod ſi vrgeas. Igitur aliquid poſt baptiſmũ *Ad vltimũ.*

Redargutionis responſio. remanet, quod erat de quidditate peccati originalis. Reſpondetur, propenſionē illam poſſe conſiderari dupliciter, vno modo in eſſe naturali, alio modo in eſſe morali. In eſſe quidē naturali prout eſt quædam inclinatio, & ſic non conſtituit peccatum, & hoc modo remanet poſt baptiſmum: at in eſſe morali prout priuationi ſubſtans ad modum dictum, conſtituit peccatum, & eo modo non remanet. Vnde verum eſt dicere nihil eſſentiale peccati originalis remanere; quia nihil remanet in eſſe morali. Quemadmodum in peccatore habente vitium adquiſitum ex actibus peccandi poſt pænitentiam non manet vitium in genere moris, neque ipſe manet vitioſus, quamuis in eſſe qualitatis maneat ille habitus. Sicut ergo in hoc nil eſſentiale remanet peccati, etiā ſi remaneat habitus & qualitas, ita in propoſito quamuis maneat inclinatio naturalis, nil eſſentiale manet peccati originalis. A B

Obiectiones aliæ contra 4. propoſitionē. Obiectio prima. Sunt præterea multi, qui conantur varijs rationibus ſuperiorem propoſitionem labefactare, aliquibuſque rationibus friuolis procul dubio & litterati hominis ingenio indignis falſam oſtendere. Argumentantur primò, quia ex quarta propoſitione ſequeretur, peccatum originale eſſe amorem terrenorū, & inordinatum affectum, quod eſt contra omnes Theologos. *Solutio* Sed certe in quo ſita ſit vis huius argumenti (vt meam fatear inſcitiam) non intelligo. Nam amor vel affectus terrenorum ſumi poteſt pro actu amoris: vel actuali affectu, & tunc neque apparentiam habet ſequella; cum loquamur nos de conuerſione habituali animæ. Vel ſumi poteſt pro paſſione naturali appetitus ſenſitiui, & tunc multo minus apparentiam habet ea obiectio, cum loquatur de eo, quod non eſt immediate in anima vt in ſubiecto. Si denique ſumatur amor terrenorum & inordinatus affectus pro inordinatione generali, quæ communis eſt omnibus peccatis, & pro affectione communi ad bonum proprium. Quo ſenſu intelligi poteſt illud Auguſtini lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 28. amor ſui uſque ad cōtemptum Dei, ædificat ciuitatem Babylonis, quis negare poterit, peccatum originale eſſe nimium amorem habitualem ſui, hoc eſt, nimiam habitualem conuerſionem ad creaturas propter bonum proprium? Quare fateor me non intelligere in quo ſita ſit vis eius obiectionis. C

Obiectio ſecūda. Arguunt ſecundò. Quia ſequeretur, naturam noſtrā cum ſuis potentijs poſt peccatum originale manere magis conuerſam ad bonum commutabile, quam ſi crearetur homo in puris naturalibus. Quod deteſtantur Theologi aſſerentes ſolum differre hominem poſt peccatum ab homine in puris naturalibus, ſicut differret nudus ab expoliato. *Solutio* Pro ſolutione huius animaduerto, hanc eſſe differentiam inter hominem in puris naturalibus, & poſt peccatum, quòd in puris naturalibus naſceretur homo conuerſus ad bonum creatum, non tamquàm ad finem vltimum; quia alias iam naſceretur in peccato: ſed tamquam ad finem proximum, per quem tenderet in Deum finem naturæ, quare tunc non eſſet auerſus a Deo. Vnde reſpectu Dei finis ſupernaturalis neque tunc eſſet auerſus, neq; conuerſus, ſed ſe haberet negatiuè. Poſt peccatum verò quilibet ab Adam genitus oritur a Deo auerſus, & conſequenter ad creaturas conuerſus. Igitur quantum ad modum tendendi in creaturas, homo poſt peccatum magis conuerſus manet ad illas, quàm ſi eſſet in puris naturalibus, cum maneat in eas conuerſus D

vt

A vt in finem vltimum. Neque illud Theologorum axioma, quòd differunt ſicut nudus & ſpoliatus, contra nos eſt: quia illo ſolum cōtendunt Theologi nil naturalium eſſe deperditum poſt peccatum, Sed omnia manſiſſe, quamuis vulnerata. Dicuntur tamen vulnerata ex eo, quia poſt peccatum manſerunt magis prona & procliuia in creaturas, quàm eſſent in puris naturalibus: quę maior pronitas attenditur, non ex eo quia inclinatio naturalis ſit in ſe aucta; ea enim augeri non poteſt, ſed quia ex parte termini, in quem tendit poſt peccatum eſt aucta. Nam in puris naturalibus ordinabatur in bonum creatum, ſed non tamquam in finem vltimum, ſicuti contingit poſt peccatum. Neque hæc doctrina a me putari debet conficta, cum ſit Ricardi in 2. diſtin. 30. art. 1. quæſt. 2. & diſt. 35. art. 2. quæſt. 2. & S. Thomæ, Prima Secuudæ, quæſt. 85. art. 2. quo loco *Quomodo intelligenda ea quæ docent Theologi, naturalia māſiſſe vulnerata.*
B diſputantes quomodo bonum naturæ, & in clinatio ad virtutem diminui poſſit per peccatum, docent non poſſe dimiuui in ſe, ſed ex parte termini, ponendo impedimentum. Vnde concedit S. Thomas inclinationem naturalem diminui per peccatum ex parte termini, quia ponitur impedimentum perueniendi ad terminum. Non diſſimiliter inclinatio & pronitas in malum dicitur poſt originale peccatum aucta, non in ſe, ſed ex parte termini, in quem tendit tamquam in vltimum finem, in quem ſolum tendere deberet tamquam in medium. Eſt enim oppoſitorum eadem dsciplina. Et ſicut inclinatio ad virtutem per peccatum dicitur minui: ita per ipſum inclinatio in proprium & commutabile bonū, dicetur augeri. Et hinc conſtat ſatis apertè ſolutio poſitæ obiectionis.

Obijciunt vltimò: Quoniam poſt baptiſmum manet hominis concupiſcen- *Obiectio tertia.*
C tia ita propenſa ad bonum commutabile, ſicut ante baptiſmum, cum ſit naturalis. Ergo per peccatum non eſt maior propenſio in bonum commutabile. Et confirmatur: Quia conuerſio ad bonū cōmutabile eſt in voluntate vt in ſubiecto. Ergo ſi peccatum originale eſſet conuerſio, iam voluntas maneret magis conuerſa, & denique iam peccatum originale eſſet in voluntate vt in ſubiecto.

Reſpondeo, in primis argumentum non militare contra nos, cum non ponamus peccatum originale eſſe conuerſionem ad commutabile bonum in viribus inferioribus; hoc enim ſpectat ad materiale eius peccati. Inſuper poſt peccatum tam ſuperiores vires, quam inferiores, immo & ipſa anima manſerunt magis procliues & magis pronæ, ad ſenſum expoſitum: quæ maior pronitas erat primò in anima, & inde deriuabatur ad vires tā ſuperiores, quàm inferiores. Qua- *Solutio.*
D re poſt Baptiſmum licet maneat eadem concupiſcentia, quæ eſt poſſio naturalis: non tamen manet cum illa maiori pronitate, quæ attenditur ex parte termini, cum non inclinetur in bona ſenſibilia, vt in finem vltimum. Et ita Concilium Tridentin. ſeſs. 5. docuit poſt baptiſmum manere concupiſcentiam, ſed non nocere, niſi conſentientibus: utilem verò eſſe repugnantibus. Quaſi ſignificet manere concupiſcentiam, prout eſt naturalis paſſio humanæ naturæ. Ad confirmationem dicitur, conuerſionem habitualem, de qua loquuti ſumus in quarta propoſitione, primariò eſſe in animæ eſſentia, & ſecūdariò in eius potentijs. Vnde etiam in voluntate eſt illa maior pronitas & habitualis cōuerſio. ſed quoniam in ea eſt ſecundariò, non eſt ibi peccatum originale, vt in ſubiecto. Atq; ita docuit S. Thomas Prima Secundæ, quæſt. 82. art. 2. peccatum originale immediate

mediate eſſe in anima. Hactenus aliorum obiectionibus ſatisfecimus: nunc reſtant duæ aliæ, ex quarum ſolutionibus veritas præfatæ propoſitionis magis innoteſcet. A

Duæ aliæ obiectiones contra eamdem propoſitam. *Prior obiectio.*

Prior eſt. Nam anima noſtra numquam poteſt per ſeipſam actualiter conuerti, cum non poſſit per ſeipſam agere, conuertitur tamē media voluntate & eius operatione. Igitur conuerſio, vt in ſubiecto immediato eſt in voluntate. Conuerſio ergo habitualis erit, vt in ſubiecto immediato, in voluntate, diceturque anima conuerſa in aliquod obiectum per voluntatem, ſicut per illam dicitur volens, aut volitiua. Ergo peccatum originale, quod eſt in animæ eſſentia, vt in ſubiecto immediato, non poteſt eſſe habitualis conuerſio. Pro cuius ſolutione

Solutio eius.

ſuppono illud, quod Thomiſtæ omnes fatentur gratiam eſſe habitum, qui datur homini, vt per illam conſtituatur in eſſe ſupernaturali, ex ea deinde dimanant habitus operatiui, qui ſunt in potentijs. Atque ita gratia & charitas differunt, quia gratia eſt habitus, quo mediante anima habet eſſe: charitas verò eſt habitus, quo mediante anima per voluntatem operatur. Igitur habitus qui exiſtit in eſſentia animæ non eſt operatiuus, ſed in ea eſt, vt illam conſtituat in aliquo eſſe. Cum ergo certum ſit apud S. Thomam, originale peccatum eſſe in eſſentia animæ, ibi eſt per modum habitus; cum ſit conuerſio habitualis ad bonum commutabile, non quidem per modum habitus operatiui, & requirentis actionem propriam animæ: ſed per modum habitus conſtituentis hominem habentem animam cum originali culpa, in eſſe filij iræ & inimici. Et ſicut ſufficit in iuſtificatione pueri; qui baptizatur, ad hoc, vt gratia recipiatur in eſſentia animæ illius, actio voluntatis Chriſti volentis omnes, qui batizantur, iuſtificari, neque requiritur actio ipſius animæ immediata: ita vt in generatione per ſeminalem propagationem contrahatur in eſſentia animæ originale peccatum, ſufficit, quod fuerit in voluntate primi parentis continentis omnes poſteros, actio, qua voluerit conuerti ad bonum commutabile. Et ſicut infantis baptizati anima ſine propria conuerſione actuali manet per habitum gratiæ habitualiter conuerſa in Deum: ita ante baptiſmum ſine propria actuali conuerſione manet ex contractione peccati originalis, habitualiter conuerſa ad bonum commutabile. Saluari ergo poteſt habitualis animæ conuerſio in bonum commutabile ſine aliqua actuali propria conuerſione animæ, ſolum quia præceſſerit conuerſio actualis in voluntate Adæ continentis quodammodo poſterorum voluntates. B C D

Interrogatio notanda.

Sed poſſet quis interrogare; An huiuſmodi habitualis conuerſio ſit eiuſdem ſpeciei cum conuerſione illa, qua Adam conuerſus eſt in cibum vetitum? Videtur enim ex dictis colligi eiuſdem eſſe ſpeciei. Nam identitas ſpecifica peccatorum ex conuerſione ad obiectum ſumitur, docente id S. Thoma 1. 2. quæſt. 72. art. 1. dictum eſt autem conuerſionem habitualem Adæ transfundi in poſteros, & inde ipſos manere habitualiter conuerſos. Igitur illæ conuerſiones eiuſdem ſunt ſpeciei. Reſpondeo, quod vt habemus ex priori parte huius controuerſiæ, peccatū poteſt conſiderari. Primò quantum ad ſpeciem primariam & veluti ſubſtantialem, quæ ſumitur ex ordine ad obiectum primarium. Secundò quantum ad accidentalia, & quæ conſequuntur primariam peccati ſpeciem.

Certum

A Certum enim eſt furtum graue, & furtum leue intra eamdem ſpeciem furti contineri; quia ex parte obiecti non diſtinguntur; cum per vtrumq; homo conuertatur in alienum contra regulas rationis. Quia tamen ex furto graui ſequitur auerſio a Deo, quæ non ſequitur ex leui; inde eſt, ex parte auerſionis illa duo peccata differre genere, cũ differant ſicut veniale, & mortale. Non diſſimiliter peccatum habituale Adæ, & peccatum habituale pueri recenter nati, quantum ad primariam ſpeciem, & ex parte obiecti, eiuſdem ſunt ſpeciei: quia ut retulimus ſupra ex D. Baſylio in homilia de ieiunio, omnes cecidimus, quia omnes in primo parente non ieiunauimus. Vnde vtrumque peccatum habituale, & quod remanſit in Adamo poſt actum proprium contemnendi diuinum præceptum, & comedẽdi de ligno prohibito, & illud quod transfunditur in poſteros Adę, ſine
B actione propria eorum ad ſpeciem Superbiæ, & conſequenter Gulæ reducendũ eſt: cum his tamen bene ſtat, quantum ad ea, quæ ſunt accidentalia peccato, vt peccatum eſt, ea duo peccata genere diſtingui: eo quod vnum eſt propria actione commiſſum atque perſonale: alterum verò alieno actu & non proprio contractum, tamquam originale.

Poſterior Dubitatio eſt: Quod videantur ea, quæ diximus aduerſari doctrinæ D. Anſelmi, & præcipue ijs, quæ S. Thomas docuit 1. 2. quæſt. 82. art. 3. & quæſt. 4. de malo, art. 2. quibus in locis fatetur aperte, formale peccati originalis eſſe priuationem iuſtitiæ originalis. Pro ſolutione animaduerte, priuationẽ eſſe duplicem. Vnam formalem, quæ eſt negatio in ſubiecto apta nato, vt cæcitatas & tenebræ. Aliam cauſalem, quæ cauſat eam negationem; quomodo re-
C ceſſus Solis dici conſueuit priuatio luminis, quia cauſat negationem luminis in aere. Prædicti ergo Doctores aſſerunt, formale peccati originalis eſſe carentiam & priuationem iuſtitiæ originalis non formalem, ſed cauſalem. Quaſi intelligant rationem formalem peccati originalis cauſare priuationem iuſtitiæ originalis, ſicut receſſus ſolis cauſat priuationem luminis. Eadem diſtinctione componenda ſunt multa, quæ apparent inter ſe contraria in doctrina S. Thomæ. Cum enim dixit quæſt. 82. art. 2. priuationem iuſtitiæ originalis eſſe cauſam peccati, intelligendus eſt de priuatione cauſali, ita vt ſit ſenſus, id quod cauſat priuationem iuſtitiæ originalis, eſt cauſa (ſcilicet formalis) peccati originalis. Et alludimus ad interpretationem Caietani eo loco. Nam ratio formalis cauſa nuncupatur formalis. Et cum quæſt. 85. art. 5. dixit. Priuationem iuſtitiæ originalis
D eſſe pœnam ex culpa originali ortam, intelligendus eſt de priuatione formali, vt ſupra contra Ferrarienſem cœpimus dicere.

Poſterior obiectio quia videntur dicta eſſe contra doctrinam S. Thomæ.

Solutio obiectionis.

Quod ſi redarguas & ſcite ſaltem ſequi S. Thomam non explicuiſſe in particulari rationem formalem peccati originalis, cum non docuerit, quid illud eſſet, quod priuationem iuſtitiæ originalis, & ſubiectionis mentis in Deũ cauſabat. Reſpondeo, explicuiſſe id S. Thomam præcitata quæſt. 82. art. 1. cum dixit, peccatum originale eſſe habitum corruptum. Nam quamuis id multi de ſolo materiali peccati originalis intelligendum eſſe doceant, de formali nos arbitramur eſſe accipiendum. Indeque colligimus, nam aliàs non plene ſatisfeciſſet S. Thomas interrogationi factæ in titulo eius primi articuli, cum interrogat; An peccatum originale ſit habitus? Quia non reſpondiſſet de eo, quod verè, & propriè

Redargutio

S. Thomas 1. 2. q. 82. art. 1. cum dixit peccatum originale eſſe habitum corruptũ de formali peccati orig. loquebatur.

propriè & formaliter eſt peccatum originale. Tum etiam, quia ordo articulorum eius quæſtionis id expoſtulat. Quia art. 1. credendum eſt interrogaſſe de formali peccati originalis, cum poſtea, art. 3. interroget de concupiſcentia, vt pote de materiali illius. Debemus ergo accipere verba S. Thomæ, aſſerentis peccatum originale eſſe habitum corruptum, & inordinatam diſpoſitionem de ratione formali peccati originalis, quæ eſt conuerſio habitualis animæ cum corruptione, ſeu priuatione rectitudinis debitæ conformiter ad rectam rationem. In qua conuerſione includitur poſitiuum & priuatiuum, ut ſupra explicuimus, & conformiter ad S. Thomam in eadem quæſt. 82. art. 1. ad primum. Quam doctrinam ſumpſiſſe S. Thomã crediderim ex B. Dionyſio, docente, culpã originalem eſſe habitum diſſimilitudinis Dei ingenitum. Quod, alijs verbis dixit S. Thomas habitum corruptum, & ingenitum. Inſpexitque hoc non minus maturè, quam accutè doctiſſimus Pater Franciſcus Turrianus in Epiſtola citata de definitione propria peccati originalis, pag. 12.

Dicta ſunt cõformia doctrinæ D. Dionyſij.

Obiectio contra dicta.

Quod ſi adhuc nobis obijcias, eumdem S. Thomam in ea ſolutione, ad I. art. 1. quæſt. 82. mentionem ſolum facere de priuatione iuſtitiæ originalis, non de priuatione rectitudinis debitæ ipſi animæ conformiter ad rectam rationem, reſpondetur, etiam datam eſſe iuſtitiam originalem ad conſeruandam animæ rectitudinem, ſecundum conformitatem ad rectam rationem: quia tandiu anima haberet eam rectitudinem, quandiu eſſet Deo ſubdita & in illum conuerſa. Vnde per priuationem iuſtitiæ originalis, intelligit S. Thomas eo loco, immo & per diſſimilitudinem Dei, intellexit Dionyſius priuationem eius rectitudinis, quæ per iuſtitiam originalem (quam appellat Dionyſius ſimilitudinẽ Dei) conformiter ad rectam rationem conſeruabatur.

Solutio.

Obiectio de diſcurſu S. Thoma in art. 3. quæſt. 82.

Si denique moleſte inſtes, atque obijcias diſcurſum articuli 3. quæſt. 82. citatæ, in quo videtur S. Thomas præfata omnia deſtruere. Ponemus tibi ob occulos breuem paraphraſim litteræ S. Thomæ, vt melius percipias ea, quæ diximus, ei non eſſe contraria. *Reſpondeo*, inquit S. Thomas, *dicendum, quod vnumquodque habet ſpeciem a ſua forma*, ſiue a ratione ſua formali, *dictum eſt autem art. 2. praecedenti, quod ſpecies peccati originalis ſumitur ex ſua cauſa* formali, ſiue ex ratione formali, *vnde oportet, quod id, quod eſt formale in originali peccato accipiatur ex parte cauſæ* ſcilicet formalis, ſiue ex parte rationis formalis *peccati originalis. Oppoſitorum autem oppoſitæ ſunt cauſæ* formales: *eſt igitur attendenda cauſa* formalis *originalis peccati ex cauſa* formali *originalis iuſtitiæ, quæ ei opponitur: tota autem ordinatio originalis iuſtitiæ ex hoc eſt, quod voluntas hominis erat Deo ſubiecta*: quod intellige de totali ordinatione quantum ad effectus potentiarum. Nam anima prius intelligitur in Deum conuerſa, tamquam immediatum ſubiectum originalis iuſtitiæ, in quo deberet aliquem formalem effectum & primarium cauſare, poſt cognoſcuntur potentiæ Deo ſubditæ, & inter eas primò eſt voluntas Deo ſubiecta. Et conformiter ad hoc ſubdit ſtatim S. Thomas: *Quæ quidem ſubiectio primò & principaliter erat per voluntatem, cuius eſt mouere omnes alias partes in finem. Unde ex auerſione voluntatis a Deo conſequuta eſt inordinatio in omnibus alijs animæ viribus. Sic ergo priuatio originalis iuſtitiæ*, nẽpe cauſalis, *per quam voluntas ſubdebatur Deo, eſt formale in peccato originali. Omnis autẽ alia inordinatio virium animæ*, etiam voluntatis, *ſe habet in peccato originali ſicut materiale &c.*

Brebis paraphraſis literæ S. Thomæ in art. 3. cit.

A *k &c.* Ex quibus omnibus S. Thomas præcipue intendebat colligere in eo articulo; quomodo concupiſcentia eſſet materiale peccati, eius autem formale non nitebatur eo loco in particulari explicare; cum iam ſupponeret ex art. 1. eſſe habitum corruptum. Quare mirum non eſt, ſi art. 3. non fuerit ita clarè, & in particulari loquutus.

Quinta propoſitio de conſtitutiuo peccati origin. in eſſe peccati mortalis.

Quinta propoſitio: Peccatum originale, cum ſit mors animæ, conſtituitur in ratione mortalis per auerſionem habitualem a Deo vltimo fine, tam ſupernaturali, quàm naturali. In qua propoſitione nequaquam arbitramur neceſſarium eſſe immorari; cum clariſſime conſtet, tum ex priori parte huius controuerſiæ, notab. 1. tum ex his, quæ præmiſimus in notabilibus huius ſecundæ partis. Solum animaduertendum, quod ſicut peccato accidit eſſe mortale, B (quia peccatum vt peccatum eſt, indefferens eſt ad mortale, & veniale) ita accidit auerſio. Vnde ante auerſionem ſaluari debet in quocunque peccato vera, & integra quidditas peccati, vt ſic. Quare in peccato originali, vt ſaluemus veram rationem peccati, vt ſic, non debemus recurrere ad auerſionem habitualem, quamuis, vt oſtendamus, illud fuiſſe animæ mortem, & conſtitui in ratione mortalis, neceſſariò debeamus ad auerſionem habitualem recurrere. Sunt enim differentiæ accidentales reſpectu peccati mortalitas, & venialitas, vt propriè, etiam ſi barbarè loquamur.

Falſum eſt 2. dictum Iuniorũ vltima vie.

Ex hac concluſione colligimus id, quod etiam ex ſuperioribus clare conſtat; falſum ſcilicet eſſe ſecundum dictum illorum Iuniorum tenentium vltimam viam ſupra poſitam, atque aſſerentium peccatum originale non includere auer-C ſionem a Deo fine naturali. Neque eorum ratio ibi poſita vllam vim habet. Verum enim eſt, per peccatum originale non fuiſſe aliquam inclinationem naturalem deperditam, & ſi eam diminutam aliquo modo, & ex parte termini, ex S. Thoma ſupra oſtenderimus. Cum vero ſubſummitur conuerſionem ad Deum finem naturæ eſſe homini naturalem. Reſpondeo, eam propoſitionem de conuerſione actuali, & habituali, quæ ad noſtrum facit inſtitutum, eſſe apertè falſam. Vt conſtat in quocunque peccatore exiſtente in mortali culpa, in quo neque eſt actualis, neque habitualis conuerſio in Deum finem naturæ. Igitur non eſt illi talis conuerſio naturalis.

Solutio rationis incõfirmationem poſitæ.

Sexta propoſitio deconſtitutiuo peccati origin. in eſſe originalis.

Sexta propoſitio: Peccatum originale in ratione originalis, conſtituitur per hoc, quod non actu proprio, neque adhuc præcedente eiuſdem perſonæ, in quo D eſt: ſed actu alieno; primi ſui principij, & originis, contrahitur. Et per hoc diſtinguitur intrinſece a peccato perſonali, ſiue actuali, ſiue habituali. Quam obrẽ etiã ſi in Adamo fuerit priuatio originalis iuſtitiæ, eius peccatum non erat originale; cum deeſſet ratio conſtituens illud ſub ratione originalis. Neq; enim culpa Adæ erat hereditaria, neq; tranſfuſa, neq; aliena operatione contracta: ſed propria. Neq; deniq; habebat attributionem, & ordinem ad actum præcedentẽ alterius perſonæ continentis ipſum. Igitur ſicut partitio peccati in veniale, & mortale eſt ſubiecti in accidentia: ita partitio peccati habitualis inferentis animæ mortẽ, in perſonale, & originale. Saluatur ergo verè & propriè peccatum in quocunq; ab Adamo deſcendente: quia eſt in eo conuerſio habitualis ad bonũ cõmutabile cũ priuatione reſtitudinis, debitæ conformiter ad rectam rationem.

N Saluatur

Saluatur inſuper mortale peccatum, quia eſt in eo auerſio à Deo vltimo fine, A quam auerſionem conſequitur triplex pœna. Prima, reatus ad pœnam æternam damni. Secunda, carentia iuſtitiæ originalis. Tertia, priuatio omnium effectuum, quos ſiue in ſuperiori, ſiue in inferiori parte cauſaret ea iuſtitia. Demum ſaluatur originale peccatum, quia non proprio actu, neque adhuc præcedente in eadem perſona, ſed alieno ſui principij & capitis, in cuius lumbis continebatur, patratum eſt. Memoriæ tamen commendetur, peccatum habituale ſemper ordinem & relationem dicere ad actum præcedentem, cum per attributionem ad illum ſit verè & propriè peccatum. Atque ita originalis culpa ordinem dicit & relationem ad actum primorum parentum, in quorum lumbis poſteri exiſtentes tranſgreſſi ſunt Dei legem, & peccauerunt.

De materiali peccati originalis.

Hactenus de ratione formali peccati originalis egimus. Reliquum eſt, vt de B materiali dicamus. In quo Thomiſtæ omnes cum Magiſtro ſuo S. Thoma rectè docent eſſe concupiſcentiam, non quia concupiſcentia ſit ſubiectum denominationis, neque quia ſubſter maliciæ peccati originalis, ſicut actus peccati actualis ſubſtat priuationi rectitudinis debitæ, vt rectè animaduertit Sotus ubi ſupra: ſed quia eſt effectus dimanans a ratione formali eius peccati. Per concupiſcentiam autem intelligimus non ſolum inordinationem apetitus ſenſitiui, ſed inordinationem voluntatis. Quoniam ſicut inordinatio apetitus, quia eſt effectus proueniens a peccato originali, dicitur materiale: ita etiam inordinatio voluntatis, cum ſit effectus, iuxta prædicta, dicetur materiale. Et in hoc magis accedit Caietanus ad veritatem, quam reliqui. Solum reſtat explicare quid ea dicat concupiſcentia.

Concupiſcentia vt eſt materiale peccati includit inordinationem voluntatis.

Vltima propoſitio. Quid dicat cõcupiſcẽtia ut eſt materiale peccati orig.

Vltima Propoſitio. Concupiſcentia non addit ſupra naturalem inclinatio- C nem potentiarum, qualitatem aliquam: ſed ſolam priuationem iuſtitiæ originalis. In quo aſſentior Ferrarienſi, & Capreolo, immo & S. Thomæ, quæſt. 4. de malo art. 2. ad quartum. Aliàs videremur incidere in opinionem Gregorij, & aliorum ponentium qualitatem morbidam ſuperadditam naturæ. Quam ſententiam impugnatam reliquimus ſupra propoſitione 2. Neque in huius propoſitionis explicatione, aut probatione lectorem amplius detinere fas eſt. Cum eã ſupra explicatam & probatam reliquerimus, dum opinionem Ferrarienſis, & Capreoli exponeremus. Hæc ſunt quæ de conſtitutiuis vtriuſq; culpæ mihi viſa ſunt probabiliora. Vtinam in eis explicandis peccati nihil, ſeu vitij interuenerit. Sed ita imbecillis poſt originale delictum intellectus manſit noſter, vt de D culpis adhuc, quas commiſimus, quantumcunque manuum noſtrarum operibus, integram rationem reddere, & quidditatem aperire, difficillimum ſit.

EX DVA-

EX DVABVS CONTROVERSIIS, QAE POSITAE FVErunt pro Illuſtri admodum Scholaſtico, nunc Reuerendiſſimo Epiſcopo Aſturien. prior poſitiua, & in ordine tertia fuit.

A

Potuerint ne olim Iudæi vnius tribus vxores diuerſæ tribus ducere?

SVMMA CONTROVERSIAE SEQVENTIS.

Poſita ſententia Sanctorum Patrum, qua videntur tenere, debuiſſe Iudæos intra eandem tribum matrimonio iungi, & contraria Lyrani & aliorum, veritas aperitur. Atque ambæ ſententiæ non adinuicem adverſæ, neque repugnantes declarantur.

B OMNIBVS ferè antiquis Patribus certum, atque exploratum eſſe, ex vna tribu virum, & ex altera vxorem nullo modo poſſe coniungi, viſum eſt. Quæ ſententia eorũ animis ideo inhærebat, quia ea, tum hæreticorum rumori, tum importunæ difficultati de Chriſti Domini geneologia a Matth. c. 1. & a Luca, c. 3. enarratis maximè inter ſe ſe, vt apparet, contrarijs, ſatisfacere putabant. Tenent eam ſententiam D. Hilarius & Theophilactus in cap. 1. Matth. D. Hieronymus eodem loco, & ſcribens contra Eluidium. B. Chryſoſtomus, hom. 2. in Matth. D. Ambroſius lib. 3. in Lucam. B. Beda, lib. 1. in eumdẽ cap. 10. B. Damaſcenus, lib. 4. Fidei Orthodoxæ, c. 15. Euſebius, lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticę cap. 6. Nizephorus, lib. 1. cap. 11. Epiphanius hæreſi. 78. & deniq; S. Thomas 3. Part. q. 31. art. 2. ad primum. Quorum C ſententia præcipuè confirmari poteſt verbis Moyſis, quibus Numer. cap. 36. reſpondit principibus familiarũ Galaad de tribu Manaſſe, dicens: *Nubant, quibus volunt tantũ, vt ſuæ tribus hominibus; ne commiſceatur poſſeſſio filiorũ Iſrael de tribu in tribum:* & concludit: *Omnes enim viri ducent vxores de tribu & cognatione ſua, & cunctæ fœminæ de eadẽ tribu maritos accipient; vt hereditas permaneat in familijs, neq; ſibi miſceãtur tribus: ſed ita maneant vt a Domino ſeparatæ ſunt.* Hæc Moyſes. Eaq; ſentẽtia eo vel maximè illis Patribus fuit perſuaſa, vt B. Virginem, & eius coniugẽ Ioſeph ex eadem tribu debere fuiſſe ſecundum legem, tuerentur. Ac illi ſimul ſatisfacerent calumniæ, quam olim Fauſtus Manichæus, Iulianus Apoſtata, Porphyrius, & alij hæretici Chriſtianis opponebant, vt videre eſt apud Cyrillum contra Iulianum, & apud Auguſtin. lib. 23. contra Fauſtum, cap. 3. 4. & 8. Euangeliſtas ſcilicet ſe-D riem generationis Ioſeph ſolummodo texere, & ordinare: non verò coniugis Mariæ, atque proinde minime inferri Chriſtum Dominum a Dauide deſcendere, cum non extiterit Ioſeph pater Chriſti ſecundum carnem. Debuerant ergo Euangeliſtę auos, & proauos Mariæ matris ad Dauidem vſque deducere, vt inde manifeſtum fieret, Chriſtum a Dauide deſcendere. Huic igitur reſpondentes obiectioni præfati Patres arbitrabantur, Ioſeph, & Mariam ex eadem tribu fuiſſe: quoniam aliàs, inquiunt, eis non liceret matrimonio iungi; cum ex diuerſis tribubus illud fieri fuiſſet in lege prohibitum, deſcendiſſeque Chriſtum a Dauide rectè ab Euangeliſtis eſſe probatum, cum eadem fuerit tribus, idemque genus inter vtroſque.

Patres qui tenent eam ſententiam, qua negat.

Finis ſ. Patrum in illa tuenda ſententia.

Contrariam tamen ſententiam; non fuiſſe ſcilicet neceſſarium, immo neq; apud Iudæos ſemper obſeruatũ, eiuſdem tribus vtrumque debere eſſe coniugẽ ſacrę

Secunda ſententia Lyrani & Burgenſis

Sacræ litteræ multis in locis videntur docere. In primis videtur colligi ex illo, A quod ſtatuit Dominus, Numer. cap. 27. vbi cũ conquererẽtur filiæ Salphat, quod ab eis tolleretur hereditas patris ſui iam defuncti, conſuleretur que Dominus de hac re a Moyſe, in hæc verba Dominum reſponſum dediſſe, legimus: *Homo, cum mortuus fuerit abſque filio, ad filiam eius tranſibit hereditas*. Ex quibus verbis ſatis clare videtur colligi, paternam hereditatem nequaquam ad feminas ſpectare, ſi fratres habeant. Igitur illæ feminæ, quæ fratres habebant, copulari poterant, & iungi viro cuiuſcumque tribus. quod ex eo inferre licet, quoniam id aſſigna tur pro ratione & cauſa legis prohibentis tribus commiſceri, Numer. cap. 36. *Vt hereditas permaneat in familiis*, &c. cum ergo tunc permaneret hereditas in familijs, vtputa in fratribus, accipere poterant virum cuiuſcumque tribus. Hanc eamdem partem confirmat connubium Moyſis factum cum Ethyopiſſa. Num. B cap. 12. Præterea Aaron, qui erat de tribu Leui, duxit vxorem Eliſabet ſororem Nahaſon ex Tribu Iuda, Exodi cap. 6. Rurſus Caleb primo vrbis expugnatori (quiſquis ille fuiſſet) ſuam promiſit dare filiam in vxorem, Iudicum cap. 1. quod vir ſanctiſſimus non feciſſet, ſi prohibitum lege patria fuiſſet, dare cuicũque filiã in vxorem. Neque enim poſſet ſibi certo conſtare, primum vrbis expugnatorẽ ex ſua tribu futurum. Deinde Dauid vxorẽ duxit Michol filiam Saul, de tribu Beniamin, lib. 1. Regum, cap. 18. Inſuper Ioſabet filia Regis Ioram ex tribu Iuda erat vxor Ioiadæ Pontificis ex tribu Leui, lib. 2. Paralypom. cap. 22. Et tandem Eliſabeth mater Ioannis Baptiſtæ erat de tribu Leui & cognata B. Virginis, quę erat de tribu Iuda, vt conſtat Lucæ cap. 1. Pro quibus videndus eſt Auguſtinus, lib. 23. contra Fauſtum per multa capita, & lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum, C cap. 2. & 3. & Gregorius Nazianzenus in carminibus de Chriſti genealogia.

Connumerantur multi, qui duxerũt vxores diuerſa tribus.

Huiuſmodi teſtimonia adeo aperta, & clara viſa ſunt Burgenſi in Commentarijs ad cap. 36. Numer. & Lyrano in cap. 10. Iudicum, vt negligentiam atq; imperitiam auctoris vulgatæ editionis obiurgare & coargure nitantur, eo quod Numeror. cap. 36. citato regulam conſtituat vniuerſalem de accipienda vxore eiuſdem tribus; cum re vera veritas Hebraica talem regulam, neque contineat, neque admittat. Sed vt ueritas propoſitę difficultatis magis eluceſcat, vtque rurſum intelligamus vtramq; ſententiam non adinuicẽ oppoſitã, neq; repugnantẽ.

Pro declaratione dubitationis primo certum ſtatuitur.

Hoc ſit primò certum: In veteri teſtamento feminas cuiuſcunque tribus facillimo negotio dari ſacerdotibus in matrimonium, atq; ita tribus Leui (ex qua debebant aſſumi ſacerdotes) facile miſcebatur alijs tribubus. In hoc cõueniunt D omnes, vt videre eſt apud Theodoretum, quæſtionibus in lib. Numer. q. 52. & apud Auguſtin. lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 2. & 3. apud Bedam Ambroſium, & alios Patres, quos ſupra citauimus. Videatur Clithoueus commentarijs in Damaſcenum, lib. 4. cap. 15. Sed quamuis in re ipſa conueniant omnes, in eius rei aſſignanda ratione differunt quibuſdam id ita contigiſſe dicentibus ob diuinam diſpenſationẽ: quod nec vero ſimile eſt; cum eam diſpenſationem nullibi factam legamus. Vero tamen ſimilius eſt aliorum placitum, aſſerentium id contigiſſe, quia ſacerdotes non acciperent ſortem, aut hereditatẽ inter alias tribus: ſed primitijs, decimis, ſacrificijs, atque oblationibus ex diuina ſanctione victitabant, quemadmodum præceperat Dominus Aaron, & reliquis ſacerdo-

Ratio ob quã ſacerdotes veteris legis de qualibet tribu vxorẽ accipere poterant.

A ſacerdotibus, Numer. c. 18. dicens: *In terra eorũ nihil poſſidebitis, neq; habebitis partem inter eos; filiis enim Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſsionẽ pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Igitur cũ partes hereditatum non haberent, neq; inde in anno Iubilei aliqua hereditatum confuſio oriri poſſet, illis licitũ erat, connubio quibuſcumq; copulari. Et hinc eſt, quod Leuitici cap. 21. præcipiebatur Pontifici vxorem ducere virginem de populo ſuo, non de familia, aut de tribu ſua.

Hoc etiam ſecundo ſit certum: Quod quamuis in illo 36. cap. Numeror. illis verbis: *Omnes viri ducent vxores de tribu ſua, & omnes feminæ maritos accipient de cognatione ſua*, videatur regula generalis conſtitui tamen ſi antecedentia, & ſequentia contemplemur, inueniemus non eſſe generalem, ſed potius particularem. Ita tenet gloſſa ſuper eumdem locum, & Caietanus ibidem, S. Thomas, 1.2. quæſt. *Secundo ſtatuitur tanquã certum.*

B 105. art. 2. ad ſecundum. Driedo. lib. 3. de eccleſiaſticis dogmatibus, cap. 5. parte 4. prope finem. Cano lib. 2. de locis, cap. 14. in ſolutione 1. argumenti. Idque vt rectius explicetur, operæpretium erit in memoriam reducere, quod Numeror. 27. narratur. Etenim eo loco docet ſcriptura ſacra, Salphat de tribu Manaſſe mortuum fuiſſe ſine prole maſculina, reliquiſſeque quattuor filias, quibus iuſſu Dei conceſſa fuit paterna hereditas; quas puellas hereditate donatas multi ambiebant viri, & paſſim pro illorum connubio certabant. Id cum animaduerterent Principes Galaad ex tribu Manaſſe, de qua tribu erant illæ feminæ, abierunt ad Moyſen, Numeror. cap. 36. eique in hæc verba loquuti ſunt. *Tu ſcis Domine, quod ſi filiæ Salphat alienæ Tribus hominibus nubant, deperdetur portio tribus Manaſſe: vnde in anno Iubilei non poterit reſtitutio fieri hereditatum ad proprias tribus.*

C Quibus Moyſes, præcipiente Domino, reſpondens, ita loquutus eſt: *Recte tribus filiorum Ioſeph loquuta eſt, & hæc lex ſuper filiabus Salphat a Domino promulgata eſt. Nubant quibus volunt, tantum vt ſuæ tribus hominibus; ne commiſceatur poſſeſsio filiorum Iſrael de tribu in tribum: omnes enim viri ducent vxores de tribu & cognatione ſua, & cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient, vt hereditas permaneat in familiis, nec ſibi miſceantur tribus, ſed ita maneant, vt a Domino ſeparatæ ſunt.* Hæc Moyſes. in quibus notanda ſunt illa verba: *Hæc lex ſuper filiabus Salphat a Domino promulgata eſt.* Quibus ſatis clare innuit Scriptura, legem, quam poſtea ſtatuit, eſſe particularem & non vniuerſalem. Animaduertenda rurſum cauſa & ratio eius legis, *Vt hereditas permaneat in familijs*. Itaque quotieſcunque paterna hereditas defectu filiorum ad feminas deueniebat, feminæ, quæ ſupererant, copulari matrimonio nõ *An intelligenda in vniuerſum regula Numer. c. 36.*

D poterant, niſi hominibus ſuæ tribus. Et iſtud fuiſſe inſtitutum Moyſis ex eo conſtat, quia ceſſante cauſa & fine legis, ceſſat lex. ceſſante igitur cõfuſione hereditatum, ceſſat lex de connubio intra eandem tribum. Satis ergo clare colligitur id quod ſecundo loco ſtatuebamus, verum eſſe. Nam etiam ſi vniuerſalis ſit illa enunciatio: *Cunctæ feminæ de eadem tribu maritos accipient*: intelligenda tamen eſt ex hyppoteſi, ſi aliàs hereditatum confuſio ventura fuiſſet.

Si tamen obijciat aliquis, Moyſem in littera non ſolum aſſerere, omnes feminas debere ducere viros de tribu ſua, quod hucuſque eſt explicatum: ſed etiam viros omnes debere accipere feminas in matrimonium de tribu ſua, quod explicari non valet ſubintellecta conditione: Si ſequatur confuſio hereditatũ; quoniã nunquam ſequi poterat confuſio hereditatis poſſeſſæ a viro: immo ſemper viri *Obiectio aduerſus explicationẽ datã.*

pars

pars remanebat intra propriam tribum, adhuc ſi nuberet mulieri diuerſæ tri- A
bus. Lyranus & Burgenſis locis citatis tenent, hac preſſi difficultate, ea verba in noſtra editione vulgata redundare; & ab eo, qui tranſtulit ſuperaddita; neque iuxta ueritatem Hebraicam debere admitti. Sed cum contineantur in noſtra au thentica, & vulgata editione, reſpondeo in dictis perſiſtendo, enuntiationem illam, *Omnes viri ducent vxores de tribu ſua*, debere ſic intelligi, quotieſcunque ex conubio viri cum femina diuerſæ tribus ſequitur hereditatum confuſſio: quæ ſequi ſaltem poteſt ex parte feminæ poſſidentis paternam hereditatem, tunc nõ ita fiet: ſed viri omnes accipient vxores de tribu ſua, hoc eſt, non de aliena tribu cum confuſſione hereditatum; etenim hoc eſt præcipuè inſtitutũ in ea lege.

Solutio eius.

Obiectio ſecũda contra idẽ

Secundò & rectè poſſet quis obijcere, in præfata lege Moyſis (ſi attentè legatur) duas rationes, atque cauſas legis aſſignari. Vnam, vt hereditas permaneat B in familijs. Alteram, ne ſibi miſceantur tribus, ſed ita maneant, ſicut a Domino ſeparatę ſunt. Igitur numquam poterat femina vnius tribus viro diuerſæ tribus copulari, neque vir feminæ: quoniam etiam ſi non ſequeretur hereditatum confuſio, ſemper tamen ſequebatur tribuum inter ſeſe mixtio? Reſpondent aliqui Iuniores, nomen hoc, *Tribus*, non ſolum ſignificare certum & diſtinctum genus hominum, ſed etiam partem terrę, quæ vnicuique familiæ & generi tribuitur, vt videre eſt apud Tit. Liuiũ, lib. 1. à medio, & apud Aul. Gellium, lib. 18. noctium Attic. cap. 7. cui ſubſcribit Nicolaus Perotus in Cornucopia. Quapropter in illis verbis Moyſis: *Vt hereditas permaneat in familiis, neque ſibi miſceantur tribus &c.* dictio, *Tribus*, nõ ſumitur pro certa familia, ſed pro certa parte hereditatis. Ita vt ſenſus ſit, ratio & cauſa legis poſitæ ea eſt, vt maneat hereditas in fa- C milijs, neque ſibi miſceantur hereditates: ſed ita permaneant, vt a Domino ſeparatæ ſunt. Hæc autem non congrue dicuntur; nam ſi conſulas textũ Hebraicum, dictio מטה Mateh, ſemper ponitur vbi nos habemus tribum, neque ea vox vnquam ſignificat hereditatem, ſed ſolum familiam, uirgam, aut baculum, vt docuit Sanctes Pagninus in ſuo Theſauro: quamobrem rectè tranſtulit auctor vulgatæ tribum, & non hereditatem. Pro hereditate namque eo in cap. ſemper ponitur verbum illud ירש Iaras, quod ſignificat hereditare, vel poſſidere. Quamobrem melius & facilius obiectioni ſatisfieri poteſt, ſi per tribum intelligamus certam Iudæorum familiam, ita vt ſit ſenſus, ut hereditas permaneat in familijs, neque tribus & familiæ quantum ad hereditatum diuiſiones miſceantur, ſed potius ſeparatæ maneant. Vnde id, quod in confuſo dicitur illis verbis: *Vt heredi-* D *tas maneat in familijs*, clarius explicatur per ſubſequentia verba: *Neque ſibi miſceantur tribus* in hereditatibus: *ſed maneant, ſicut a Domino ſeparata ſunt*.

Aliquorum ſolutio, ſed non congrua.

Vera obiectionis ſolutio.

Colligitur quęſtionis explicatio.

Ex his, quæ vtcumque explicata ſunt, facilè colligitur tum quæſtionis initio poſitæ ſolutio, tum etiam vtriuſque ſententiæ compoſitio. Conſtat namque potuiſſe Iudęos vxores diuerſæ tribus ad libitum ducere, dummodò hereditatum confuſio non oriretur, ſecus autem ſi illa ſequeretur. Et hinc eſt, quod Deuteronomij cap. 21. concedit Dominus Iudæis euntibus in bellum poſſe ducere vxores de virginibus bello captis, ijs verbis: *Si egreſſus fueris ad pugnã contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuoſq; duxeris & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueriſque habere vxorem, introduces eam*

A *ces eam in domum tuam, quæ radet cæſariem, & circumcidet vngues, & deponet veſtem in qua capta eſt, ſedenſque in domo tua flebit patrem & matrem ſuam vno menſe, & poſtea intra bis ad eam, dormieſque cum illa, & eris vxor tua.* Immo cum Gentiles ad Iudaiſmum conuertebantur, eis licebat filiabus Iſrael matrimonio copulari, vt colligitur ex Ruth cap. 1. & 4. vbi Booz accepit Ruth Moabitidem in vxorem. Addunt tamen S. Thomas in cap. 1. Matth. & Hugo de Sancto Victore in cap. 1. Epiſtolæ ad Roman. quod licet non fuerit neceſſarium intra eamdem tribum matrimonio iungi, fuit tamen fere ſemper conſuetudine obſeruatum inter decem alias tribus, excipiendo tribum Leui, & tribum Iuda, quæ duæ facilè, & ferè ſemper miſcebantur.

Neque præterea duæ ſententiæ poſitæ ſibi omninò aduerſantur. Quoniam ſancti Patres dum vniuerſaliter loquuntur, atque aſſerunt, Iudæos ex diuerſis tribubus non poſſe copulari, intelligunt in ſenſu legis Moſaicæ, videlicet quotieſcunque paterna hereditas ad feminas peruenire poterat; quod ſat illis erat, vt hæreticis ſatisfacerent. Nam cum hiſtoriæ omnes conſentiant, B. Virginem nullũ fratrem habuiſſe, vt optime adnotauit Cardinalis Hugo, explicans illud ad Roman. 1. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem*, inde deducitur illi deberi paternam hereditatem, atque ita neceſſariò viro ſuæ tribus debere iungi. Firma eſt ergo ſanctorum Patrum ratio, atque hæreticorũ obiectionis ſolutio: Recteq; inſuper ſecundæ ſententiæ auctores adductis ſacrarum litterarum teſtimonijs conuincuntur, optimeque docent, neque fuiſſe neceſſarium, neque ſemper obſeruatum inter Iudæos intra eamdem tribum copulari, quoties non ſequebatur hereditatum confuſio. Sed nimis libere, & audacter contra editionem vulgatã loquuntur, eiſque illud optimè dicere poſſes: *Sententiam tene, & linguam cohibe.*

Cõcordia duarum ſententiarum, quæ initio poſitæ ſunt

B

C

POSTERIOR CONTROVERSIA SCHOLASTICA PRO eodem Proponente, & in ordine tertia fuit.

An ſummus Pontifex ſi a fide deficiat, ſit iure diuino pontificia dignitate priuatus?

SVMMA EIVS.

Inter quattuor Scholaſticorũ opiniones circa depoſitionẽ ſummi Pontificis a fide deſecientis; ea vt verior & probabilior præ ceteris eligitur, quæ non ſolum Pontificem hæreticũ non eſſe Chriſti membrum, verũ etiã eò ipſo deſinere eſſe caput Eccleſiæ concedit. Hæc dum explicare nitimur, quid ſit illud, quod vnumquemque in ratione membri Eccleſiæ conſtituit, quove modo peccatores fideles verè & propriè ſint membra quamuis mortua, ſimiliaque alia ſcitu non indigna, caput Eccleſiæ metaphoricum concernentia, aperiuntur.

D

Oſtro ſæculo nituntur graues auctores, religione, & doctrina clari, nullum Pontificem a D. Petro, vſque ad vltimum, adhuc ſi de eo, vt perſona particularis eſt, ſermo inſtituatur, hæreticum fuiſſe: cuius oppoſitum in noſtra controuerſia tamquam certum ſupponitur; eſſet vtinam illud tam verũ dogma, quàm pium. Tenuit ita Albertus Pyghius, lib. 4. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, cap. 8. & in quadam diſputatione de actis Sextæ Synodi generalis, aſſeruit & idem Oſius in lib. confeſſionis fidei, cap. 19. & lib. 2. contra Brentium. Decreui tamen in hac re præſenti loco ne-

co nequaquàm immorari, ſed ſolum veritatem ſumma breuitate comprobare, A
ne noſtra præcipua dubitatio, tum innanis, tum falſum ſupponens videatur.

Pontifex vt particularis perſona poteſt eſſe hæreticus.

Principio ergo nobis conſtituatur, Summum Pontificem, ſi ut particularis
eſt perſona, conſideretur, non ſolum in errorem poſſe labi, verum & hæreticũ
eſſe. Namque, vt Marcellinum, Liberium, Felicem, Victorem, & Anaſthaſiũ,
atque alios, quos, vtcunque a tali crimine liberare poſſe videmur, omittam, ſo-
lum Honorium huius nominis primum in medium afferam, quem tamquam
hæreticum Sexta Synodus generalis, actione 4. 13. & 18. anathematizauit. Dam-
nauit etiam & Leo II. in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, fecitque idẽ
Synodus Romana ſub Martino I. atque octaua Synodus generalis, acti. 7. ſub
Adriano II. Fatetur idem Pſelus in carmine de ſeptem Synodis. immo Beda de
natura rerum ſcribens cap. 67. Sergium, Cyrum, Honorium & alios vt hæreti- B
cos anathematizatos in 6. & 7. Synodis generalibus agnoſcit. Neque me fugi-

Variæ Honorij excuſſationes reſſelluntur.

unt ea, quæ in Honorij excuſationem ac defenſionem a multis adducuntur. Py-
ghius enim loco iam dicto numquam in 6. Synodo Honorium condemnatum
admittit, potius inter alios hæreticos eius nomen inſertum & a Græcis Romanæ
ſedis hoſtibus interpoſitum fingit. Quaſi ſolum a 6. Synodo damnatum, vt hæ-
reticum inueniamus Honorium? quem, vt vidimus, in eccleſia Latina plures
anathematizauerunt. Hanc ſolutionem quidam Neoterici cum probabilitate
carere intuerentur, aliam apponunt non minùs improbabilem; aſſerunt namq;
Honorium vere ad Sergium hæreticum Epiſtolam ſcripſiſſe, ibique Monothe-
litarum errorem in Chriſto (vt de eis refert. Prateolus lib. 11. de vitis hæreticorũ
cap. 2.) duas voluntates negantium approbaſſe, non vt illorũ errorem ex animo C
doceret ac fateretur: ſed vt ſchiſmatum ac ſeditionum inimicus vtq; pacis ama-
tor turbulentos illos hæreticos Principum fauore potentes ſibi reconciliaret, ſi-
mulans ſe cum illis ſentire. Neq; animaduertunt ij auctores, illud ſi factum fuiſ-
ſet ab Honorio, Eccleſiam, quæ de omnino occultis iudicare non conſueuit,
errandi occaſionem ſumere potuiſſe; cum exterius ſolum videret Eccleſiæ ſum-
mum Paſtorem illud dogma approbantem. Præcipua enim ratio, ob quam ſum
mum Pontificem definiendo errare non poſſe concedimus, ea eſt; ne ipſo erran
te, vniuerſa erret Eccleſia. Si ergo Honorius, quamuis ſinceram fidem mente re-
tineret, Epiſtolam hæreſim ſapientem ſcripſiſſet, quidque de concertatione il-
la tenendum eſſet, tamquam totius Eccleſiæ Paſtor exterius declaraſſet, procul
dubio nõ minus erraret Eccleſia, Põtifice non errante interiùs, quàm ſi errarer. D

Minus in conſona excuſſatio, quam admiſſit Oſſius Card.

Quamobrem ijs reiectis dicendi modis, ea ab alijs probabilior ſolutio credi-
tur, quam Oſius, lib. 2. aduerſus Brentium admiſſit; poſſe videlicet Concilium,
& ſummum Pontificem in ijs, quæ ſunt facti aberrare, cum probationes & teſti-
monia ſequatur; quæ fallacia eſſe queunt. Quare etiam ſi certa ſit Eccleſiæ de-
finitio, & infallibilis, cum dogma aliquod damnat: non tamen ita eſt infallibilis
cum perſonam condemnat: quoniam prout perſonam anathematizat, particu
laris eſt cauſa & quæ ad fidem non ſpectat. Sicut ergo, quamuis in doctrina de
matrimonio Eccleſia errare non poſſit: errare tamen valet, cũ iudicat inter hos
vel illos contrahentes verum eſſe matrimoniũ: eodem modo cum iudicat hunc,
vel illum fuiſſe hæreticum, deficere poteſt, etiamſi non poſſit, dum affirmat, aſ-

ſerentem

A ſerentem tale vel tale dogma cum pertinacia hæreticum eſſe. Vnde (inquiunt) in cauſa Honorij allegata & probata fuere falſa, neque eius fuit epiſtola illa in Concilio recitata, vt videre eſt apud Sabellicum, Eneam Syluium, Biondum, & Platinam, dum de Honorio loquuntur: immo & Apud Zonaram Græcum Scriptorem, & Photium in Epiſtola ad Michaelem Vulgariæ Regem, in qua cũ auctor iſte Romanæ ſedi infenſiſſimus Pontifices hæreticos recenſeret, de Honorio neque verbum fecit. Quibus aſſentiri videtur Maximus Epiſcopus Aquileienſis; qui interfuit Concilio Romano celebrato ſub Martino. I. cum diſputaret contra Pyrrum hæreticum adducentem in ſui dogmatis defenſionẽ Epiſtolam Honorij miſſam ad Sergium, continentem in Chriſto non fuiſſe duas voluntates, reſpondit eam non fuiſſe ab Honorio conſcriptam; quoniam (inquit Maximus) de hac re non tam Conſtantinopolitanis, quàm Honorij Secretario, cuius manu ſcripta eſt ea Epiſtola, credendum eſt. In qua (ſicur conſtitit fide ſecretarij ſummi Pontificis Ioannis 4.) ita ſcriptum erat, in Chriſto non eſſe ponẽdas duas aduerſas voluntates: at vnius litteræ mutatione male legentes duas diuerſas voluntates ſcriptum fingebant. Quæ duo ita inter ſeſe diuerſa ſunt, vt vnum ſit Catholicum, & veriſſimum: aliud verò hæreticum, & falſum.

Sed vt id quod ſentio dicam, huiuſmodi etiam ſolutio probabilitate caret. Quis enim dicere audeat, Honorium tot Synodis anathematizatum, à tot Pontificibus, vt hæreticum condemnatum in hæreſim non incidiſſe? erraſſeque Cõcilia, ſummoſque Pontifices, cum penderent a probatione facti; quæ fallax eſt? Cur in præfatis Concilijs, & a prædictis Eccleſiæ paſtoribus pro horum omniũ C inquiſitione, ac pro vera Honorij Epiſtola examinanda ſummam adhibitam diligentiam, maturumque iudicium vnuſquiſque non credet? anteponenda ne erit hiſtoria Sabellici, Blondi, & Platinæ, ſententiæ & damnationi tantorum Conciliorum, & Pontificum? factaque cenſeatur ab hiſtoriographis illis maior indagatio veritatis, quàm a tot, tantiſque Patribus Eccleſiæ primoribus? Abſit vt iſta concedamus. Dicamus ergò potius, vt res ſeſe habet, defeciſſe Pontificẽ, perſonam dum ageret particularem, immaculatamque & Apoſtolicam ſummi Paſtoris ſedem, non Apoſtolicæ doctrinæ ſplendore, ſed particulari, hæreticaq; traditione maculaſſe. (vt verbis vtamur Leonis ſecundi in Epiſtola ad Conſtantinum Auguſtum) immo quamuis ita in cauſa Honorij contigiſſe daremus, deberent nihilominus nobis aduerſarij concedere Concilia illa, ſummoſque Patres D exiſtimaſſe ſummum Pontificem poſſe eſſe hæreticum, aliàs temerè feciſſent, Honorium cum condemnaſſent: debuiſſent enim allegata contra eũ falſa fuiſſe iudicare, vt pote rem impoſibilem atteſtantia. Idem ipſum colligere euidenter licet ex cap. Si Papa, 40. diſtinct. & capitul. Oues, ſecundo, quæſt. 7. ex ſermone inſuper Innocentij. 3. de conſecratione Papæ: quibus in locis apertè ſtatuitur, S. Pontificem tantummodo in crimine hæreſis poſſe iudicari; vana quidem definitio, niſi id, quod nos ſupponimus, pro certo, relinqueretur. Supponamus ergo nos, Papam poſſe eſſe hæreticum, eaque facta hypoteſi, interrogemus, iure ne diuino pontificia dignitate priuetur?

Adhuc ea excuſatio nõ eſt vero ſimilis.

Defecit Honorius vt perſona particularis erat.

De difficultate variæ opiniones.

De hoc verò magna concertatio eſt inter Doctores. Caietanus Tom. 1. Opuſculor. tractatu de auctoritate Papæ & Concilij, a cap. 17. uſq; ad 22. tutatur, Papam

Prima Caietani ſententia ponens Papã

hæreticũ eſſe menbrum, & caput Eccleſia. Fundamentũ eiuſdem.

pam non eſſe ipſo iure ea poteſtate priuatum. Arbitratur enim ipſe, hæreticum manere menbrum Eccleſiæ per characterem, quem in baptiſmo recepit, atque ita Papam hæreticum, cum ipſe menbrum maneat eccleſiæ, mirum non eſſe manere & caput. Itaque docet per baptiſmum, per quem filij Dei regeneramur, membraque Chriſti, & Eccleſiæ reddimur, tres in anima effectus produci; characterem nempe indelebilem, fidem, & charitatem; ſed deſtructa per peccatum mortale charitate, fideles menbra Chriſti manere, quamuis mortificata. Immo & deficiente fide, ſolum charactere remanente, aliquo modo, licet non ſimpliciter, tamen ſecundum quid, menbra appellari, quia poſſunt hæretici poſt amiſſam fidem, corpus Chriſti conſecrare, miniſtros & ſacerdotes ordinare, confirmationis ſacramentum dare, huiuſque generis ſimilia præſtare, quæ facta tenent, cum a præcipuis Chriſti menbris, ſacerdotibus, & Epiſcopis, quamuis hæreticis, exerceantur. Vnde colligit Caietanus ex cap. Veniens, de Præsbitero non baptizato, characterem, qui eſt proprius & inſeparabilis effectus baptiſmi, conſtituere menbrum Chriſti; ſic adeo vt adhuc cum totaliter eſt abſciſſum & in inferno, intra latitudinem menbrorum Chriſti velit, nolit, contineatur ratione inſeparabilis characteris. Dicitur enim in illo cap. non ſolum per ſacramentum fidei, ſed per fidem ſacramenti, effici Chriſti menbrum: hoc eſt, non ſolũ per fidem, ſed etiam per characterem, qui eſt effectus ſacramenti fidei; effici vnumquemque Chriſti membrum. Igitur cum Papa fidem amittens, characterem retineat, quo primo quis conſtituitur in ratione membri, ipſo facto, iureque diuino a dignitate non cadet, etiam ſi quantum eſt ex parte Pontificis deficientis extra latitudinẽ menbrorum Chriſti reponi ipſe mereretur. Quo iacto fundamento ſic probat ſuam ſententiam Caietanus.

Rationes pro Caiet. ſententia. Prima Ratio.

Primò, & ea ratione conuincitur. Reliqui Epiſcopi, ſi ſint hæretici, non ſunt ipſo facto priuati dignitatibus. Ergo Papa etiamſi fiat hæreticus, nõ erit eo ipſo priuatus. Illatio conſtat quia Papa non eſt deterioris conditionis quàm reliqui Epiſcopi. Antecedens probatur, eſtò ſit aliquis Epiſcopus, qui in ſua ſolũ mente cũ pertinacia admiſerit hæreſim, eamq; exterius numquam manifeſtauerit, iſte vere eſt hæreticus: & tamen non eſt Epiſcopatu priuatus, quia Epiſcopatũ, & iuriſdictionis poteſtatem habet ſolum ex humana, aut eccleſiaſtica commiſſione, vt conſtat ex ſententia omniũ Doctorum, & ex Leone Papa, 19. diſt. cap. Ita Dominus. Cum ergo hæreticus omnino occultus, & mentalis nulli humano iudicio, etiã neque Eccleſiæ de interioribus animæ actibus nequaquam iudicantis, ſubdatur; reliquũ erit illum Epiſcopatu non eſſe priuatũ, & per conſequens neq; Pontificẽ ſummũ. Si verò aliquis non eſſe parem rationẽ aſſerat, quia ſummo Põtifici ſit data a Deo immediate poteſtas iuriſdictionis, alijs verò Epiſcopis immediate ab homine, ob eamq; cauſam Epiſcopi, quorũ poteſtas eſt ab homine, vidente tantũ ea, quæ foris ſunt, non ſunt ipſo facto priuati: ſummus verò Põtifex, cuius poteſtas a Deo eſt, intuente etiã ea, quæ intrinſecùs latent, ipſo facto quod in corde admiſerit hæreſim erit dignitate priuatus. Hãc differentiã nullã eſſe ex eo probat Caietanus. Quia etiã ſi ſupremæ Pontificis dignitati immediate a Deo ſit conceſſa poteſtas Matthæ. cap. 16. *Quodcunq; ligaueris ſuper terram &c.* huic tamẽ pſonæ nõ eſt a Deo immediate donata, (excepto Petro) ſed ab homine,

A ne, humanaq; electione: atq; ideo per hominẽ, humanamq; depoſitionẽ in caſu hæreſis auferri poterit. Nõ eſt ergo ſũmus Põtifex iure diuino dignitate priuatus.

Secundò, Epiſcopi in hæreſim pertinaciter lapſi, ſi ad fidem redeant, in ſuis permanent dignitatibus ſine noua electione, vt conſtat ex cap. Maximum, & cap. Conuenientibus, 1. quæſt. 7. cap. Cuiuſlibet, & cap. Quotquot. 2. quæſt. 1. Signum ergo eſt, illos non fuiſſe ipſo facto depoſitos. Idemque dicendum apparet de ſummo Pontifice in hæreſim lapſo, maxime cum paratus eſt corrigi, vt docet Gloſſa ſuper cap. Tunc autem, 21. diſt. Dicere autem, quòd tacito Eccleſiæ conſenſu, ſi redeat ad fidem, antequam conuincatur, per non depoſitionem exteriorem reeligatur, & fiat Pontifex, omnino a veritate, & a ratione videtur alienum. Quia potius credendum eſt, Eccleſiam non conſentire in B eũ, qui aliquando fuit hæreticus, vt denouo reeligatur, quàm econtrario, cum videamus ſatis aliquando fuiſſe, eſſe aliquem de hæreſi ſuſpectum, ne de nouo eligatur, multo ergo minus credendum eſt, Eccleſiam reeligere eum, qui ter, quaterque fuerit in hæreſim relapſus: aliàs, toties deſineret eſſe Põtifex, quoties a fide recederet, & toties inciperet, quoties ad fidẽ rediret. Quod friuolũ videtur.

Secunda Ratio pro eadem ſententia

Tertiò, Poteſtas ordinis non habet fidẽ pro fundamento: ergo neq; poteſtas iuriſdictionis. Multò enim præſtãtior eſt poteſtas ordinis, quæ eſt ſupra corpus Chriſti verũ, quàm poteſtas iuriſdictionis, quæ eſt ſupra corpus Chriſti myſticũ. Antecedens conſtat ex dictis, nã poteſtas ordinis non fundatur, niſi in charactere, cũ hæretici ſacerdotes & Epiſcopi cõſecrare, ordinare, & ſimilia præſtare poſſint, quæ facta tenent, vt docent oẽs Theologi contra Magiſtrũ in 4. diſt. 13. con C trariũ aſſerentẽ. Igitur & iuriſdictionis poteſtatẽ habere valet. Poſſetque hæc ratio confirmari. Nã ſi Imperator, aut Rex fiat hæreticus, non eſt ipſo facto Imperio vel Regno priuatus, cũ conſtet in lege veteri multos fuiſſe Reges Idolorũ cultores, Iulianuſq; etiam Apoſtata verus reputetur Imperator, 2. q. 9. cap. Iulianus. Poterit ergo ſimiliter ſummus Põtifex, licet hæreticus Catholicis præeſſe, eoſq; gubernare, quẽadmodũ Imperator, aut Rex Apoſtata ſuos gubernat ſubditos.

Tertia Ratio ad idem

Adde dictis, ex oppoſita opinione totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ confuſionem ſequi, quam quilibet ſanæ mentis intelligere poterit. Etenim, Papa exiſtente hæretico occulto, & eo ipſo a dignitate deficiẽte, multa efficeret, quæ facta nõ tenerent: cui incõmodo, & alijs innumeris Eccleſia obuiare nõ poſſet. Ne ergo id, ex quo totius ordinis eccleſiaſtici confuſio neceſſariò ſequitur, ſine euidenti D Scripturæ teſtimonio, ac ſine ratione cõuincente concedatur, potius aſſerendũ erit, Papam hæreticum non eo ipſo depoſitum, ſed a Concilio deponendum.

Quarta Ratio

Alfonſus autem a Caſtro, quamuis in aliquo cum Caietano conueniat, lib. 2. de iuſta hæret. punitione, cap. 23. & 24. in præcipuo tamen huius controuerſiæ puncto diſſentiunt. Aſſerit in primis hæreticum per characterem intra Eccleſiam manere, eiuſque membrum reddi: ſed cum eo ſtare, Papam hæreticum eo ipſo a dignitate cadere. Quod ſi ab eo interroges, num omnis hæreticus etiã mentalis ipſo facto, diuinoq; iure dignitate priuetur? Reſpõdet poſſe probabiliter aſſeri, tantũ exteriorẽ hæreticũ eo ipſo eſſe Pontificia dignitate priuatũ, non verò interiorem. Verũ eſt, quod in fine cap. 24. citati contrariũ vero ſimilius exiſtimat, aſſerens vtrunque & exteriorem & interiorem diuino iure eſſe priuatum.

Secunda ſententia Alfonſi de Caſtro tenẽtis Papam hæreticum eſſe eccleſiæ membrum, ſed deſinere eo ipſo eſſe caput.

Probat hæreticum eſſe mẽbrum. Id, quod primò aſſerit, & in quo cum Caietano cõuenit, menbrũ Eccleſię vnũquemq; conſtitui per characterẽ, ſic probat. Quoniam Paulus, 1. ad Corinth. cap. 5. ſic loquitur: *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare?* quaſi dicat, nos, aut eccleſia non habemus poteſtatẽ iudicandi eos, qui foris ſunt, ideſt, eos, qui ſunt extra eccleſiã. Cum ergo conſtet, eccleſiã habere poteſtatẽ puniendi hæreticos, neceſſe eſt, dicere eos non eſſe extra eccleſiam: at in illis nihil aliud remanet, quàm character. Igitur ratione illius ad eccleſiã pertinere dicentur. Tũ etiã, quia impoſſibile eſt, eũ Eccleſiæ legibus teneri, vel cuiuſcunq; alterius Reipub. ſtatutis, qui non fuerit illius pars: ſed cõſtat teneri hæreticos legibus Eccleſiæ. Sunt ergo illius partes & mẽbra. Quemadmodũ enim ſatis eſt ad hoc vt ouis alicuius ſit ouilis, ſigno & charactere illius cõſignari: neq; refert quantũcunq; ab ouili diſcedat & fugiat: nõ diſimiliter ad hoc, vt ad ouile Chriſti aliquos ptinere dicamus, ſatis erit, ſi illi charactere indelebili fuerint cõſignati, quãtũcũq; p infidelitatẽ aberrauerint. B

Probat id quod ſecundo dixerat. Id, quod ſecundo addidit, hæreticũ eo ipſo cadere a Pontificia dignitate ſic probat. Quoniã Petro promiſſa eſt iuriſdictionis poteſtas, Matth. cap. 16. ratione illius illuſtris confeſſionis: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*. Immo ex eo loco colligit etiã Pontificis poteſtatẽ fundari ſuper exteriori fidei confeſſione, etiã ſi interiori fide careat. Vnde ſolus hæreticus exterior erit eo ipſo priuatus: non autẽ mentalis, & qui numquam exteriùs hæreſim protulit. Huiuſq; diſcriminis cauſam eã eſſe probabiliter credit, quoniã Pontificiã dignitatem non ad ipſorũ Pontificũ honorẽ, ſed ad totius populi Chriſtiani vtilitatẽ Deus inſtituit, indeq; euenit, vt quanto quiſque magis Reipub. Chriſtianæ nocere poteſt, tanto magis ſit cenſendus indignus: & e cõtrario, magis ille ſit tollerãdus, q̃ minus poterit eccleſiæ nocere. Cum ergo ille, qui in corde hæreſim retinet neq; exterius manifeſtat, nõ noceat, ideo eo ipſo priuatus nõ eſt cẽſendus. Qui vero publicè hæreſim docet, cũ multũ eccleſiæ noceat, eo ipſo dignitate priuatus habẽdus eſt. Hæc A. de Caſtro. C

Tertia ſententia M. Cano. docentis Papam hæreticũ non eſſe eccleſiæ membrum bene tamen caput. At M. Cano lib. 4. de locis cap. vltimo in ſolutione ad 12. quem ſequũtur aliqui ex Iunioribus, docuit, Pontificem hæreticũ non eſſe verè & propriè eccleſiæ menbrum, cum fide careat, quæ conſtituit vnumquemque in ratione menbri. Addit tamen, ſe Theologorum auctoritate affirmare, ſummũ Pontificẽ, Epiſcopos, cœteroſq; eccleſiæ miniſtros iuriſdictionis poteſtate, per abditam & interiorem hæreſim non eo ipſo priuari. Et hoc adeo eſſe certum arbitratur, vt contrarium, nedum probabile affirmet. Quia caput non ex vita, quam ſuapte natura vendicat: ſed ex ſitu, quem ſortitur in corpore per Metaphoram transferri ſolet. Vnde qui locum primum in Eccleſiæ gubernatione tenet (qualis eſt Pontifex ad huc hæreticus ante depoſitionem ab eccleſia factam) ille caput eccleſiæ dicetur. D

Animaduertunt ſectatores prædictæ ſententiæ. Quod, vt accuratius ſectatores huius opinionis explicent. Animaduertunt in corpore naturali, menbrũ habere duplicem conſiderationẽ. Primò poteſt vnũquodque menbrum cõſiderari in ratione membri ab anima informati, ac ab ea recipientis eſſe. Secundò, ſub ratione inſtrumenti, prout alijs membris opitulatur & miniſtrat. Quare poteſt contingere, aliquod eſſe menbrum in corpore naturali, quod alijs non miniſtret, habeatque ſolum illud rationem menbri & non inſtrumenti, & e contrario poteſt euenire, aliquod eſſe inſtrumentũ tantũ, & nõ menbrũ; ſicut membrũ aridũ & mortuũ, quod neq; vegetatur, neque viuit, ſed

ſolum

A ſolũ per cõicationem ſpirituum vitalium participat motum, quo alijs mẽbris miniſtrat, quia non eſt a corpore omnino exciſſum. Deniq; eſſe etiã poteſt mẽbrũ, quod ſimul eſt membrũ & inſtrumentum alijs miniſtrans. Non diſſimiliter ſecundùm tranſlationis proportionem in corpore myſtico, quod eſt eccleſia, euenire poteſt. nã ſunt aliqui, qui tantum habent ratiõẽ mẽbri; illi videlicet, qui tantum ſibi proſunt, neq; alijs ad vitam æternam conſequendã opitulantur, & hi non habent rationem inſtrumenti. Sunt & alij, qui cum charitate fidem amiſerunt, qui alijs per motionem & influxum ſuſceptum miniſtrant, licet non ſibi; & hi rationẽ habent inſtrumenti, donec deponantur, remanentque paſtores & epiſcopi etiam ſi non remaneant membra. Demum ſunt alij, qui mẽbra ſunt & inſtrumenta; vt paſtores fideles. Quo prænotato docent, quod quãuis Põtifex, B aut quiuis alius epiſcopus, eo ipſo quod fidẽ amittit, deſinat eſſe mẽbrum eccleſiæ, non tamen deſinit eſſe aũt epiſcopus, aut Pontifex. Rurſum quãuis negari (inquiunt) nõ poſſit, eo ipſo deſinere eſſe caput, prout caput dicit rationẽ mẽbri: non vero prout dicit rationẽ inſtrumenti, quo Chriſtus vtitur ad influendum non vitalẽ aliquẽ actum ipſi Pontifici: ſed omnibus alijs membris eccleſiæ. Hãc opinionem confirmant omnibus rationibus pro Caietano factis, & addunt definitionẽ Leonis in epiſtola ad Mauros, vbi determinat, non eſſe depellendum a dignitate epiſcopali hæreticũ, qui iã reſipuit a crimine ſchiſmaticę prauitatis.

Fundamentũ dicta opinion

Probant etiã ratione. Quia ſi propter hæreſim occultam, & interiorẽ Pontifex ipſo facto eſſet depoſitus. Ergo quilibet alius parochus ipſo facto eſſet depoſitus: quod nullus cõcedit. Immo ex cõtraria opinione idẽ abſurdũ ſequeretur, C quod inferebat Concil. Conſtantien. aduerſus Ioann. Vuicleff. & Ioãn. Huſ. cũ enim iſti hæretici aſſererent, hominẽ Eccleſiæ mẽbrum conſtitui per charitatẽ, contra ipſos colligebat Conciliũ rerum omnium in eccleſia perturbationem ac confuſionem ſequi, cum non poſſit ab hominibus cognoſci, quis in gratia, aut charitate exiſtat, & conſequenter quis in eccleſia ſit, vel extra illam; eodem omni no modo cum nos nec ſcire valeamus, Epiſcopi ne, vel Pontifices interiùs fidem retineant, omnium turbatio, atque confuſio ſequeretur. Potius ergo Pontificẽ hæreticum vſque dum deponatur, paſtorem, & caput manere aſſerendum erit.

Probatur ratione ſententia tertia.

Vltima ſententia eſt illa, quã tenuit Vlricus, lib. 6. Summæ Theologiæ, tract. 4. c. 22. & Auguſt. de Ancona lib. de Eccleſiaſtica poteſtate q. 1. art. 1. quos ſequitur Turrec. lib. 4. ſuæ Summæ de eccleſia, parte 2. c. 20. & citat in eandẽ ſententiã D Paludanũ, lib. de eccleſiaſtica poteſtate, quã etiã videtur tenere Driedo. lib. 1. de libertate Chriſtiana, c. 14. quorũ omniũ opinio aſſerit duo omnino Caietani dictis oppoſita, deficiente ſcilicet fide a Pontifice, non ſolũ non manere eccleſiæ mẽbrum: verũ eo ipſo deſinere eſſe caput eccleſiæ, ita vt ei optimè dici poſſit illud, quod olim Dominus villico iniquitatis dixit, Lucæ c. 16. *Iam non poteris amplius villicare.* Et fundamentũ huius ſententiæ tale eſt. Quoniã fides neceſſaria eſt ad eſſe Papã, non ſolũ in fieri: ſed in facto eſſe: nam eſt fundamentũ, quo quis redditur Chriſti & eccleſiæ menbrũ, & quo primo viuitur tamquã radicali principio, iuxta illud ad Rom. cap. 1. *Iuſtus ex fide viuit.* Vnde ſicut in naturalibus vnumquodque exiſtit per formam, ita in ſupernaturalibus & diuinis vnuſquiſque eſt in eccleſia militanti per fidem. Et quemadmodum in naturalibus deſtructo eſſe

Quarta ſententia Turrecremata, quæ ponit Papam hæreticum neq; eſſe membrum neque caput.

Fundamentũ eius ſententia

deſtruitur

deſtruitur omnino vita, ita in ſupernaturalibus deſtructa fide, manet homo omnino mortuus, ita vt neque imperfecte, neque quantum ad radicale principium uiuat. Sicut ergo mortuo homine ipſo facto perijt dignitas illius: ſic exiſtente homine hęretico ipſo facto perditur iuriſdictionis poteſtas. Et quia hæc opinio eſt inter omnes alias probabilior, pro eius & veritatis maiori intelligentia. A

Præmittēdum pro explicanda controuerſia.

Illud ſolum præmitto vim totius difficultatis conſiſtere in explicanda ratione fundamentali capitis metaphorici; ſummi videlicet Pontificis, quidque ſit illud ſecundum quod facta eſt tranſlatio à capite naturali hominis ad metaphoricum caput eccleſiæ, quo poſito ſtare poſſit Pontificatus, eoque ſublato minime valeat conſeruari. Hoc vero rectè explicari nequit, niſi illud etiam aperiamus; requiratur ne, vt aliquis ſit caput eccleſiæ, quod ſit membrum illius, quáobrem quodnam ſit illud ſummopere declarare iuuabit, quod vnumquemque conſtituit in ratione membri eccleſiæ. Præpoſtero ergo ordine iſthęc declarare incipiens ſtatuo ſequentes propoſitiones. B

Prima propoſitio cōtra Caiet. & A. de Caſtro.

Prima Propoſitio: Fides eſt, & non character, quæ conſtituit quemlibet in ratione menbri eccleſiæ militantis; quamuis ea ſola menbrum efficiat mortuū. Hæc aſſertio habet duas partes. Prior eſt, fidem & non characterem conſtituere membrum eccleſiæ. Poſterior aſſerit ſolam fidem non facere menbrum viuū, ſed mortuum. Prior pars ponitur contra Caietanum & Alfonſum de Caſtro, aſſerentes characterem efficere hominem membrum eccleſię, & colligitur ex S.

Probatur prima pars aſſertionis ex S. Thom. 3. par. q. 8. art. 3.

Tho. 3. Part quæſtion. 8. art. 3. quo loco cum ſex hominum genera poneret, de quibus inquiri poſſet; An eſſent eccleſię membra; genus ſcilicet primum beatorum. Secundum viatorum exiſtentium in gratia. Tertium viatorum ſolam fidē habentium. Quartum infidelium viatorum, qui aliquando fidē ſunt habituri. Quintum viatorum, qui poſſunt habere fidem, ſed numquam habebunt. Vltimum damnatorū in Inferno exiſtentium, duo tamquam certa aſſeruit. Primū, de ijs, qui ſunt extra viā, quòd ſicut beati ſunt perfectiſſima Chriſti membra ſecundū gratiā & Charitatē, immutabiliter vnita in eccleſia triumphāte: ita etiā damnati, neq; actu ſunt, neq; potentia mēbra, quia nullo modo poſſunt vniri Chriſto, cū ſint extra ſtatū viæ, deſinuntq; eſſe membra, ſtatim quod ab iſto ſęculo recedunt: immo addit S. Tho. totaliter deſinere eſſe membra, (quod notauerim cōtra Caietanum male concedentem, damnatos manere menbra ratione characteris.) Secundum eſt de viatoribus, quod quemadmodum viatores habētes gratiam, vel adminus fidē, ſunt actu membra: ita etiam viatores qui actu nō habent fidem, non ſunt actu menbra, ſed in potentia, quia poſſunt habere fidem. Ex quibus duobus certis apud S. Thom. Illud tertium videtur colligi tamquam certum, quod in priori parte noſtræ aſſertionis continetur, nullum viatorem eſſe actu menbrū, niſi habeat fidē. Ita quod ratio cōſtituens vnumquemq; in ratione menbi, ſit fides; quoniam ſemper S. Thom. eo modo concedit, aliquem eſſe membrum, quo contingit habere fidem, & cum videt aliquem deficere ab habitu ſupernaturali fidei, ita vt amplius ſua culpa recuperare non poſſit, totaliter deſinere eſſe membrum fatetur, nullaque habita ratione characteris, ſed fidei, concedit damnatum totaliter deſinere eſſe menbrum. Non ergo character, ſed fides, eſt id, quo quis conſtituitur in ratione actualis, & veri C D

membri

A membri Chriſti & eccleſiæ. Et ne videamur in verba Magiſtri S. Thomæ iuraſſe (quæ ſufficerent contra Caietanum) ratione probatur prima pars propoſitionis. Eſtò ſit aliquis Cathecumenus, per quem nō ſtat baptiſmi Sacramentū nonrecipere; imnio magno conatu baptizari affectans, antequam ei concedatur, moritur in gratia & charitate; tunc certum eſt, vt conſtat ex Concilio Trident. ſeſs. 6. cap. 4. & ex cap. Debitum, de baptiſmo, iſtum Cathecumenum ratione baptiſmi in voto ſaluari, & eſſe membrum eccleſiæ triumphantis. Igitur dum erat viator verè fuit membrum eccleſiæ militantis; non enim extra illam alicui contingit aliquando ſalus: ſed ſic eſt, quod non fuit eccleſiæ menbrum per cha racterem, cum baptiſmum non receperit. Igitur per fidem Chriſti, & hoc eſt quod innuit Marcus cap. vltimo vbi poſtquam dixit: *Qui crediderit, & baptizatus* B *fuerit, ſaluus erit:* ſubdit: *Qui non crediderit, condemnabitur.* quaſi dicat, ad ſalutem neceſſe eſt credere & baptiſmum ſuſcipere, ſi poſibile fuerit: ſi verò illum recipiendi non concedatur facultas, ſat erit credere. Et quoniam eredendi vnicuiq; ſemper datur locus, qui non crediderit, condemnabitur. Non dixit, qui non ſuſceperit baptiſmum, ſed qui non crediderit. Fides ergo eſt, quæ reddit verum Chriſti & eccleſiæ membrum, & non character. *Probatur ratione conuincente.*

Poſterior pars aſſertionis: fidem ſolam non efficere menbrum viuum, ſed mortuum; videtur priori parti repugnare. Nam ſi fides eſt quæ conſtituit menbrum eccleſiæ, & menbrum eſſe non poteſt, niſi aliquem actum vitæ habeat. Igitur repugnare videntur iſta duo: fidem facere menbrum eccleſiæ, & ſolam eam non conſtituere menbrū viuum, ſed mortuum. Nihilominus ſecunda pars eſt C certiſſima & ſtatuta contra hæreticos noſtri temporis, qui nimiū fidei tribuentes aſſerunt, ſolam fidem iuſtificare, & efficere menbra viua Chriſti & eccleſiæ. Et probatur ea ſecunda pars ex illo Iacobi cap. 2. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Habens ergo fidem ſine operibus, id eſt ſine gratia & charitate menbrum eſt mortuum, iuxta illud. 1. Ioannis cap. 4. *Qui non diligit, manet in morte.* & illud ad Rom. cap. 8. *Qui non habet ſpiritum Chriſti, hic non eſt eius.* quaſi dicat, hic nō eſt eius viuū menbrum. Vnde Concilium Trident. ſeſſ. 6. cap 7. ſic loquitur: Homo in iuſtificatione ſua accipit per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem; nam fides, niſi ſpes accedat & charitas, neque perfecte vnit cum Chriſto, neque corporis eius menbrum viuum efficit. Et ad hunc ſenſum interpretandi ſunt ſancti Patres, qui videntur aſſerere, fideles in mortali culpa exiſtentes non D eſſe menbra Chriſti & eccleſiæ. D. Auguſtinus innumeris locis, preſertim lib. 1. contra Creſconium. cap. 25. vbi ita loquitur: Non exiſtimo quempiam ita deſipere, vt credat ad eccleſiæ vnitatem pertinere eum, qui non habet charitatē. & Hieronymus ſuper illis verbis ad Epheſ. cap. 5. *Cum exhiberet ſibi eccleſiam non habentem maculam neq; rugam &c.* ita loquutus eſt: Qui ergo peccator eſt, & aliqua ſorde maculatus de eccleſia Chriſti non poteſt appellari. Quorum Patrum & plurium aliorum, ſenſus eſt, peccatores fideles non eſſe viua menbra, & perfecte Chriſto vnita, neque viuentia ſecundùm eam vitam, qua regenerati fonte baptiſmatis deberent viuere. Igitur quamuis fides ſola menbrum Chriſti & eccleſiæ conſtituat, non facit menbrum viuum, ſed mortuum.

Secunda pars propoſitionis. ſola fides non facit menbrū viuum.

Quomodo interpretādi S. Patres decentes peccatores non eſſe menbra Chriſti.

Tota tamen difficultas huius rei, in explicatione eius dubitationis, qua repugnantiam

gnantiam poſterioris partis aſſertionis propoſitæ, cum priori obijciebimus: A conſiſtit. Quomodo ſcilicet fidelis exiſtens in mortali delicto poſſit eſſe intra ecclesiam tanquam menbrum, & eſſe poſſit mortuum menbrum. menbrū enim mortuum ex Ariſtotele lib. 2. de anima cap. 1. æquiuoce eſt menbrum, oculus enim hominis mortui æquiuoce eſt oculus. Quod vt explicemus; animaduertēda eſt differentia & diuerſitas, quæ reperitur inter vitam moralem; qua corpus Chriſti miſticum eccleſia viuit: & vitam naturalem; qua corpus naturale conſtat. Nam primum principium vitæ naturalis eſt anima, quæ eſt forma intrinſeca corporis phyſici; primum verò principium vitæ moralis eſt vltimus finis, qui ſuo corpori nō eſt intrinſecus, ſed extrinſecus. Inter quæ duo principia hæc eſt magna differentia, quòd anima non poteſt habere rationem formæ aparte rei, quin habeat rationem animæ: atque ita non poteſt aparte rei eſſe principiū B aſſendi, quin ſit etiam principium viuificandi, & e contrario; iuxta illud Ariſtotelis lib. 2. de anima tex. 37. *Viuere viuentibus eſt eſſe*: at principium primum vitæ moralis, ſcilicet Deus, cum non per ſe ipſum & immediate vniatur in hac vita, ſed per habitus, poteſt ſub vna ratione ſuo corpori aut menbro vniri, quando non ſub alia, poteſtque ſub ratione entis illi vniri, atque aliquod illi eſſe tribuere, quando non ſub ratione finis, boni, & viuificantis. Quoniam Deus ipſe, qui eſt vltimus finis, eſt in intellectu per apræhenſionem & iudicium mediante habitu fidei, prius quàm ſit in voluntate per tentionem charitatis: Sed non habet rationē finis & boni, niſi in ordine ad voluntatem, atq; ideo poſſibile eſt, quòd conferat Deus aliquod eſſe menbro ſecundùm quod exiſtit in intellectu; ſcilicet eſſe ſupernaturale fidei, quando non confert voluntati viuificare per cha C ritatem exiſtentem in ipſa; nam illud eſſe fidei, quod tribuitur intellectui, non eſt viuere moraliter: cum viuere moraliter dependeat à coniunctione charitatis cū vltimo fine. Et vt ex Metaphiſica aliquod exemplū demus, S. Thomas. I. Part. q. 5. art. 3. in ſolutione ad 4. deſumens ex Ariſt. lib. 3. Metaph. tex. 4. docet mathematica ſecundùm ſuū propriū modum abſtractionis, hoc eſt, ſecūdùm quod abſtracta a materia & motu; & per conſequens a ratione finis, habere rationē entis; quia eis nō repugnat aliquo modo poſſe exiſtere in rerū natura, quod ſufficit ad rationē entis: aſſerit tamen non habere rationē boni, quia ad rationē boni requiritur ordo ad eſſe & ad finē, quem non dicunt mathematica in ſua abſtractione. Vnde concludit accuratè S. Thomas, non eſſe inconueniens in mathematicis ſecundùm intellectū inueniri rationē entis, & non rationē boni; ſiquidē ratio D entis prior eſt ratione boni. Id ergo, quod ſecundùm rationē inuenimus in mathematicis, a parte rei reperitur in Chriſti & eccleſiæ menbris; quæ poſſunt aliquādo ſub ratione entis Deo, Chriſto, & eccleſiæ coniungi, quando nō ſub ratione boni, cum ſcilicet per fidem in intellectu exiſtentem ſolū vltimo fini coniunguntur, ſed carent vnione per charitatē; & per conſequens a Deo ſub ratione vltimi finis, hoc eſt ſub ratione boni, ſunt elogati & auerſi, vltimū ſuum finem in rebus creatis conſtituentes, facti abominales tamquam ea, quæ dilexerunt. Neq; mirandum eſt, id reperiri in menbris eccleſiæ a parte rei ſeparatum & diuiſum, quod ſecundùm rationem tantum in mathematicis inuenitur, quoniam in menbris (vt diximus) eſſe, & viuere a diuerſis proueniunt habitibus, quorū vnus ſine altero

Notanda doctrina vt intelligatur quomodo peccator fidelis ſit verè menbrū, quamuis mortuum.

Mathematica habent in ſua abſtractione rationē entis, & non rationem boni.

A altero a parte rei reperiri poteſt, nam deperdito habitu charitatis, per quem viuimus; manere poteſt habitus fidei veræ, per quem in eccleſia tamquam Chriſti menbra ſumus. Quem Philoſophandi modum colliget aperte quicunque ex S. Thoma 3. Part. q.8. art. 3. ad 2. nam ibi vt explicaret quomodo Chriſtus caput ſit fidelium in mortali culpa exiſtentiũ, in diſcurſu duplicẽ poſuit modum, quo quis poteſt eſſe Chriſto vnitus. Primũ, vnionis perfectæ per charitatẽ. Secundũ, vnionis imperfectæ per fidem, ſeu per influxũ fidei. Appellatq; S. Thom. vnionem imperfectam fidei, qua peccator vnitur Deo & Chriſto, vnionem in potentia & ſecũdùm quid reſpectu vnionis actualis per charitatem, qua iuſtus vnitur, ad eũ modũ, ad quẽ Metaphiſici vocant accidens ens ſecũdùm quid & entis ens reſpectu ſubſtantiæ; & ad quem, imperfectũ reſpectu perfectioris dicitur tale ſe-

Superior modus explicandi colligitur ex S. Thoma.

Diſcrimen inter mẽbra naturalia, & mẽbra myſtica eccleſia.

B cundũ quid. Appellat rurſum vnionẽ per charitatẽ vitam gratiæ; eam nos vitam bonam moraliter nominamus: vnionẽ verò per fidem appellat quendã actum vitæ, qui eſt credere; nos nuncupamus actũ in ratione entis dãtẽ intellectui influxũ fidei. Ex quibus aperte colligi poterit differentia inter menbra, quæ viuunt vita naturali; & menbra myſtica, quæ viuunt vita morali: q̃ menbra, quæ viuunt vita naturali, eo ipſo quòd ab anima non informantur, amittunt non ſolum viuere, ſed eſſe, ob quam cauſam non ſolum deſinunt eſſe menbra viua, ſed in ratione entis & actu menbra. Menbra verò, quæ viuunt vita morali, non eo ipſo quòd amittunt principium viuificandi, nempe Deum vltimum finem habitum ſub ratione boni & finis per charitatem in voluntate exiſtentẽ, amittunt etiam eſſe, ſcilicet Deum ultimum finem, pro ut confert eſſe fidei intellectui; & ideo

C bene poſſunt deſinere eſſe menbra uiua, & nõ deſinere eſſe actu menbra. Etenim in his menbris non ſunt idem, eſſe, & viuere; neq; ab eodem proximo & immediato principio proueniunt; ſed potius a diuerſis, puta a fide, & charitate, in diuerſis potentijs (quales ſunt intellectus & voluntas) reſidentibus; quamuis ab eodem vltimo fine tamquã a primo & radicali principio profluant. Quomodo autem eccleſiam & eius menbra Catholici confiteamur eſſe viſibilia, contra hæreticos aſſerentes eccleſiam conſtare hominibus ſecundùm partem interiorẽ, & non ſecũdùm partem viſibilem; ſi fides (quæ eſt habitus inuiſibilis) eſt quæ conſtituit eccleſiæ membrum; audies infra Contr. 8. Schol. in fine 2. Part. illius.

Secunda propoſitio: Nullus a D. Petro uſque ad conſummationem ſæculi fuit, uel erit, cui ſine fide conuenire poſſit eſſe caput eccleſiæ ac ſummus Pon-

Secunda Aſſertio.

D tifex. id, ut melius intelligamus, animaduerto cum S. Thom. 3. Part. quæſt. 8. art. 1. a Philoſophis tres poni præcipuas capitis humani conditiones. Prima eſt, quòd caput excellat reliqua alia membra ſecundum ſitum & locum. Secunda, quod excellat alia menbra ſecundum perfectionem. quoniam omnes ſenſus in capite uigent. Poſtrema, quod influat in alia membra ſecundùm ſenſum & motum. Ex ijs uerò conditionibus una tantum ſi in aliquo aliquando reperiatur, per tranſlationẽ illud caput dici inueniemus in S. Scriptura, etiã ſi non omnes aliæ cõditiones ſaluari poſſint in eodẽ. Nã propter primã ſolum conditionẽ optimates & nobiles in Rep. capita dicuntur, quia in excellentiori loco ſunt poſiti, iuxta illud Amos, cap. 6. *Væ vobis, qui opulenti eſtis in Sion, optimates capita populorum.* Ob ſecundam etiam conditionem & ob maiorem perfectionem ſenex aliorum

Animaduerſio pro meliori intelligẽtia aſſertionis.

dicitur caput, iuxta illud Iſaiæ cap. 11. *Senex & honorabilis ipſe dicitur caput*. Vir A etiam dicitur caput mulieris. 1. ad Corinth. cap. 11. Tandem ratione tertiæ conditionis Reges, Duces, & Gubernatores ac alij ſimiles capita dicuntur ratione influxus per gubernationem in ſubditos, iuxta verba Samuelis ad Saul lib. 1. Regum cap. 15. dicentis. *Non nè cum paruulus eſſes in oculis tuis caput in tribubus Iſrael factus es? vnxitq; te Dominus in Regem ſuper Iſrael.* Quas omnes conditiones ſimul, in Chriſto non ſolum, vt Deus eſt, ſed etiam vt homo, tamquam in capite eccleſiæ per tranſlationem certum eſt reperiri, de quibus omnibus, & de alijs pluribus capitis tranſlationibus videndus eſt Dioniſyus Carthuſianus in 3. diſt. 13. quæſt. 3. & Turrecremata lib. 1. Summæ de Eccleſia cap. 46.

Hoc igitur ſuppoſito conueniunt Catholici, primam illam conditionem reperiri in eo, qui ſummi Pontificis dignitatem habet, tamquam in eccleſiæ capite, primum locum, primamque ſedem in gubernatione eccleſiæ tenente. Præterea conueniunt auctores ſuperiorum opinionum non ſufficere priorem conditionem: ſed tertiam etiam neceſſariam eſſe, vt aliquem tamquam ſummum Pontificem agnoſcamus, quòd ſcilicet ſecundum virtutem & motum influat in eccleſiæ membra. Caietanus & Caſtro ponunt hunc influxum, mediante charactere, Cano putat ſatis eſſe illum influxum prouenire tamquam ab inſtrumẽto influente ſecundum virtutem, ſenſum & motum non ſibi, ſed alijs. At verò ſecundam illam conditionem auctores trium priorum opinionum non admittunt tamquam neceſſariam: quia ſine perfectione ſenſus & motus fidei ſaluari poſſe exiſtimant ſummi Pontificis poteſtatem in aliquo. Contra quos omnes ſecundã ſtatuimus cõcluſionẽ, in qua perfectionẽ ſenſus & motus fidei neceſſariã C ponimus in quocunq;, vt ſummum habeat Pontificatũ: & iuxta illam conditionẽ ſimul cũ alijs intelligere debemus, factã fuiſſe tranſlationẽ a capite humano ad caput eccleſiæ sũmum Põtificem. Et fundamentum huius aſſertionis tale eſt.

Probatur ſecunda concluſio primo. Nam ſi tempus & locum, quo clauium poteſtas Petro & eius ſucceſſoribus eſt promiſſa, contemplemur; certè non vtcunq; ſed poſt fidei confeſſionẽ promiſsã & poſtea traditã inueniemus. Matth. namq; c. 16. poſtquã Chriſtus ab Apoſtolis quæſierat, quem eſſe ipſum homines exiſtimarent, quid ve tandẽ ipſi ſentirent, Petrus inter omnes reſpondit: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, quo reſponſo audito, in hæc Chriſtus verba prorupit: *Beatus es Simon Bar iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi &c.* Ecce, quomodo a Patre, qui in cælis eſt, Chriſtus declarat collatã eſſe Petro internam fidem, & ſtatim addit. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc* D *petram ædificabo eccleſiam meam*: ideſt, ſuper hanc tuam fidem illuſtri confeſſione proteſtatam ædificabo eccleſiam. Ita exponunt Cyrillus, & Theophilactus eodem loco, & D. Auguſtinus tract. vltimo in Ioannem. Et tandem ſubdit: *Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terrã &c.* Quæ verba remunerationẽ oſtendunt Petro pro ſuæ fidei confeſſione exhibitã, quaſi dixerit Chriſtus. *Ego dico tibi quod tu es Petrus & ſuper hanc petram*, ideſt, ſuper hãc tuam fidẽ ſemper *ædificabo eccleſiam*, tamquã ſupra fundamẽtũ. & hoc eſt illud fundamentũ de quo inquit Paulus. 1. ad Corinth. cap. 13. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Quæ verba explicans Auguſt. lib. de fide & operibus c. 16. Si Chriſtus (inquit) eſt fundamentũ, proculdubio & fides Chriſti, quia

per

A per fidem habitat in cordibus noſtris. Nec ſolutio Caietani aſſerentis inducta verba ſic debere intelligi: *Super hanc petram ædificabo eccleſiam*, hoc eſt, ſuper hãc fidem, vel fidei ſacramentum, ſeu characterem ædificabo eccleſiam, alicuius momenti eſt. Quis enim non videt, iſtud gratis dici? Nulla enim ibi erat de baptiſmo, aut baptiſmali charactere mentio: ſed ſolum de illuſtri & fideli confeſſione, fideique cælebri proteſtatione. Igitur ſupra fidem Dei viui tamquam ſupra fundamentum fundatur dignitas ſummi paſtoris eccleſiæ.

Rurſum Paulus ad Hebræos, cap. 11. fidem appellat ſubſtantiam & quaſi fundamentum ſperandarum rerum. Hoc igitur fundamento deficiente reliqua ruant neceſſe eſt: ſicut deſtructa ſubſtantia in naturalibus, nihil aliorum remanere oportet. Quamobrem tria illa, quæ in capite naturali ſuaprenatura repe- *Probatur De inde concl.*
B riuntur, in capite metaphorico eccleſiæ ſecundum tranſlationem ſaluentur neceſſe eſt, quòd ſcilicet ſecundum ordinem & ſitum ſit in eccleſia primum tenens locum ſecundùm perfectionem & ſenſum fidei ſibi inhærentis, poſſitque demum ſenſum & motum in alia membra influere.

Ex quibus omnibus infero primò non eſſe fundamentum ſupremæ illius dignitatis in Pontifice vocalem, & exteriorem fidei confeſſionem: ſed veram & interiorem fidem, quod dixerim contra Alfonſum de Caſtro, quia alias ſequeretur Pontificem fidelem quotieſcunque a fidei tantum exteriori confeſſione deficeret, (ſicut de Marcellino thura Idolis adolente creditur) deſinere eſſe verum Pontificem: & econtrariò ſequeretur, hominem hæreticum ſe fidelem eſſe per exteriorem confeſſionem ſimulantem verè eſſe caput eccleſiæ, quæ ſine dubio *Prima illatio cõtra Alfonſ. de Caſtro.*
C concedi non debent: quoniam Chriſtus ſic voluit, eam dignitatem ſuper fidei confeſſionem fundari, quatenus à fide interna, collata à Patre, qui in cælis eſt, procederet tamquam à præcipuo fundamento, neque ſolum ſuper exteriori fidei confeſſione ædificari, ſed potius ea confeſſio ſi deficeret, dummodo fides, vt primum fundamentum maneret, poteſtatem illam nequaquam auferri voluit, quod optimè inſpiciens idem Caſtro in fine cap. 24. cit. contrarium eius, quod prius dixerat multo probabilius exiſtimauit.

Infero ſecundò contra M. Cano & ſuæ ſententiæ ſectatores, in capite non poſſe aparte rei rationem inſtrumenti ſeparari a ratione membri: immo quotieſcunque caput rationem membri obtinet, habere etiam rationem inſtrumenti, & ecõtrario, cõcedere enim, ſicut tertia aſſerit opinio, in alijs mẽbris a capite, *Secunda illatio contra M. Cano.*
D & corde ſeperari poſſe rationem inſtrumenti a ratione mẽbri, non moror. id tamen, quod poſſit contingere in præcipuis illis duobus mẽbris corde & capite vera philoſophia non admittit, quoniã etiã ſi inter Ariſt. lib. 3. de partibus animaliũ & eorũ cauſis c. 3. & 4. & Galenũ lib. 7. de vſu partium c. 8. cõtrouerſia ſit de primo principio motus animalis, Ariſt. aſſerente illud eſſe cor: Galeno verò dicente illud eſſe cerebrũ: apud vtrumq; tamẽ illud eſt certum, ita ab vtraq; parte illũ motũ pẽdere, vt nõ poſſit alijs mẽbris cõmunicari, niſi ſit in corde & cerebro, & ĩ ijs ſi deficiat talis motus, in alijs ſtatim deficere, ideoq; quoties caput & cor rationẽ inſtrumẽti retinent, rationẽ etiã mẽbri retineant neceſſe eſt. Igitur ꝑ trãſlationẽ, ſeruata ꝓportione a capite metaphorico eccleſię tãquàm a pręcipua parte a qua pẽdet vniuerſalis eccleſię influxus, multò minus credẽdũ eſt ſeparari poſſe

rationem inſtrumenti a ratione membri, quomodo enim ſi per fidem caput, vt A primum & præcipuum membrum ceteris membris non ſit vnitum: immo hæretica prauitate præciſum & ſeparatum poterit in ea influere?

Non poteſt eſſe caput eccleſiæ quin ſit membrum.

Hinc etiam eſt non poſſe quempiam eſſe eccleſiæ caput, quin ſit eccleſiæ membrum, loquor de Pontificibus à tempore D. Petri, quod dixerim propter Christum Dominum, de quo Althiſiodorenſis, lib. 3. ſuæ Summæ, tractat. 1. cap. 4. quęſt. 6. & Ricardus in 3. diſt. 13. art. 2. quæſt. 1. & plures alij Theologi docent, tali modo eſſe caput metaphoricum, vt non dicatur membrum, quoniam membrum dicere videtur quamdam imperfectionis dependentiam a corpore: Chriſtus vero ſine vlla dependentia a corpore myſtico eſt caput illius. Quamuis vt S. Thom. aſſerit quæſt. 29. de veritate art. 4. ad ſextum, aliquo modo appellari poſſit membrum, ratione diſtinctionis ab alijs membris eccleſiæ, illumque B etiam Paulus apellat membrum. 1. ad Corinth. cap. 11. cum de nobis & Chriſto loquens ait. *Vos eſtis membra de membro*: nos autem de Summo Pontifice Petri ſucceſſore loquentes aſſerimus non poſſe eſſe caput, quin ſit membrum: quoniam (vt vidimus) ſicut ſine fide non poteſt eſſe membrum eccleſiæ, ita ſine fide non poteſt eſſe caput illius: & quemadmodum in naturalibus ab eodem principio recipit caput eſſe, a quo & membrum illud habet, ita in corpore myſtico & capite metaphorico ab eodem principio ſcilicet a fide prouenit eſſe radicale & fundamentale.

Nũ Chriſtus dici poſſit membrum eccleſię

Vltima aſſertio respondẽs quæſtioni.

Vltima Propoſitio: Summus Pontifex eo ipſo quod eſt hæreticus iure diuino poteſtatem ammittit Pontificiam. In qua aſſertione aſſentior auctoribus vltimę ſententiæ, eamque eſſe S. Thomæ crediderim ſecunda ſecundæ quæſt. 39. art. 3. C cum eo loco aperte doceat, hæreticum quemcunque eo ipſo amittere iuriſdictionis poteſtatem, neque poſſe eum excommunicare, neque indulgentias conferre, quæ ſi fecerit, nihil, inquit, eſt actum. & quamuis Caietanus Opuſculo, cit. cap. 22. maximè in explicatione S. Thomæ laboret, re uera ita clarè pro noſtra loquitur aſſertione, vt nulla poſſit conuenienti interpretatione explicari. Colligitur apertè hæc aſſertio ex præcedenti propoſitione: quoniam ſi iure diuino ſuprema illa poteſtas ſuper fidem fundatur. Igitur eo deficiente fundamento dignitas ibi fundata ruat neceſſe eſt.

Probationes concluſionis.

Colligitur præterea ex illo Matth. cap. 5. *Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur?* ideſt, ſi Doctor errauerit, inquit Gloſſa, in quo populus firmabitur? & ſubditur: *Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras*, ideſt, ab eccleſia & of- D ficio docendi expellatur, qua expoſitione fere ad idem propoſitum vſus eſt D. Hieronymus in Epiſtola ad Helyodorum, & refertur. 2. quæſt. 7. cap. Non omnes Epiſcopi, vnde Paulus ad Galat. cap. 1. in vniuerſum loquens ait: *Si quis* (adhuc ſi ſit Papa, immo & Angelus de cælo) *Euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit*. hoc eſt, quid ſeparatum & diuiſum. Solent etiam pro hac ſententia innumera iuris capita adduci, cap. Nouatianus 7. quæſt. 1. in quo ex D. Cypriano ita dicitur: Qui nec vnitatem ſpiritus, nec communionem pacis obſeruat, & ſe ab eccleſiæ vinculo atque ſacerdotum collegio ſeparat, Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, cap. (etiam) Didiſcimus, 24. q. 1. Didiſcimus omnes omnino hæreticos & ſchiſmaticos nihil habere poteſtatis

atque

A atque iuris. Prætereo innumera alia; quæ aliqui in hac re multi æſtimant, inter quæ pręcipua ſunt, cap. Acathius, & cap. Hæretici, & cap. Audiuimus. §. ſin autem in corde ſuo, 24. quęſt. 1. Confirmatur eadem aſſertio, quia præcipuum munus & paſtoris officium eſt confirmare reliquos in fide, vt colligitur ex Luca cap. 22. vbi poſtquam Chriſtus Petro dixit: *Simon ecce Sathanas expetiuit vos vt cribaret ſicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua*, ſtatim ſubdit quaſi rationem reddens qua motus pro eius fide rogauerit: *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*: ſed paſtor factus hæreticus eſt in fide mortuus, quo ergo modo ceteros confirmare poterit? doctrinęque pabulo alere & regere, hinc enim eſt quod non niſi fideli ſeruo, & prudenti commiſſa ſit Chriſti familia alenda, & paſcenda.

Videtur colligi aſſertio ex D. Luca c. 22

B Demum Eccleſia de ſua ratione congregationem fidelium dicit. Igitur Papa hęreticus non eſt in eccleſia, ſed extra illam, & ab ea pręciſsus ac ſeparatus: nullus autem pręciſus à corpore eccleſię poteſt eſſe caput illius, nam caput a ſuo corpore pręciſſum & ſeparatum non eſt niſi ęquiuoce caput, ſicut hominis mortui oculus noneſt, niſi ęquiuocè oculus vt ex Ariſt. 2. de Anima cap. 1. ſupra dicebamus. Nullo ergo modo Pontifex hęreticus manet poſt admiſsam hęreſim in antiqua Iuriſdictionis poteſtate, quod ſi ab eccleſia, Concilio vè generali poſtea deponitur, non ideo eſt, quia non fuerit antea eò ipſo depoſitus: ſed quia oportet, eum iam depoſitum declarare, & exterius omnibus tamquam depoſitum proponere.

Eccleſia dicit congregationem fidelium.

Vniuerſa ergo, quę diximus qui conſiderauerit, integram facilè colliget trā-
C ſlationem a capite & menbris naturalibus ad Summum Pontificem, & reliqua eccleſię membra. Quemadmodum enim in hominis capite conſideramus ordinem ſecundùm ſitum & locum, perfectionem ſecundùm ſenſum & motum; & virtutem influendi in membra: in corpore verò alimenta reperiuntur, quorum quędam partes media tranſmutatione in naturam corporis aliti conuertuntur: & alię, quæ non ſolum non conuertuntur, ſed expelluntur tamquam excrementa, etiamſi ambæ partes a calore naturali patiantur, vt conuertantur: ſunt præterea quædam alia hominis membra in actu, quæ ſecundùm vitam, ſenſum, & motum mouentur aliquando cum dolore, aliquando ſine illo: ſunt denique & alia in homine, quæ ſolum ſecundùm nutritionem mouentur, vt in oſſibus manifeſte conſtat: non diſſimiliter in capite eccleſiæ ordinem ſecundùm locum
D & ſitum ponimus cum confitemur, Papam primum tenere locum, ſenſumque fidei, ac virtutem influendi in omnes alios fideles collocamus: in eius autem corpore myſtico calorem ſpiritus & charitatis perpetuum circa infideles tamquàm circa alimenta ex quibus augetur, continuo agentem, vt conuertantur & fiant actu membra ponimus. Quorum infidelium, qui per mutationem vitæ, fideiq; & baptiſmi ſuſceptionem ad eccleſiæ vnitatem veniunt, actu membra redduntur, qui verò renuunt & in infidelitate finaliter decidunt, tamquam excrementa in ignem æternum expelluntur. Eorum deinde membrorum, quæ in eccleſia ſecundùm ſenſum fidei & charitatis motum inueniuuntur, quædam dum in via ſunt per tribulationes & labores tamquam aurum in fornace probantur, vt ſancti & iuſti calamitatibus & miſerijs ſubiecti: ſed eadē poſtea ſine vllo dolore

Integra translatio capitis & corporis humani ad ſũmum Pontificē, & corpus myſticum.

in termino patriæ ſunt collocata, quo in loco per ſolam charitatem tamquam A membra eccleſiæ triumphantis mouentur. Demũ ponuntur & alia, quæ quamuis membra mortua à charitatiſque vita aliena ſint: vera tamen membra propriè & in actu exiſtimantur, cum per fidem nutriantur ac vltimo fini per intellectum coniungantur, huiuſmodi ſunt peccatores fideles, qui mortui Deo, delictis viuunt & peccatis.

Argumentis primæ ſententia Caietan. Reſpondetur.

Iam ergo, ne diſputationem longiùs protrahamus, vtque iſthæc omnia clariora & probabiliora reddantur, rationibus aliarum opinionum ſatisfaciamus operæpretium erit. Caietano in primis reſpondemus, falſum illud eſſe quod accipit fundamentum, characterem ſcilicet conſtituere vnumquemque in ratione membri: neque id colligitur ex cap. Veniens, de presbytero non baptizato. Quoniam etiam ſi fateamur per fidei ſacramentum, ideſt, per baptiſmum poſſe aliquando characterem conferri & ſuſcipi ſine fide, vt cum quis ſacramentũ B baptiſmi ſuſcipit, non ſolum gratiæ, ſed & fidei obicem ponens, hoc verò vſq; adeo rarum eſt, vt uix contingat habere aliquem intentionem ſacramentum recipiendi, qui non habeat ſuſcipiendi fidem. Ideo in illo cap. Veniens, Pontifex Innocentius. 3. intelligendus eſt de illis, qui ſuſcipiunt ſacramentum eo modo quo communiter ſolet in eccleſia ſuſcipi, vt à pueris, vel ab adultis non aliter ſuſcipientibus, quàm ſufficienter in fide inſtructis: immo potius eo teſtimonio probatur, fide conſtitui eccleſiæ membrum, quoniam docet ibi Pontifex, eccleſiæ membrum conſtitui vel per fidei ſacramentum, ideſt, per baptiſmum, qui dicitur ſacramentum fidei: vel per fidem ſacramenti, hoceſt, per fidem Chriſti in ordine ad baptiſmi ſuſceptionem, vt in Cathecumenis & adultis C contingit, hacque ſola ratione diuiſit eo loco Pontifex ſacramentum à fide, nõ quia per fidem ſacramenti, intelligere voluerit characterẽ, vt fingit Caietanus, quis enim vnquam per fidem characterem intellexit?

Ad primam rationem Caietani.

Vnde antequam primę rationi pro Caietano factæ reſpondeam, mirari non deſinam Caietanum ſe tam facili & leui fateri victum argumento, infinitas cũ habeat inſtantias, quas latè preſequitur Caſtro de Caietano in hac parte triumphans in illo cap. 24. Primo enim negare poſſumus antecedens illius primę rationis: quoniam iure diuino Epiſcopi hæretici dignitatibus eo ipſo priuantur, carentque omni poteſtate iuriſdictionis, vt docuit S. Thom. ſecunda ſecundę. quæſt. 39. art. 3. id verò, quod aſſumit, vt probet antecedens: epiſcopalem poteſtatem eſſe ex hominis aut eccleſiæ commiſſione, quidquid Caietanus ipſe D & Turrecremata, lib. 2. eccleſię cap. 32. dicant, falſum eſt. Nam etiam ſi poteſtas circa has aut illas oues, rituſque & cæremoniæ conſecrationis Epiſcopi ſint ab eccleſia inſtituta, adhuc iuriſdictionis poteſtas epiſcopalis non ab homine, ſed a Deo eſt conceſſa Epiſcopis: quoniam vt docuit Concilium Florentinum, dum de ſacramento confirmationis loquitur in regula Armenis tradita, Epiſcopi Apoſtolorum ſunt ſucceſſores, at Apoſtoli a Chriſto immediate acceperunt poteſtatem. Idem ergo dicendum erit de Epiſcopis eorum ſucceſſoribus. Solemus enim ſimili ratione contra hæreticos probare Romanum Epiſcopum ceteris Epiſcopis eſſe ſuperiorem: quia Petrus (cuius vices Romanus pontifex gerit) fuit reliquis Apoſtolis (quorum vices gerunt alij Epiſcopi) ſuperior. Neq;

Epiſcoporum poteſtas nõ eſt ab homine ſed a Deo.

inſpexit

A inſpexit Caietanus, illud cap. Ita Dominus ex D. Leone adductum: quoniam probat potius noſtram ſententiam, quàm Caietani opinionem, ſi eius verba rectè perpendantur, verba ſunt hæc: Ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtituit, vt veritas, quæ antea in veteri teſtamento continebatur, per Apoſtolicam tubā in ſalutem vniuerſitatis exiret: ſed huius muneris ſacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in B. Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi a quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem intelligeret ſe diuini miniſterij eſſe, qui auſus fuiſſet a Petri ſoliditate recedere. Hæc Pōtifex Leo; in quibus primò animaduerto D. Leonē aſſerere, Chriſtum Dominū voluiſſe, vt illa dona ad omniū Apoſtolorum officiū pertinerent: igitur ex Chriſti voluntate & non B ex ſola Petri commiſſione. Secundò animaduerto, B. Leonem docere aliorum Apoſtolorum auctoritatem quamuis a Chriſto acceptam, Petro eſſe ſubiectam, & tandiu eos habere auctoritatem illam, quandiu ſuo capiti vniuntur, eccleſiaſticique ædificij fundamento innituntur, a quo ſi ſeparentur, ſicut ad eccleſiam non pertinent, ita eo ipſo amittunt eccleſiaſticam, quam habebant, iuriſdictionem. igitur antecedens illius primæ rationis non eſt certum, vt exiſtimat Caietanus immo potius falſum. Prætetea ſecūdò adhuc, ſi Caietano daremus antecedens, conſequentia nullum haberet vigorem: quoniam potuit Chriſtus Dominus de ſolo ſummo Pontifice ſtatuere, vt eo ipſo quòd hæreticus eſſet, eſſet etiam depoſitus, nihil de alijs Epiſcopis ſtatuendo. Ratio verò huius diuerſitatis ea eſſet, quia Papa plus reipublicæ Chriſtianæ nocere poterat, quàm quiuis C alius Epiſcopus, ſi vterque eſſet hæreticus. Neque ob id eſſet ſuprema illa dignitas deterioris conditionis, vt obijciebat Caietanus, immo multo melioris: quia non admitteret ſecum hæreſim, ſicut dignitas Epiſcopalis. ſicut melioris conditionis eſt in beatis non poſſe peccare, quàm in nobis, poſſe in multis delinquere. Vnde non bene arguitur a dignitate Epiſcopali ad ſummum Pontificatum in caſu hæreſis adhuc interioris & occultæ, nam reſpectu Dei parum refert, ſit ea hominibus occulta, vel cognita:

Secundæ rationi reſpondeo, Pontifices, & Epiſcopos hæreticos, ſi parati ſint corrigi, priorisque doleant erroris, ac redeant tandem ad eccleſiæ vnitatem, reſtitui in priſtinas dignitates per tacitam eccleſiæ electionem; infertur; hoc ex illis cap. in argumento adductis. Ibi enim iura diſponunt manere illos in antiD quis dignitatibus, non quia prius ipſo facto non fuerint eis deſtituti & priuati, ſed quia quadam miſericordiæ diſpenſatione reſtituantur, ibique tacitè reeligātur, vt conſtat per cap. Si quis hæreticæ. 1 quæſt. 1. Et cum obijcitur contra hoc, quòd ille poſt hæreſim non crearetur Epiſcopus. Ergo multo minus credendum eſt, eum reſtitui & reeligi in antiqua dignitate. Reſpondetur multos reeligi ad priſtinas dignitates ex quadam miſericordiæ diſpenſatione, qui ſi antea electi non fuiſſent, nullo modo eligerentur de nouo, ita legimus tempore Liberij Papæ, quoſdā Epiſcopos, qui inſtanti perſequutione perfidiæ Arianorum conſenſerant, receptos fuiſſe ab eccleſia, & in priſtinas dignitates reſtitutos, vt videre eſt. 24. quæſt. 3. cap. Quidam, §. Luciferiani, & deſumitur ex Iſidoro lib. 8. originum ſiue Ethymologiarum, cap. 5. Et Rurſum cum Papa diſpenſat cum clerico homicida,

Ad ſecūdam rationem eius dem.

homicida, qui incidit in irregularitatem, & fuit priuatus beneficio, tunc cum A illo Pontifex minus difficilè diſpenſat, taciteque ei beneficium reſtituit, quàm ſi denouo diſpenſaret ad ſuſceptionem ſacrorum ordinum, denuóque illi beneficium conferret. Denique verum etiam illud eſt, toties ipſo facto priuari Epiſcopos, quoties in hæreſim pertinaciter fuerint lapſi: & toties tacitè reeligi, quoties ab eccleſia non fuerint declarati tamquam depoſiti. Nihilominus toties poſſet Pontifex vel Epiſcopus relabi, & tanto cum ſcandalo, vt merito eccleſia illum depoſitum & non reelectum declararet, & tunc ceſſaret tacita reelectio per contrariam declarationem.

Ad tertium argum. Tertiæ rationi dicitur, quòd etiam ſi poteſtas ordinis ſit nobilior & abſolute præſtantior poteſtate iuriſdictionis, tamen in ordine ad populum, propter quem inſtituta eſt vtraque poteſtas, multo maior eſt poteſtas iuriſdictionis; cũ B per eam pax & iuſtitia conſeruetur, ac mali mores corrigantur. Vnde ſine hac poteſtate bonum omne a Repub. laberetur & deficeret: ob eamque cauſam ea iuriſdictionis poteſtas in ſummo Pontifice ſtatuta eſt ſupra fundamentum *fidei*, ne fide careret, qui errantes ab ea deberet reuocare: ordinis verò poteſtas ſolum ſupra characterem fundata eſt, qui cum ſemper remaneat, manet & ipſa quantum ad ſuam eſſentiam. Neque confirmatio illa de Imperatore & Rege hæretico alicuius eſt momenti, quoniam ſæcularis illa poteſtas non debuit fundari ſupra petrã fidei, ſicut Eccleſiaſtica & Pontificia dignitas: oportebat enim diuerſum eſſe fundamentum ciuilis & eccleſiaſticæ poteſtatis, quemadmodum & ad diuerſos fines vtraque erat ordinata.

Ad Vltimam ration. Caieta. Quartæ demum rationi, quæ confuſionem obijcit ordinis eccleſiaſtici, multi C multa reſpondent ex S. Thoma in 4. diſt. 24. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. ad ſecundũ, ex Driedone lib. 1. de libertate christiana, cap. 14. & ex auctoribus pro vltima ſententia ſuperius adductis. Sed breuiter dico, maiorẽ difficultatem oriri muliere aſſumpta ad ſummum Pontificatũ, & in eo per aliquod tempus remanẽte, quàm homine hæretico pro Pontifice habito: quoniam in hoc ſaltem poteſtas ordinis conſeruaretur: in illa verò nulla vnquam fuiſſet, neque ordinis neque iuriſdictionis poteſtas. Contigit autem aliquando in eccleſia mulierem ab omnibus tamquam Papam haberi, ſi credere licet D. Antonino parte 2. titu. 16. cap. 1. §. 7. Platinæ in vita Ioannis octaui. Sabellico lib. 1. dum agit de Ioanne ſeptimo, & Petrarchæ de claris mulieribus, licet auctor additionum ad Platinam id fabuloſum doceat: & quamuis id verum eſſe daremus, tunc diuina prouidentia eccleſiã D protegente, non ſequeretur totius eccleſiaſticæ Hierarchiæ confuſio: multò ergo minus ſequeretur Papa exiſtente hæretico. Rurſus contingere poſſet in Sacerdotem & Epiſcopum ac in ſummum Pontificem aſſummi hominem re vera nõ baptizatum, qui verus putaretur ſummus Põtifex, & tamen tunc credendũ eſſet, Chriſto ſemper ſuam ſponſam eccleſiam protegente, inde non euenturam eccleſiaſtici ordinis confuſionem. Cur ergo non arbitrabimur Papa exiſtente hæretico occulto, ne in tot labirinthos eccleſia incideret, Deum ſua prouidentia eccleſiæ ſubuenturum, conueniensque remedium impartiendo non abfuturum? Tunc enim vel antequam aliquid efficere conaretur, e vita diſcederet, eccleſiæve id patefactum eſſet, quauiſque alia via ſemper illud adimplendum fore intelligere

Auctores qui docẽt quondã mulierẽ fuiſſe Papam.

gere

A gere debemus: *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Matth. cap. 16.

Neque Alfonſus de Caſtro id, in quo cum Caietano conuenit, probat: quia ea, quæ rationibus Caietani addidit inſufficientia ſunt, vt characterem dicamus eſſe id, quo quis membrum eccleſiæ redditur: quoniam illa verba Pauli 1. ad Corinth. cap. 5. *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt, iudicare?* non ſunt intelligenda de ijs, qui poſtquam ſunt per fidem & baptiſmum eccleſiæ vnitatem ingreſſi, ab ea hæretica prauitate admiſſa exierunt: ſed de illis potius ea verba ſunt accipienda cũ Hieronymo & Theodoreto, Anſelmo, & S. Thoma. & conformiter ad antecedentia, qui nunquam ad veritatem fidei, eccleſiæque vnitatem venerunt; erant enim tunc temporis gentiles fidelibus admixti non ſolum in eadem prouincia; verum in eadem ciuitate & domo, circa hos infideles eccleſiaſticum fori iudiciũ B exerceri Paulus prohibuit dicens: *Quid mihi de ijs, qui foris ſunt iudicare?* At hæretici, quamuis eccleſiæ membra non ſint, non ſunt prorſus extra illam: quoniam hoc ius commune eſt & conceſſum cuicunque Reipub. vt transfugas, etiam ſi iam antiquæ communitatis partes non ſint, ratione illatæ iniuriæ puniri poſſint. Poteſt enim homo manum vel ab inimico, vel a Chirurgo ſemel abſciſſam comburere & in cineres redigere: id verò de quouis alieno membro efficere non valet. Ita eccleſia hæreticum tamquam transfugam, & tamquam membrum ſeparatum, atque abſciſſum valet comburere, & in cineres redigere: & manet ſemper in hæretico character, ſicut manet in manu abſciſſa figura & organizatio manus. Et quemadmodum quicunque intuetur abſciſſam manum, ſtatim iudicat illam hominis fuiſſe partem, ſed iam non eſſe: ita qui contemplatus C fuerit in hæretico characterem, dignoſcet quidem illum eccleſiæ fuiſſe membrum; ſed iam hæreſis ſeparatione & anathemate a fidelium vnitate & congregatione ſeparatum eſſe: intelligetque tandem eum charactere antiquo conſignatum manere, ſicut manet ouis in alieno ouili nondum antiquo ſigno & charactere deſtituta. Ex quibus omnibus ſatis clarè colligitur, characterem non eſſe rationem ſufficientem, qua quis eccleſiæ membrum reddatur.

Illam deinde differentiam, quam Caſtro inter Pontificem in occulto hæreticum, & publicè ac manifeſtè fidei contradicentem, aſſignare nititur, congruẽtem diceremus niſi iure diuino a Chriſto Domino ſuper veram fidem, tamquã ſupra petrã Pontificis poteſtatẽ fundatam eſſe, accepiſſemus. Quamuis enim in D oculis hominũ, quantũ ad ea quæ in eccleſiæ gubernatione inſpiciuntur, non multum videatur nocere Papa in occulto hæreticus, tamen in oculis Dei cæteris alijs membris illum non vniri per fidem, ſed ſeiunctum & præciſſum exiſtere, qui caput debet eſſe eccleſiæ indecens quàm maximè eſt. Ob eamque cauſam eam dignitatem ſuper fidem fundari voluit, non verò ſupra exteriorem ac vocalem confeſſionem.

Eis demum, quæ pro tertia ſententia adducta fuere ex dictis ſatisfacere non erit difficile. Namque Leo Papa in illa Epiſtola ad Mauros nequaquam docet, hæreticum non eſſe eò ipſo depoſitum, ſolum enim aſſeruit, illum qui iam reſipuit, non eſſe depellendum, hoc eſt, non eſſe declarandum tamquam depoſitum, ſed tacita miſericordiæ diſpenſatione (vt diximus) religendum.

Rationes Alfonſi à Caſtro ſoluuntur.

Interpretat. verborũ Pauli Quid mihi de ijs qui foris

Quomodo hæretici aliquo modo ſint intra Eccleſiã.

Non rectè aſſignat Caſtro diſcrimen inter hæreticum occultum, & publicum.

Argumentis pro ſent. M. Cano ſatisfit.

Parochus poteſtatem ordinariam iuriſdictionis habet ex humana commiſſione.

Illud verò, quod de Parocho obijciebatur nequaquam difficultatem habere A videtur: nam vt docuerunt Paludanus, Opuſculo de poteſtate Papæ, art. 6. concluſione. 2. Caſtro lib. 2. de iuſta hæreticorum punitione cap. 22. & Martinus de Ledeſma in 2. parte 4. ſent. quæſt. 22. art. 1. ſacerdos curam animarum habens poteſtatem habet ordinariam iuriſditionis ex humana commiſſione, vt conſtat ex cap. Eccleſias. 13. quæſt. 1. quod cap. deſumptũ eſt ex Epiſtola 2. Dionyſij Papæ ad Seuerum Cordubenſem Epiſcopum, colligiturque idem ex ſynodo Auguſtana, cap. 8. Quamobrem ius diuinum nihil de fundamento illius iuriſdictionis diſpoſuit: ideoque Parochus hæreticus mentalis tantum non eſt priuatus tali poteſtate, poteſtq; ſuos ſubditos a peccatis abſoluere quia vtramq; retinet & ordinis & iuriſdictionis poteſtatem. Vnde non eſt eadem ratio de ſũmo Pontifice ac Epiſcopis, & de Parocho, cum illi non ſolum iuriſdictionis po B teſtatem iure diuino habeant: ſed eodem iure ſupra fidẽ Chriſti fundatam obtineant, Parochus verò vtroque careat. Neque ex dictis confuſio vlla ſequitur; quoniam quotieſcunque nobis per eccleſiæ iudicium, quauis vè alia euidenti ratione, de hæreſi ſummi Pontificis, aut cuiuſuis alterius Epiſcopi non conſtiterit, ſemper tenemur, eos reputare fideles, atque credere ſuſceptam ſemel fidem illos retinere: quoniam, vt ex iure habemus, quilibet præſumendus eſt bonus, donec probetur contrarium.

C

EX DVABVS CONTROVERSIIS QVÆ POSITÆ FVERUNT pro Decano facultatis S. Theologiæ, Prior poſitiua, & quarta in ordine fuit.

An Apoſtoli & Euangeliſtæ aliquid ex veteri Teſtamento citauerint, quod fideliter non adduxerint?

SVMMA CONTROVERSIAE SEQVENTIS.

Multis teſtimonijs comprobare contendunt hæretici, & quod mirum eſt ex Catholicis nonnulli, Euangeliſtas nonnumquam memoria lapſos fuiſſe, adduxiſſeq́; Prophetarum vaticinia vel addita, vel diminuta, aut contraria. Sed cum hæc, vt pote temeraria & errore plena iam à Catholicis reijciantur, in componendis hinc inde teſtimonijs præcipuus erit controuerſiæ ſcopus. D

RES hæc grauiſſima eſt, multaque Sacræ Scripturæ difficilia loca inuoluens. Fuerunt enim quidam (vt refert Hieronymus, ſuper cap. 5. Micheæ, & in præfatione Epiſtolę ad Philemonem) qui aſſeruerũt in omnibus penè teſtimonijs, quæ de veteri teſtamento ſumuntur, iſtius modi eſſe errorem, vt aut ordo mutetur, aut verba, & interdum ſenſus ipſe diuerſus ſit, vel ab Apoſtolis, vel ab Euangeliſtis, non ex libro carpentibus teſtimonia, ſed memoriæ credentibus, quæ nonnumquam fallitur. Idem ipſum videtur aſſerere Euthymius in cap. 20. Matth. & in cap. 14. Ioannis, & Theophylactus in Prologo ſuper Matth. quos ſequitur Eraſmus in annotationibus

Aliqui Catholici videntur ponere lapsũ memoriæ in Euangeliſtis.

A nibus ad cap. 2. & 27. Matth. & in cap. 1. Marci, Imme fuit quondam hæreſis
Ptholomæi, referente Epiphanio, lib. 1. aduerſus hæreſes hæreſ. vltima, & Fauſti
Manichęi, docente Auguſtino lib. 33. contra ipſum, cap. 5. & etiam Anabapti-
ſtatum, aſſerente Sixto Senenſi, lib. 7. ſuæ Bibliothecæ, hæreſi 2. & 3. ac De-
nique extitit peſtiferum dogma Cerdonis & Marcionis referentibus Ireneo, lib.
1. cap. 45. & Epiphanio lib. 1. hæreſi 41. Quorum omnium hæreticorum erro-
ribus ferè omnium Prophetarum citata vaticinia ab Euangeliſtis reſecabantur,
eo quod aſſererent, a falſarijs ea addita, neque bene citata exiſtimarent. Argu-
menta omnia & cuncta teſtimonia, quibus prædicti omnes probant ſuos erro-
res in particulari recenſere & refutare moleſtum eſſet, neque ad id vnica ſuffice-
ret controuerſia, pauca tamen, ſed præcipua, & difficiliora adducemus, & ea,
B quæ in multorum manibus quotidie verſantur.

Heretici varij citata ab Euang. volunt reſcindere.

In primis Matthæus, cap. 2. citat ex Prophætis illud. *Quoniam Nazareus voca-
bitur*, quod nuſquam in veteri teſtamento ſcriptum inuenitur. Et in eodem
cap. 2. citat Matthæus ex Michea, cap. 5. verba illa: *Et tu Bethleem terra Iuda ne-
quaquam minima eſt &c.* quæ longe contrarijs verbis reperiuntur in Michea di-
cente. *Et tu Bethleem ephrata paruulus eſt in millibus Iuda.* Item cap. 27. narrat Mat-
thæus adimpletum eſſe illud vaticinium Ieremiæ prophetæ dicentis: *Et accepe-
runt triginta argenteos pretium apretiati, quem apratiauerunt à filijs Iſrael:* quod vaticini-
um non eſt Ieremiæ, ſed Zachariæ cap. 11.

Obiectiones collectæ cõtra Euang. Matth.

Præterea ſecundò Marcus cap. 1. citat vaticinium illud: *Ecce ego mitto Ange-
lum meum ante faciem tuam &c.* ſub nomine Iſaiæ, cum tamen ſint verba Mala-
C chiæ, cap. 3. & nullo in loco ſint Iſaiæ. Idem etiam Marcus, cap. 2. aſſerit, Da-
uid, cum fugiebat Saulem, ingreſſum eſſe Domum Dei, & accepiſſe panes pro-
poſitionis, idque contigiſſe ſub Abiathar ſacerdote, at apertiſſimè conſtat ex,
lib. 1. Regum cap. 21. illud temporibus Achimelech ſacerdotis eueniſſe. Demũ,
mirum (inquiũt) non eſt, in prædictis Euangeliſtam Marcum memoria lapſum
fuiſſe, cum etiam lapſus fuerit referens, cap. 15. Chriſtum crucifixum hora tertia
quod Ioannes occulatus teſtis, cap. 19. hora ſexta contigiſſe narrat.

Obiectiones contra Marcum.

Tertio Lucas actorum cap. 7. in oratione Stephani multa ponit, quæ ſatis
indicant illum memoria lapſum. Nam primò dicit ſeptuaginta quinque ani-
mas ex genere Iacob ingreſſas fuiſſe in Ægiptum, cum tamen conſtet ex Geneſi,
cap. 46. Deuteronom. cap. 10. & Exodi cap. 1. fuiſſe tantum ſeptuaginta. Di-
D cit ſecundò Patriarchas translatos atque ſepultos fuiſſe in Sichem, cum tamen
certum ſit conditos fuiſſe in ſepulcro, quod emit Abramham in Ebron, vt licet
videre Geneſ. 25. 35. & 49. teſtaturque id ipſum Ioſephus, lib. 2. antiquitatum
Iudaicar. cap. 8.

Contra Euangeliſt. Lucam.

Vltimo; Multa ab Euangeliſtis commemorati hæretici reſcindunt, quia re-
pugnare veteri teſtamento videantur, &, vt ex multis vnũ proferamus Hiſtoriã
illã de languido ad probaticã Piſcinã iacente tamquã commentitiam, & cap. 5.
Euangeliſtæ Ioãnis additã reijciunt; tũ quia in veteri teſtamẽto nil de hac Piſci-
na cum quinque porticibus memoratur; tum quia Ioſephus Hebraicarũ antiqui
tatũ, ac preſertim omniũ templi conſtructionũ ſub Salomone, ſub Zorobabel,
& ſub Herode diligẽtiſſimus ſcriptor nihil de Piſcina, neq; de aqua ab Angelo

Obiectiones contra Euág. Ioan.

turbata ſcribit. Sunt ergo reijcienda plura ab Euangeliſtis, vel quia malè citata, vel quia non conſona veteri teſtamento. Ommitto plura alia, quæ in confirmationem eorum, quæ dicta ſunt, adduci poſſent, præſertim quod ſanctiſſimis viris, itidemque doctiſſimis memoria labi ſæpe euenerit. Namque Chryſoſtomus, homil. 7. in priorem ad Corinth. Epiſtolam, aſſerit dictum illud: *Oculus non vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit*, non inueniri in ſacra Scriptura, cum tamen, Iſaiæ 64. cap. reperiatur. Clemens inſuper Alexandrinus, lib. 4. Stromatum, non multum à principio verſans illud Lucæ cap. 19. *Ecce vir nomine Zacheus, & hic: princeps erat publicanorum*, dicit alias non legi Zacheum, ſed Matthiam, quod nullibi vmquam legitur. Non igitur mirum erit, ſi id in citationibus Apoſtolis & Euangeliſtis euenerit. A

Memoria lapſus in S. Patribus.

In huius controuerſiæ explicatione, maioris oneris & difficultatis eſt obiectionum, quæ nunc nunc ob oculos ſunt poſitæ, ſolutio; quàm veritatis comprobatio. Quam ob rem id tamquam certum prius breuiter ſtatuamus, vt poſt modum vi difficultatum inſiſtere valeamus. Nihil in Apoſtolorum & Euangeliſtarum ſcriptis inueniri, quamtumuis leue & minimum videatur etiam in citationibus, quod non fuerit ſcriptum Spiritu ſancto adſiſtente, atque calamum dirigente, & contrarium aſſerere eſt grauiſſimus error. Id quod in primis conuincitur eo argumento, quo vtitur Auguſtinus, lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarū, cap. 12. Nam ſi in re minima deceptos fuiſſe Euangeliſtas concedas, aut memoria lapſos affirmes, omnia in dubium reuoces, neceſſe eſt. Quod argumentū dilatat maximè Auguſtinus loco citato; tum etiam quia difficillimum eſt ſtatuere ac iudicare, quænam res graues ſint; quænamue leues, & parui momenti; omniaque eis leuia viderentur, vt in omnibus potuiſſe Euangeliſtas, vel Apoſtolos errare concederent. Confirmat hoc idem Beda ſuper cap. 2. Geneſ. explicans illa verba: *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, & Gregorius in proœmio Moralium, cap. 1. Immo & Auguſtinus, Epiſt. 8. ad Hieronymum, & referuntur eius verba cap. Si ad ſcripturas, diſt. 9. & in Epiſt. 19. ad eumdem, referunturque eius verbo cap. Ego ſolis, eadē diſt. 9. *Ego (inquit) ſolis eis ſcriptorum, qui iam canonici appellantur, didici hunc honorem defferre, vt nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere: aut ſi aliquid ſe offert, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud exiſtimo, quam mendoſum eſſe codicem, vel non eſſe aſſequutum interpretem, quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe*. Hæc Auguſtinus. Verum, ne in hac re teſtibus non neceſſarijs vtamur, ad explanationem eorum, quæ in contrarium adducta ſunt, veniamus, quamuis breuiùs fieri oporteat, quàm res tanta expoſtulabat. B C D

Pro explicatione ſtatuitur certa ſententia.

Ex Matthæo primo loco nonnulla obijciebantur, quorum illud primū erat, quod adducitur cap. 2. ex Prophetis, *Quoniam Nazareus vocabitur*. De quo Hieronymus ibidem, & in Iſaiam cap. 10. & ad Pamachium de optimo genere interpretandi, aſſerit omnem ſcripturam docere nos vocari Chriſtum Nazareum, id eſt, ſeparatum à peccatorum commertio. Vnde quoniam Matthæus non ex aliquo particulari Propheta ſumpſit illud, addidit, (ſicut dictum eſt per Prophetas) ſic in plurali citando innuens, ſe non verba, ſed ſenſum de Scripturis accepiſſe. Sixtus Senenſ. lib. 7. Bibliothecæ. in confutatione hæreſis 2. ex determinato Propheta aſſerit Matthæum illud teſtimoniū adducxiſſe & citaſſe, quoniam in

Ad teſtimonia ex Math. De illo Math. 2. quoniā Nazareus vocabitur.

A Iſaia cap. 11. vbi nos legimus? *Et egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*, ſecundum veritatem Hebraicam aſſerit legendum; *Exiet virga de radice Ieſſe. & Nazareus de radice eius aſcendet*. Sed falli videtur Sixtus Senenſis, quia in Iſaia eſt vox נֵצֶר Nethſel, quæ ſignificat (teſte S. Pagnino) ramun vel floré. at in cap. 13. Iudicũ eſt vox, נָזִיר Nezir. quæ ſignificat Nazareum, ideſt, ſeparatũ. Alijs magis placet, & videtur conuentior ſolutio, Matthæum accepiſſe illud teſtimonium ex lib. Iudicum cap. 13. nam de Samſone qui Chriſti typum in multis geſſit, ibi dicitur, quod erit Nazareus ab infantia. Et ſi quis obijciat aduerſus hanc ſententiam librum Iudicum non expectare ad libros Prophetarum, adhoc reſpondent celebri quadam partitione, totum ſcilicet vetus teſtamentum diuidi in tres partes, nempe in legem, quæ continet quinque libros Moyſis in Pſal-

Celebri partitione Vetus teſtam. in tres partes diuidi.

B mos, & in Prophetas, qua diuiſione vſus eſt Chriſtus ipſe Lucæ cap. vltimo cum inquit: *Oportet adimpleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi in Pſalmis & in Prophetis de me*. Quare cum liber Iudicum neque ad legem Moyſis, neque ad Pſalmorum librum expectet, ad libros Prophetarum pertinebit iuxta eam diuiſionem, & hac videtur vti Matthæus, cum ait, *Vt ad impleretur, quod dictum eſt per Prophetas, quoniam Nazareus vocabitur*, quaſi diceret, vt adimpleretur quod in quodam volumine ad libros Prophetarum redacto præfiguratum eſt, cum dicitur: *Quoniã Nazareus erit ab infantia & ex matris vtero*.

Maiorem multò habet difficultatem illud teſtimonium, quod eodem cap. 2. citat Matthæus ex Michea cap. 5. *Et tu Bethleem, terra Iuda, &c.* In cuius explicatione Hieronymus ſuper cap. 5. Micheæ declarans inducta verba in hunc mo-

Ad illud Match. 2. & tu Bethleem terra Iuda &c.

C dum ait: Verba adducta ab Euangeliſta Matthæo neque cum codice Hebraico neque cum 70. Interpretibus cõuenire credo: & arbitror Matthæum volentem arguere Scribarum & ſacerdotum erga diuinæ ſcripturæ lectionem negligentiã ſic etiam poſuiſſe, vt ab eis dictum eſt. Sed pace eruditiſſimi pariter & ſanctiſſimi Doctoris dixerim, hoc non ſoluit difficultatem, quod multi intelligentes conati ſunt ſui ingenij fimbrias dilatare & oſtendere, nullo modo Euangeliſtam in ſenſu a verbis Prophetæ diſſonare. Quidam nullam eſſe diſcordiam ſic colligunt, quoniam Propheta appellat Bethleem paruulam quantitate murorũ & turrium: Euangeliſta verò nequaquam minimam affirmat, ſed maximam, & celebrem quantitate famæ, quod explicare videtur, cum ſubdit: *Ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael.* Alij, inter quos eſt Rupertus Abbas, aſſerunt,

Sententia D. Hieronymi.

Aliorum expoſitio de magnitudine famæ & paruitate muror.

Expoſitio Ruperti.

D Prophetam ſignificare Bethleem eſſe paruulam in oculis hominum: Euangeliſtam autem docere nequaquam minimam eſſe in oculis Dei: ſed ijs, & alijs multis relictis, duæ ſunt viæ, quæ a doctioribus ſcripturarum indagatoribus probãtur. Prior eſt, in qua docent, verba Micheæ per interrogationem eſſe intelligenda, vt ſit ſenſus, *Quid? tu Bethleem exiguus & paruulus es?* non es certe, *quia ex te exiet dux, qui regat populum meum Iſrael*, quod ſchema eſt Prophetis perſæpe vſitatũ: ſed ab Euangeliſta hiſtoriam texente fuit ommittenda figura, & reddendus ſenſus ſimplex & nudus. Poſterioris viæ auctores aſſerunt in latina noſtra editione non ita clarè ſenſum Prophetæ fuiſſe redditum, vt a ſeptuaginta interpretibus eſt tradditus, nam transferunt illi, *Et tu Bethleem Epharata parum eſt, vt ſis in millibus Iuda, &c.* vbi enim auctor vulgatæ poſuit, Paruulus eſt, in Michea, debuit transfferre,

Duæ famoſiores expoſitiones.

Prior.

Poſterior.

transſferre, Paruum eſt, & occaſio huius diuerſæ translationis ea fuit, quia cum A
Hebræi genere neutro careant, maſculino vtuntur, aut fęminino pro neutro, vt
docuit Hieronymus ſuper cap. 7. Eccleſiaſtes. Hinc effectum eſt, quod vox illa
צעיר Tſanir, poſſit per paruum & minimũ transferri, & per paruus & minimus.
Vnde Propheta Micheas ſic eſt intelligendus, *Et tu Bethleem Ephrata paruum, ſiue minimum eſt in millibus Iuda*, ideſt, paruũ eſt, vt numereris in millibus Iuda, quod
alijs Verbis dixit Matthæus: *Nequaquam minima eſt in principibus Iuda.* Neque mirum
eſt auctorem vulgatæ editionis poſuiſſe in Michea, Paruulus: quia id per
Hebraiſmum alias fecit, vt docent aliqui in illo loco Matth. cap. 5. Qui fregerit
vnum de mandatis iſtis minimis, minimus vocabitur in regno cælorum, ideſt,
minimum ſiue minimè vocabitur in regno cælorum, quaſi dicat, nõ vocabitur
ſeu non erit in regno cælorum, & in illo Pſal. 26. vnum genus pro alio ſumitur, B
cum ait Pſalmiſta: *Vnam petij a Domino hanc requiram*, ideſt, vnũ petij a Domino,
& hoc requiram, nempe: *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Sed,
vt obiter dicam, iſtæ adhuc ſolutiones ſine querela non ſunt. Nam prior viam

De vtraq; expoſitione iudicium.

aperit, vt quiſque Scripturam in quemlibet ſenſum per interrogationem detorqueat:
poſterior verò ab alijs reijcitur; eò quod verbum grecum correſpondens
dictioni minimum, ſeu minimus a Septuaginta viris poſitum ὀλιγοστός, cum de
oppido dicitur, oppidum ſignificet infrequens & a paucis habitatum: ſed cum
modò nos vulgatam ſolum editionem libetare nitamur, relictaque 70. virorum
translatione (quam nunc tutari nequaquam inſtituimus) locum habere
poſſit ea vltima concordia, aſſerimus in Michea noſtrum interpretem ſeruato
Hebraiſmo tranſtuliſſe: *Paruulus eſt in millibus Iuda*, hoc eſt paruum eſt, vt nume- C
reris in millibus Iuda, ſicut & Matth. cap. 5. poſuit *Minimus vocabitur*, promi-
nime vocabitur in regno cælorum.

De illo Math. cap. 27. ſicut ſcriptum eſt in Ieremia &c.

Sententia D. Auguſt. & B. Beda.

Obijciebatur demum Mattheus cap. 27. ponens vaticiniũ Zachariæ ſub nomine
Ieremiæ. Cui Auguſtinus, lib. 3. de conſenſu Euangeliſtarum, cap. 7. reſpõdet,
nihil referre ſi vnius Prophetæ ſententiam alteri Matthæus tribuat. Quoniã
eodem Spiritu vterque Propheta ſcripſit: immo id peculiari Spiritus ſancti conſilio
factum eſt, vt eodem Spiritu omnes ſacri libri credantur ſcripti. Idem ſentit
Beda ſuper eundem locum Matthęi. Sed hæc ſolutio ſtare nullo modo poteſt;
nam etiam ſi idem Spiritus per omnes Prophetas fuerit loquutus: tamen nõ per
omnes eadem loquutus eſt. Vnde non videtur poſſe ſine mendacio dici, hoc di-
ctum eſſe a Ieremia, cum a Zacharia fuerit ſcriptum, etiam ſi per vtrumque idẽ D

Originis placitum.

met Spiritus loquutus fuerit. Origeni placuit illud teſtimonium apud Ieremiam
eſſe, tamen addit, non ſtare omnia vaticinia, quæ Ieremias ſcripſit; temporum
enim iniuria multa pariere. Hieronymus fauet eidem ſententiæ commentarijs
in eundem locum Matthæi, aſſerens, ſe quædam vidiſſe ſcripta Ieremiæ, quam-

Euſebij et Caietani reſponſio.

uis apocrypha, in quibus erat idem teſtimonium nullo mutato verbo. Euſebius
lib. 10. de demonſtratione euangelica, cap. 4. quem ſequitur Caietanus cõmentarijs
in Matthæum, aſſerit librariorum incuria pro Zacharia poſitum eſſe Ieremiam.
Sed minus inconueniens videtur aſſerre, quod docent Plures ex Iunioribus
duplex Zachariam habuiſſe nomen, appellarique etiam Ieremiam, quod cõmune
erat apud Hebreos, vt adnotauit Hieronymus lib. aduerſus Eluidium.

Rurſum

A Rurſum ſecundo loco, Marco cap. 1. pro Malachia ponenti Iſaiam, Reſpondent Theophylactus & quidam alij Iuniores, in codicibus Græcis non legi: *Sicut ſcriptum eſt in Iſaia*, ſed potius legi: *Sicut ſcriptum eſt in Prophetis*. ſed hæc ſolutio falſo nititur fundamento nam Græci codices vetuſtiores, & integri legunt: *Sicut ſcriptum eſt in Iſaia*, ſic legit Chryſoſtomus homil. de initijs Euangelij ſecũdum Marcum, vbi reſpondet Porphyrio ex eadem cauſa, Marcum increpanti, *lib.* 4. ſuorum voluminum. Ita etiam legit Epiphanius, lib. 2. aduerſus hæreſes, hæres. 2. quibus conſentit vetuſtiſſimum exemplar Græcum Bibliothecæ Vaticanæ. Alij docent, quod illa verba: *Sicut ſcriptum eſt in Iſaia*, non referuntur ad ea omnia, quæ ſequuntur, ſed ad id tantum: *Vox clamantis in deſerto*: reliqua verò Euangeliſtam de ſuo addidiſſe credunt, quaſi alluſerit ad verba Malachię, B ita M. Cano lib. 2. de locis cap. 16. Sed verior ſolutio eſt, teſtimonium a Marco citatum deſumptum eſſe ex illis duobus Prophetis, quod ſæpè accidit ſcriptoribus ſacris, teſte Diuo Hieronymo in præfatione lib. 16. in Iſaiam: quod ſupra Controuerſia 2. poſitiua de Paulo citante verſus Pſal. 13. ad Rom. 3. dicebamus. Nam prior pars: *Ecce ego mitto angelum meum*, eſt ex Malachia cap. 3. ceterũ illud, quod ſequitur: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini*, eſt apud Iſaiam *cap.* 40. Cum ergo eſſet ex vtroque Propheta deſumptum illud teſtimonium, Marcus nominauit potius Iſaiam, quàm Malachiam: quia nomen Iſaiæ in prophetia erat magis celebre & illuſtre.

Ad teſt. ex Marco. Ad illud ex Marco cap. 1. Ecce ego mitto angelũ meum &c. Iuniorum ſolutio.

M. Cano reſponſio.

Ad illud ex Marco cap. 2. de Abiathar, poſito pro Achimelech, varij varia reſpondent, Theophylactus in eodem loco, & Euthymius Marci cap. 6. Inſu- C per Gloſſa, & Beda lib. 1. in Marcum, aſſerunt illum ſacerdotẽ duplex habuiſſe nomen, & appellatum Achimelech, vt conſtat ex lib. 1. regum cap. 21. & nominatum Abiathar, vt colligitur ex Marco. Alijs placet, diuerſos fuiſſe ſacerdotes, ſed diuerſis dignitatibus inſignitos, quaſi Abiathar fuerit Pontifex, Achimelech verò ſummus Sacerdos. Sed ijs relictis, dicatur cum Ambroſio ſuper illum locum Marci, Achimelech habuiſſe filium nomine Abiathar, qui etiã erat ſacerdos, & cum Achimelech occiſſus eſt a Saule eius filius fugit ad Dauid, vt conſtat ex lib. 1. Regum, cap. 22. Qui poſtea regnante Dauid ſummum obtinuit ſacerdotium. Igitur quod aſſerit Marcus eſt, quod cum Dauid fugiens ingreſſus eſt domum Dei, & accepit panes, erat ibi Abiathar Sacerdos, qui poſtea, mortuo patre fuit ſummus Sacerdos.

De illo Marci 2. ſub Abiathar ſacerdote, ſententia B. Bedæ & aliorum.

D. Ambroſij expoſitio.

D Illud, quod vltimo loco ex Marco obijciebant, vt illum memoria lapſum fuiſſe conuincerent, de hora, in qua Chriſtus dominus Crucifixus fuit, ingentem habet difficultatem. Adhuc enim de hora illa inter antiquos Patres videtur eſſe diſſonantia. Quoniam Clemens Papa, lib. 5. Conſtitution. Apoſtolic. cap. 16. & lib. 8. cap. 40. Ignatius Epiſtola 2. quæ eſt ad Trallianos, Cyprianus tractatu de Oratione dominica in fine, Iſidorus, lib. 1. de offic. eccleſiaſtic. cap. 19. & alij docent, Dominum Ieſum hora ſexta crucifixum fuiſſe. Beatus tamen Teleſphorus Papa in Epiſtola decretali, quæ habetur Tom. 1. Concil. & referuntur eius verba de Conſecratione, diſt. 1. cap. Nocte, Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi. 13. Victor Antyochenus in cap. 15. Marci, & Theophylactus ibidem, & in cap. 19. Ioannis, credunt hora tertia Chriſtum crucifixum. Iuxta quam ſenten-

Ad illud Marci cap. 15. de Chriſto crucifixo hora tertia.

ſententiam in hymno, qui canitur diebus dominicis ad tertiam in officio Ambroſiano in Eccleſia Mediolanenſi legimus: A

Iam ſurgit hora tertia,
qua Chriſtus aſcendit Crucem.

Pro quorum omnium conciliatione multa a multis dicuntur, inter quæ ferè nihil inuenietur, quod omnino difficultatem euacuare videatur, & quietum intellectum reddat. D. Hieronymus ſuper Pſalm. 77. & Theophylactus in cap. 19. Ioannis, quos ſequuti ſunt Caietanus in cap. 15. Marci, & M. Cano lib. 2. de locis cap. 18. ad quintum, & Calixtus Placentinus enarratione 45. in Euangelia Quadrageſim. ſuper illud Ioann. 19. *Erat autem Paraſceue Paſchæ &c.* aſſerunt fuiſſe in vſu apud Græcos numeros per quaſdam ſignare notas, ſed cum nota numeri ſenarij ſcilicet S. eſſet valde ſimilis note numeri ternarij nempe. r. factum eſt, vt ſimilitudine notæ decepti librarij poſuerint notam ſignificantem horā tertiam, vbi reponere debuiſſent notam denotantē horam ſextam, vel econtra. Qua de cauſa auctores ferè omnes citati mendoſum eſſe credunt codicem Marci, & legendum eſſe cap. 15. hora ſexta, non tertia. Dixi ferè omnes auctores citatos ita ſentire, quia Theophylactus (quidquid M. Cano dicat vbi ſupra) vitioſam eſſe lectionem Ioan. 19. cap. arbitratur, debereque ibi nos legere, hora tertia, non ſexta. Sed hæc ſolutio a multis non probatur. Tum quia diuinatoria videtur. Tum quia non apparet tanta ſimilitudo inter illos duos caractheres numerales, quantam præfati auctores præſupponunt. B

Sent. D. Hieronymi & aliorum.

Sent. D. Auguſt.

D. autem Auguſtinus, lib. 3. de conſenſu Euangeliſt. cap. 13. & alibi ſæpè conatur componere ea Euangeliſtarum loca, dicens, Chriſtum hora tertia crucifixum acclamatione & ſententia Iudæorum, ſicut narrat Marcus: hora autem ſexta re ipſa, & exteriori facto, ſicut refert Ioannes. Nam, & accuſator, & Iudex & carnifex recte dicuntur occidiſſe reum; ille quidem accuſando, ac probando crimen. Iudex damnando & ſententiam proferendo: Carnifex vero illam exequendo. Sed & hæc ſolutio, ſalua reuerentia, quæ ſemper ſanctis Patribus Eccleſiæ luminibus debetur, non videtur multum conformis textui Euangeliſtæ Marci in illo cap. 15. Nam ſi recte verba ponderentur & omnia circumſpiciantur tam præcedentia, quàm ſubſequentia inuenientur, vt apparet, ea fuiſſe a Marco dicta non de acclamatione Iudæorum, neque de Iudicis damnatione ſed potius de facta a militibus exequtione. Verba Marci ſunt hęc: *Et perducunt illum in Golgota locum, quod eſt interpretatum Caluariæ locus, & dabant ei bibere myrrathū vinum: & non accepit. Et crucifigentes eum, diuiſerunt veſtimenta eius, mittentes ſortem ſuper eis quis quid tolleret. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum, & erat titulus cauſæ eius inſcriptus, Rex Iudæorum. & cum eo crucifigunt duos latrones &c.* Vbi continuatiſſima ſerie Marcus videtur loqui de militibus. C D

Sent. Cumirani.

Seraphinus Cumiranus 2. parte ſuarum conciliationum, contrapoſitione 211. conciliat his verbis. Quippe hęc crucifixio fuit forſan initiata hora tertia, ſed non adhuc perfecta, niſi hora ſexta, dum crux in titulum fuit erecta, pendente in ea ſaluatore.

Sent. Catherini.

Ambroſius Catherinus, lib. 1. contra Caietani dogmata, poſtquam Caietanum, qui ſententiam Hieronymi, vt diximus, eſt amplexus, acriter reprehendit, ſubdit.

A ſubditi Poterat & hic locus Marci aliter exponi,ita vt quod dicitur: *Et erat hora tertia.* referatur ad ſuperiora;videlicet quando traditus eſt, vt crucifigeretur: & quod ſequitur, *Et crucifixerunt eum*, intelligendum eſt, poſtmodum hora ſex ta. Quam expoſitionem ſumpſit Catherinus ex Euthymio in cap. 15. Marci.

Ea tamen ſolutio ſemper mihi magis placuit, quam late & eruditè ſa tis nobis expoſuit eximiæ eruditionis,& magnæ pietatis vir Marcellus Francolinus,lib.de tempore horarum canonicarum a cap.21.vſq; ad 23. Pro qua.Supponamus primò, quod quemadmodum nox in quattuor diuidebatur vigilias apud Iudęos, vt adnotauit D. Hieronymus in Epiſt.139.ad Ciprianum, & lib. 2. in Matth. c. 14. & Auguſt. de verbis Domini, ſerm. 14. & colligitur ex illo Threnorum cap. 2. *Conſurge lauda in nocte in principio vigiliarum*. & ex illo Matth.14.*Quarta autem vi-* B *gilia noctis venit Ieſus ad eos ambulans ſupra mare*, & Denique ex illo Lucæ cap. 2. *Et paſtores erant in regione eadem, vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſupra gregem ſuum:* ita etiam & dies, quantum ad res ſacras, in quattuor diuidebatur partes, ita docentibus Durando in ſuo Rationali Diuinorũ Offic. lib.5.cap.1.Clithoueo,lib. 2. elucidationum eccleſiaſticarum,cap.de horis canonicis,ſub nu. 8. Siluestro, Verbo, Ieiunium.§.4. Calixto Placentino enarratione 46.ſuper Euãgelia Quadrageſim. in ſerm. de reſurrectione Domini, Ioanne Fero, lib. de paſſione Domini, parte 3. ſuper illud: *Erat autem paraſceue Peſchæ hora quaſi ſexta*, Ioanne Gagneio in cap. 19. Ioannis. Quo tamen modo iſta quattor partium diuiſio acciperetur, & in quo diei tempore vnaquæque illarum pars inciperet, ac deſineret, non omnes conueniunt, aliter enim explicant Durandus, & Clithoueus locis C cit. aliter Ianſenius ſuper cap.143. ſuæ concordantiæ Euang.aliter Ioannes Suarez in cap. 15. Marci, breuiter tamen aſſerendum eſt, apud Iudæos diuidi ſolitũ fuiſſe diem notiſſima & famoſa partitione in quattuor partes æquales, quorum quælibet denominabatur ab hora diei, in qua finiebatur. Prima enim pars diei incipiebat a principio diei vſque ad horam tertiam: & ſic appellabatur tertia. Deinde ſequebatur ſecunda diei pars, & finiebatur in hora ſexta: & nuncupabatur ſexta. Conſequenter autem tertia pars diei protendebatur vſque ad horam nonam: & vocabatur nona. Tandem reliquum diei finiebatur in duodecima hora, quæ dicebatur duodecima, & communiori vocabulo Veſpera.

Pro vera conciliatione, ſupponendum 1.

Sicut nox in 4. diuidebatur vigilias apud Iudæos, ita dies in 4. partes.

Neque hæc diei partitio in has quattuor partes cõmentitia iudicari debet, quid quid dicat M. Cano, lib. 2. de locis cap. 18. ad quintum,& alij Neoterici, ea cũ D colligatur ex ſacris litteris, & ex antiquis Patribus. Dicitur enim, lib. 2. Eſdræ, cap. 9. *Quod filij Iſrael quatter in die, & quatter in nocte confitebantur, & adorabant Dominum Deum ſuum.* Quæ verba ad noſtrum propoſitum interpreratur B. Beda ibidem, & Durandus in ſuo rationali loco cit. Prætetea Danielis cap.6. dicitur: *Quod orabat Daniel, & flectebat genua tribus temporibus in die*. Quem locum de hora tertia, ſexta, & nona, (vtpote de partibus diei inquibus Scriptura orationes fieri olim ſolitas magis conſueuit docere) interpretantur Cyprianus tractatu de oratione Dominica in fine, Hieronymus ſuper Danielem, Tertulianus in, lib. de Ieiunio. Suntque plura Sanctorum Patrum teſtimonia, pro ea diei partione, Chryſoſtomi, homil. 59. ad Populum Anthiochenum, & homil. 14. ſuper 1. ad Thimot.Iſidori lib.1. de Eccleſiaſtic. Offic. c.19. & aliorũ,quorũ verba

ba ommitto. Immo & hoc ipſum videtur oſtendere verba Cenſorini lib. de die A natal. cap. 10. Alij, inquit, dié quadripartito, ſed & nocté ſimiliter diuidebant.

Solutio obiectionis factę à M. Cano. Neque inſuper his obſtat, quod in Parabola Matth. 20. poſita de patrefamilias, conducente operarios in vineam ſuam, dicatur illum exijſſe ſummo mane, hora tertia, ſexta, nona, & vndecima, vbi mentio fit horæ vndecimæ, & non duodecimæ. Nam ad propoſitum illius parabolæ neceſſe eo loco fuerat, parum temporis inquo aliqui conduci poſſent ad laborandum ante duodecimam horam ſignificantem tempus retributionis, ſignare. Quare ſignatum eſt tempus illud breue vnius horæ. Sed neque in vniuerſum aſſerimus in ſacris litteris tantum mentionem fieri illarum quattuor partium diei; hoc enim parum noſtro inſtituto referr, ſolum dicimus in Scriptura iuxta S. Patrum expoſitionem, eam diei partitionem, quam expoſuimus, notam olim & celebrem fuiſſe. B

Supponendum ſecundò. Supponamus prætérea ſecundò horam, diem vel annum in ceptum quamuis non finitum quandoque in ſupputationibus numerari, & quandoque non, vt adnotauit D. Couaruuias, lib. 1. Variarum Reſolut. cap. 12. eſtque regula D. Auguſtini lib. 3. de doctrina Chriſtian. cap. 35. in quinta regula Ticonij de temporibus, tempora, inquit, in S. ſcripturis per Synedochem quandoque accipiunt; totum ſcilicet pro parte numerando: quandoque ſolum integra recenſentur. Cuius vnum, aut alterum exemplum proferam. Dicuntur enim aliquando decé menſes prægnantis ſicut ſapientię cap. 7. *Decem menſium*, inquit ſapiens *tempore coagulatus ſum in ſanguine*, & inter profanos auctores Virgil. Ecloga 4. dixit.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Et Ouidius lib. 4. faſtorum. C

Annus erat, decimum cum luna receperat orbem,
Hic numerus magno tunc in honore fuit:
Seu quia tot digiti, per quos numerare ſolemus.
Seu quia bis quino femina menſe parit.

Qui omnes ideò decé numerant méſes, quia noué integri tranſacti fuerint, ad iunguntq; decimũ quia inceperit, vt docuit Auguſt. lib. 1. q. Euang. c. 7. Recenſentur prętérea aliquãdo noué tantũ méſes prægnantis, quia illi tantũ ſint integri & finiti, iuxta illud 2. Machab. 7. *Fili mi*, inquit mater ad filiũ, *miſerere mei, quæ te in vtero noué menſibus portaui.* Deinde Matthęus cap. 17. narrat, Chriſtũ dominũ poſt ſex dies a prolatis illis verbis: *Sunt aliqui de hic ſtantibus, qui nõ guſtabunt mortem*, transfiguratũ in monte, ideſt, poſt ſex dies integros & finitos. Quod idé cõtigiſ- D ſe narrat Lucas cap. 9. poſt dies ferè octo, quaſi inceperint ea, quæ ad transfigurationé ordinabantur in parte diei ſeptimi, & in parte diei octaui completa fuerit ipſa transfiguratio: & ideo addita fuit a Luca particula illa, fere, quæ innuit tempus expoſitũ, neq; rigoroſe recenſeri, neq; integrũ & finitũ debere intelligi.

Conciliatio Euangeliſt. Ad rem ergo, vt veniamus, Euangeliſtarũ, & eorũ Patrũ, quos ſupra retulimus dicta ſic cõponenda arbitramur, quaſi intelligamus, Marcũ métioné illius horæ ſolũ facere, quæ iam finita, & tranſacta fuerat. Tunc ergo ſolũ hora tertia finita cum fuerit, ideo dixiſſe Chriſtum hora tertia crucifixum, exiſtimandũ eſt. Quia tamen tunc ſexta hora incepta fuerat, & nondũ finita, ideo a Ioãn. id hora quaſi ſexta eueniſſe veriſſimè accepimus, denotãte per illã dictioné, *Quaſi ſexta*, ſe horã

nondum

A nondum tranſactam, ſed ſolum incœptam ſignare. Hanc Euangeliſtarum cõciliationem credo voluiſſe ſignificare Magiſtrum hyſtoriæ ſcholaſticæ, dum de hyſtoria euangelic. agit cap. 166. Durandum in rationali diuinorum offic. lib. 4. cap. 1. Albertum magnum, Lyranum, & Dyoniſium Carthuſian. in citata loca Euangeliſt. Siluestrũ in Roſa aurea tractatu 2. in ſermone diei Paraſceues, art. 3. Ioannem Ferum, lib. de paſſione Domini in 3. part. ſuper illud: *Erat autem Paraſceue Paſcha hora quaſi ſexta.* Dum omnes illi aſſerunt, Chriſtum in meditullio illarũ duarũ horarũ crucifixũ, ſed quia mediũ denominari ſolet ab vtroq; extremorũ, ideò ab vno Euangeliſta relatũ credũt hora tertia, & ab alio, hora quaſi ſexta.

Tertio loco obijciebatur teſtimonium ex Luca Actorum cap. 7. in quo ſeptuagintaquinque animæ fuiſſe Ægyptum ingreſſæ narrantur. Cui breuiter, reli *Ad obiecta ex D. Luca*
B cta Seraphini Cumirani allegorica numerorum conciliatione, part. 1. ſuarum conciliationum, contra poſitione 23. dico cum Eucherio, Albino, & Auguſtino, quæſt. 152. in Geneſim, tantum ſeptuaginta animas ingreſſas fuiſſe in Ægyptum, Lucam verò per prolepſym, & anticipationem dixiſſe, fuiſſe ingreſſas ſeptuaginta quinque, quia poſtea ex Ephraim, & Manaſſe quinq; nepotes Ioſepho nati fuerint. *Quomodo dixerit Lucas 75. animas in greſſus Ægiptum.* Continent tamen difficultatem verba Stephani, quæ ſequntur, cum doceant ſepulturam Patriarcharum fuiſſe in Sichem. Quod, vt melius intelligatur, oportet animaduertere, Abrahã, vt habetur Gen. cap. 23. emiſſe in Ebron partem agri, ibique ſpeluncam dupplicem ab Ephrom filio Seor Heth. atque in ea ſepultos fuiſſe Abraham Iſaac, & eorum vxores, vt conſtat ex Gen. cap. 25. 35. & 49. *De Patriarcharum ſepultura.* Inſuper ipſum Iacob, vt dicitur Gen. cap. 33. emiſſe, agrum in Sichem
C prope vrbem Salem a filijs Hemor patris Sichem, emiſſeque illum centum agnis, & in eodem ſepultum fuiſſe Ioſeph, vt cõſtat Ioſue cap. vltimo. Igitur cum iſta duo ex ſacris litteris manifeſte colligantur, dubitationẽ ingerit illud, quod narrat Stephanus: Patriarcharum corpora ſepulta fuiſſe in Sichem cum humata fuiſſe narrentur a Moyſe in Ebron. Cui reſpondendum eſt, corpora illa prius ſepulta in Ebrom, translata fuiſſe in Sichem, vt pulchrè narrat Hieronymus in Epitaphio Paulæ, & in Epiſtola ad Pamachium, de optimo genere interpretandi. Sed ingentem dubitationem, habet id, quod Stephanus adiecit, nam poſtquam dixit: *Et tranſlati ſunt in Sichem*, addidit, *Et poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abrahã pretio argẽti à filijs Hemor filij Sichẽ*, quæ verba quadruplicẽ contradictionẽ videntur inuoluere. In primis quia ager ille in Sichem non eſt emptus ab Abra-
D ham, ſed a Iacob. Item quia ille ager in Sichem non eſt emptus pretio argenti, ſed centum agnis. Rurſum tertiò quia ager, quem emit Abraham non eſt emptus a filijs Hemor, ſed ab Ephron filio Seor Hethçi. Vltimò; quia Hemor non fuit filius Sichem, ſed potius pater. Non ergo conſona ſunt, quæ narrat Lucas ijs, quæ a Moyſe locis citatis dicuntur. *Quatuor contradictiones quæ videntur inueniri i Oratione Stephani relata a Luca. actor. 7.*

In quorum omnium dulucidatione ommittendam merito putaui Eugubini & Lyppomani ſententiam, quæ librariorum incuria docet poſitum Abraham, pro Iacob, quaſi aliqua fuiſſet ſimilitudo inter illa duo nomina, quæ eis errandi occaſionẽ præbere potuiſſet. *Solutio Lyppomani et Eugubini.* Relinquẽdũ rurſum venerabilis Bedæ, Rabbani, & M. Cano placitũ exiſtimaui, ponẽtiũ, quamuis nõ in Luca referẽte, in Stephano orante, ſubitoq; multa narrãte, memoriæ lapſũ, diuerſarumq; ac antiquarũ rerũ *B. Bedæ, Rabbani et M. Cano compoſitio*

confuſionem, quod in viro ſpiritu Dei pleno, & intuente Ieſum a dextris ſe- A dentem, ſine moleſtia non audio. Illud ſolum tamquam minus improbabile afferam, & quod magis videtur eorum locorũ diſſonantiam auferre nomen Abraham, quemadmodum & alia Hebraica nomina, eſſe indeclinabile, atque ita in illis verbis Lucæ, *Et poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Abraham*, ibi nomen Abraham non eſſe in nominatiuo, ſed in genitiuo, ac ſi diceret Lucas: *Tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulcro quod emit Abrahami*. Conſuetum eſt inſuper in ſacris litteris, cum nomen patris, vel aui in genitiuo ſimpliciter ponitur, ſub intelligere dictionem hanc, filius, aut nepos, vel aliam ſimilem, pro diuerſitate rei, de qua ſermo inſtituitur. Sic lib. 3. Regum cap. 12. Populus fremens dicebat contra Roboam: *Quæ nobis pars in Dauid, aut quæ hereditas cum filio Iſai*, quaſi diceret: Quæ nobis pars in nepote Dauid, Roboan. Et lib. 2. Paralipom, cap. 25. B *Ioas rex aſportauit*, inquit ſcriptura, *in Samariam aurum, & argentum, quod repererat in domo Dei apud Obededom*, ideſt, apud nepotem Obededom. Eſt enim certum mul tò antea fuiſſe mortuum Obededom. Et demum, Lucæ cap. 3. in genealogia Chriſti dicitur: *Quod Ieſus putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathath, qui fuit Leui &c.* & concludit genealogiæ ſeriem dicendo: *Qui fuit Adam, qui fuit Dei*, in quibus verbis, vt docet Hieronymus, ſcribens contra Iouinianum, & lib. de ortu virginis, relatiuum, *Qui*, cum dicitur, Ieſus putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, non refert Ioſephum, ſed Ieſum, quaſi dixerit, qui Ieſus non habens verum patrem ſecundum quod homo, ſed putatiuum Ioſeph, fuit Heli; ſcilicet nepos, & Heli qui fuit filius Mathat, &c. Tandem cum dicitur, qui fuit Adam, qui fuit Dei, intelligitur creatura, vt ſit ſenſus, qui Adam fuit creatura Dei. Nõ C diſſimiliter in eodem Luca, cum dicitur: *Et poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Abrahami*, ſub intelligitur nepos; nempe Iacob. Et huic expoſitioni conueniunt ſequentia verba, quæ docent illum agrum emptum fuiſſe a filijs Emor.

Notanda expoſitio Auctoris.

Duplex obiectio aduerſus dicta.

Sed ſtante hac explicatione, manet adhuc duplex dubitatio. Prima quia Iacob emit illum agrum a filijs Emor patris Sichem, quomodo ergo Lucas ait Abrahami nepotem accepiſſe illum a filijs Emor filij Sichem? Secunda, quoniã Iacob emit agrum centum agnis, vt quid ergo Stephanus docet illum emptum pretio argenti? Primæ difficultati omnes quotquot de ea agunt, reſpondent, in exemplaribus Græcis ita legi: *Et poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Abraham a filijs Emor* τοῦ συχὲμ. Ita quod ponitur Sichem in genitiuo, & non additur filius, neque pater, ſed debet ſubaudiri, ſicut ſupra conſuetum eſſe demonſtrauimus in Scri D ptura, nomen Patris, aut filij, vel aliquid ſimile debere ſubintelligi. Vnde Hieronymus in Epiſt. ad Pamachium legit, in agro non quem emit Abraham a filijs Emor filij Sichem, ſed potius, quem emit Abraham a filijs Emor Patris Sichem. Immo noſtræ vulgatæ interpretem hoc ipſum ſignificare voluiſſe exiſtimo, quoniam in illis verbis: *Emit a filijs Emor filij Sichem*, illa dictio, *filij*, non iungitur dictioni Emor præcedenti, ſed iungenda eſt cum dictione Sichem ſubſequenti; ita vt adhuc in noſtra latina editione debeat ſubaudiri, & ſub intelligi illa dictio, patris, ſicut & in exemplari Græco. Et tunc eſt ſenſus; *Poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Abrahami nepos a filijs Emor Patris etiam filij Sichem*. Namque interpres Latinus voluit adhuc obſeruare phraſim Græcam, ita vt ſubaudiretur

Primæ ſolutio

nomen

A nomen Patris, in latino codice, ſicut in Græco.

De ſecunda verò dubitatione, cum ageret Auguſtinus Eugubinus, Geneſ. cap. 33. docuit, agnum non ſolum ſignificare ſpeciem illam animalis, ſed etiam genus quoddam nummiſmatis: quare idem eſſe credidit, dicere ſepulcrum illud emptum eſſe pretio argenti, ac dicere centum agnis: atque ita in codice Hebręo ponitur, Geneſ. cap. 33. pro dictione *agnis* dictio קְשִׂיטָה Keſitah, quæ dictio (docente Sancte Pagnino in ſuo Theſauro, dictione קשׂט Kaſat) nummũ ſignificat. Vnde loco dicto S. Pagninus refert. dictum Dauid Hakibah dicentis: *Cum irem in Arabiam, audiui, quòd nummum vocabant*. קְשִׂיטָה Keſitah. Geneſ. cap. 33. & emit agrum centum קְשִׂיטָה, ideſt, nummis. Vnde Iob. cap. 42. vbi ſunt illa verba: *Dederunt ei vnuſquiſque ouem vnam* pro, קְשִׂיטָה אֶחָת Keſitah axat, aliqui

De ſecunda quid ſenſerit Eugubinus.

B transferunt nummum vnum, Alij agnam vnam. Videatur Hieronymus ibidé.

Quod ſi obijcias, verba Ioſue, cap. vltimo vbi ſic legimus: *Oſſa quoque Ioſeph, quæ tulerant filij Iſrael de AEgipto ſepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob a filijs Emor patris Sichem centum nouellis ouibus*, vbi illis verbis: *Centum nouellis ouibus*, explicantur agni, quibus emptus fuit ager, Geneſ. cap. 33. Huic obiectioni non eſt difficilè reſpondere, quoniam in textu Hebraico in eo loco Ioſue eſt eadem dictio קְשִׂיטָה, pro qua tranſtulit interpres noſter, nouellis ouibus, cum deberet transferre agnis, vel nummis. Sed quoniam hæc non ſunt admodũ conſona vulgatæ editioni, forſam melius diceretur, in agro illo emendo id accidiſſe, quod ſępius preſertim inter eccleſiaſticos accidit, qui dum de annuis reditibus colligẽdis paciſcuntur, in illud, vt implurimum veniunt atque ſtant, vt eis ſtatutis, &

Obiectio contra Eugubinũ & ſolutio ſua doctrinæ conſentanea.

Notanda auctoris explicatio.

C certis temporibus, tritici, ordæi, & aliorum ſeminum tot menſuræ tribuantur, ouium, agnorum, & aliorum animalium tantus vel tantus numerus conſignetur, & in ædium, quæ Eccleſiarum ſunt, locatione. Hic rurſum vſus præſertim in noſtra Hiſpania inualuit, vt ſingulis annis tanta peccuniæ ſumma, & tot auium numeri pro penſione donentur: quæ omnia ferè ſemper argenti pretio cõmuni vſu taxato ſoluuntur, in quibus verè vtrumque dici poteſt, & vulgò conceditur, & quòd pro penſione triticum, aues, oues, & ſimilia conſignantur, & quod tot millia nummũ in pretium tribuuntur. Igitur Iacob agrum illum centum agnis, ſeu nouellis ouibus emiſſe liber Geneſ. & liber Ioſuè, teſtantur, in pretium tamen agnorum ſeu ouium, argentum tributũ eſſe Stefanus affirmat, cum ait, *Et poſiti ſunt in ſepulcro, quod emit Abraham pretio argenti*, quaſi dixerit, e-

Quia vt Hiſpanicè dicit, Dinero es lo que dinero vale.

D mit illud ſepulcrum centum agnis ſeu nouellis ouibus, in quarum pretium argentum tributum eſt.

A capite præterea 5. Ioannis Euangeliſtæ reſcindere conabantur Hæretici hyſtoriam illam de languido ad probaticam piſcinam iacente, ridiculis quidẽ rationibus: quia piſcinam, neque in veteri teſtamento, neque in Ioſepho legerint. Quaſi miracula Chriſti ideo nobis credenda non ſint, quia in veteri teſtamento, & in Ioſepho nihil de piſcina dicatur. Infirmum namque & debile argumentum ſapientibus ſemper viſſum eſt, ſi ex eo, quod non apertè affirmetur aliquid, vel narretur, illud non eſſe, vel non contigiſſe intuleris. Neque quidem mirandum eſt, quod in veteri teſtamento nulla de piſcina illa facta fuerit mentio; quia tunc temporis ille locus non erat adeo celebris, vt particulari mentione dignus

Ad teſtimon. Ioannis. De Probatica piſcina vbi fuerit, & aquo ſanandi virtutem habuerit.

ne dignus videretur. Poſtea tamen vltimis Hebræorum temporibus, miraculi A nobilitate illuſtratus, illis quinque porticibus ad commoditatem languentiũ, aquæ motum expectantiũ, eſt exornatus. Quo auté in loco fuerit iſta probatica, piſcina, & qua virtute languidos ſanaret, non eſt omnino certum. Petrus Commeſtor Hyſtoriæ ſcholaſticæ auctor, cap. 81. hiſtoriæ Euangelicæ, eam piſcinam iuxta vrbis Hieruſalem mœnia ponit, famaque compertum affirmat, (quamuis ei apocryphum videatur) eam ſanandi virtutem aquæ inditam præſentia ligni, exquo poſtea Chriſti crux fabricata eſt, quod cum in fundo præfatæ piſcinæ iaceret, angelus reuerentia illius commotus, de cælo deſcendebat, ac mouebat aquam. Iuſſerat autem Salomon, lignum illud multis retro ſæculis in illam demergi monitis Reginæ Sabbà, quæ præuiderat illius occaſione Hieroſolymitanæ vrbi vltimam cladem imminire. His addit auctor ille, qui ſcripſit hiſtoriã B Dominicæ crucis (referente Sixto Senenſi, lib. 7. Bibliothecæ hæreſi 5.) lignum illud plantatum ab Adam & Seth, præcipiente Deo, ac reuelante quòd in ipſo per Chriſtum peccatum abolendum eſſet. Alij in atrio templi illam fuiſſe narrant. Sed probabilius multò videtur quod ex Ariſthea, lib. de 70. interpretibus ad Philocratem colligitur, piſcinam ad infimas radices montis, qui templum ſuſtinebat extructam fuiſſe, vt in eam conflueret omnis illa aquarum multitudo, quæ quottidie effundebatur, tam ex mari æneo, in quo lauabantur ſacerdotes, quam ex decem Conchis, in quibus holocauſta lauabantur. Nam, vt de Conchis taceam, mare æneum ſolum tria millia metretas capiebat, vt conſtat ex lib. 2. Paralipom. cap. 4. Oportebat ergo grandia quædam fuiſſe aquarum receptacula, in quibus tot vaſſa exonerarentur. Idque per occultas fiebat C fiſtulas, & deinde ex ea piſcina per alios meatus extra vrbem effundebantur. Vnde a ſacris hoſtijs, & victimis, quæ prius quàm in Ara cremarentur, in ea aqua a ſacerdotibus lauabantur, talem virtutem illi aquæ inſitam tradduntaliqui: ſed de hoc nihil certi eſt.

Sãcti Patres non habuerũt eam S. Sancti aſſiſtentiam, vt memoria labi non potuiſſent.

Vt igitur finem huic quæſtioni imponamus, de citationibus, in quibus Sancti Patres decepti videntur, illud ſolum aſſero, in eis nequaquam id mirũ eſſe, cũ non ſit res tanti momenti; cumque neque habuerint in ſuis ſcriptis illam peculiarem ſancti Spiritus aſſiſtentiam, quam Catholica Eccleſia in ſuis ſcriptoribus canonicis, Apoſtolis, & Euangeliſtis ponit D & confitetur.

POSTE-

POSTERIOR CONTROVERSIA SCHOLASTICA
Pro Eodem Proponente & in ordine quarta.

Num Verbum Diuinum non ſolum in Incarnatione verum corpus aſſumpſerit, ſed in Reſurrectione cum omnibus partibus, quæ in humanis corporibus eſſe ſolent, vnierit?

SVMMA EIVS.

Multa de ſanguine Chriſti hic inuenies ſcitu digna, quæ difficilè breui ſumma explicari tibi poſſunt. Videbis in primis, Chriſti ſanguinem non informari eius anima rationali, ſicut neque aliorum hominum ſanguis forma totius, ſed ſua peculiari, licet incompleta, forma actuatur. Nihilominus omnem ſanguinem in incarnatione Verbo D. hypoſtaticè vnitum accipies. Rurſum illum, quem eſſe de integritate corporis humani Philoſopi & Medici docent, numquam a Verbo Diuino ſeparatum: ſed poſt
B *reſurrectionē eidem corpori reunitum, intelliges. Eum deniq; quem nutrimentalem, ſeu ſuperfluum appellant, ab inſtanti effuſſionis a Diuinitate ſeiunctū, eiuſque aliquot particulas multis in locis ſeruatas venerari audies.*

ON defuere olim qui caput Eccleſiæ Chriſtum, & in multis fratribus primogenitum vero corpore, veraque carne caruiſſe affirmauerint. De Cerdone & Marcione ita aſſerentibus refert. D. Auguſtinus, lib. aduerſus hæreſes, hæres. 21. & 22. Athanaſius, lib. de aduentu Chriſti. & Epiphanius lib. 1. hæres. 41. & 42. quos hæreticos ſequuti ſunt poſtea Manichæus & Priſcillianus, vt conſtat ex Leone Papa Epiſtola 93. quæ eſt ad Turibium Auſturienſem Epiſcopum, cap. 4. At Valenti-

Hæreticorum errores circa veritatem corporis Christi.

C nus, licet exiſtimauerit, verum in Chriſto fuiſſe corpus, illud tamen cæleſte, & non terrenum, neque ex B. Virgine aſſumptum, ſed ſecum è cælo allatum, & per eam tamquam per fiſtulam, aut aquæ ductum tranſactum affirmabat, vt referunt Auguſtinus, hæreſi. 11. & Epiphanius, eodē lib. 1. hæres. 31. quē eumdem errorē tribuit Appolinario idem Epiphanius lib. 3. hæreſi. 77. Denique Euthycheti tribuit Flauianus in Epiſtola ad Leonem Papam, quæ habetur poſt octauam Epiſtolam eiuſdem Leonis. Contra quos omnes Chriſtianæ religionis hoſtes in noſtra quæſtione ſupponimus, verum & terrenum corpus ex puriſſimis Beatæ Virginis ſanguinibus formatum fuiſſe in Chriſto, quemadmodum definitum nobis reliquerunt Patres Concilij Epheſini, & Concilij Toletani 1. in cōfeſſione fidei, & Concilij Hiſpalens. 2. cap. 13. & Concilij Carthagines. 4. cap. 1.

Supponitur Christum & verum & terrenum corpus habuiſſe.

D & Concilij Bracharenſ. 1. cap. 4. & demum in quinta & ſexta Synodis generalibus & innumeris alijs locis. Qui multa contra prædictos hæreticos deſiderauerit, legat Ireneum lib. 3. contra Hereſes. cap. 32. Tertulianum lib. de vera carne Chriſti, Athanaſium, & Ambroſium in ſimili libro, Agapitum Papam in Epiſtola ad Antemium Epiſcopum Conſtantinop. Auguſtinum lib. 1. de trinitate a cap. 7. vſque ad cap. 11. Chryſoſtomum, homil. 7. in Matth. Leonem Papam in Epiſt. 23. ad Clerum & plebem Conſtantinop. & in Epiſt. 83. ad Monachos Palleſtinos, & Epiſt. 97. ad Leonem Auguſtum, Cyrilum in Epiſt. ad Ioannem Anthiochenum Epiſcopum, quæ recepta eſt in Concilio Chalcedonenſi, actione 1. Demum Gregorium Nazianzenum in epiſtola ad Cælidonium.

Cum igitur verum & humanum corpus in Chriſto confiteamur, vt vim difficultatis

Pro vi difficultatis intel-

ligenda, aperitur multiplicitas partiũ. cultatis intelligamus, à Philoſophis, & Medicis illud accipiamus oportet, in A vero ſcilicet & humano corpore multiplicitatem partium reperiri. Sunt enim in eo partes ſolidæ, quas aliqui ſimilares, aut diſſimilares appellant: alij officiales, & non excrementoſas vocant; ſicut ſunt, caro, oſſa, nerui. Aliæ rurſum ſunt partes, quæ excrementoſæ dicũtur, & quas natura tamquam ſuperfluas expellit, vt ſaliua, lacrymæ, ſudor. Aliæ denique ſunt mediæ inter vtraſque; quales ſunt humores, ſpiritus vitales, & ſanguis. His igitur exiſtentibus partibus in omni vero & humano corpore, cum nos interrogamus; An tale verum & humanum corpus Verbum Diuinum aſſumpſerit, vt ab eo nihil ad veritatem humani corporis defuerit? nihil aliud intendimus, quàm ſciſcitari; An in corpore a Verbo aſſumpto vnitæ fuerint omnes illæ partium ſpecies, quas in quocunq; alio corpore Philoſophi, & Medici reperiri affirmant? B

De quibus partibus procedat difficultas poſita. Sed quamuis de ijs omnibus partibus in propoſita quæſtione interrogetur, non eſt æqualis & par de omnibus difficultas. Quamobrem, vt ad ea, quæ in Theologorum diſputationem venire ſolent, properemus. Hoc nobis certum ſtatuamus, nullam eſſe dubitationem de illis primis partibus, quæ ſimilares, vel diſſimilares dicuntur. Aſſumpſit enim Verbum Diuinum carnem, oſſa, & alias ſimiles partes, eas ſibi in vnitatem eiuſdem hypoſtaſis vniendo, quas non ſolum in incarnatione aſſumpſit, ſed & poſtea in reſurrectione reuniuit. *Palpate*, dixit Lucæ cap. vltimo, *& videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*. Rurſum, de ſecundis partibus & excrementoſis, vt de ſudore, ſaliua, capillis, vnguibus & ſimilibus, ſicut eſt certum apud bene ſentientes, non eſſe veras partes humani corporis, ſed potius habere ſubſiſtentiam diſtinctam a corpore, & ſe habere reſpectu illius, ſicut ſe habet veſtis reſpectu veſtiti, & tamquã ornamentum in comparatione ad rem ornatam; (non enim viuunt capilli & vngues, ſed augentur & creſcunt per naturæ expulſionem.) ita ſimiliter debemus aſſerere, has partes non eſſe a Verbo aſſumptas, ita vt ei hypoſtaticè vnirentur: quamuis in eo aliæ fuerint ad ornatum; vt capilli & vngues: aliæ ex neceſſitate naturæ aſſumptæ; vt. ſaliua, ſudor & reliqua excrementa. Quarum omnium partium illæ, quæ ad ornatum in Chriſto fuere, adhuc poſt reſurrectionem manſerunt: ſi enim reliqui homines cum capillis, & vnguibus, non ſuperfluis, ſed eis, quibus forma & humanus decor perficitur, ſunt reſurrecturi, vt colligit Auguſtinus, lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 19. ex illo Lucæ cap. 21. *Capillus de capite veſtro non peribit*: multo melius Chriſtus Dominus, ad cuius menſurã D creduntur omnes electi ſurrecturi, cum earum partium ornatu credendus eſt ſurrexiſſe. Illæ verò, quę ex neceſſitate corporis corruptibilis in eo collocabantur, ceſſante iam corruptione & corporis grauedine, acceptiſque glorificati corporis dotibus, in eo amplius non apparuere, quia vt ait Paulus, 1. ad Cor. cap. 15. *Seminatur corpus animale, ſurget ſpirituale: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria.* E

Capilli & vngues non viuunt.

Præcipua dubitatio de ſanguine, & humoribus eſt. Reſtat igitur de alijs partibus: ſcilicet de ſanguine, humoribus, ac ſpiritibus vitalibus dubitatio & difficultas; An hę ſint verę partes humani corporis a Chriſto aſſumptę in vnitatem eiuſdem perſonę, ita vt ſi in incarnatione fuerint hypoſtaticè vnitę, ſint in reſurrectione reunitę? Obiter tamen in Theologorum excuſationem dicere non deſinam, quod etiamſi ab eis de ſolo ſanguine moueatur

Theologorum excuſatio.

A ueatur difficultas; An fuerit hypoſtatice in Chriſto vnitus, & in reſurrectione reaſſumptus? non quidem ſine ratione de ſolo ſanguine, & non de alijs humoribus inquirunt. Quoniam, vt docent Medici, alij humores vel ſunt ſeparati a ſanguine, ſicut bilis eſt ī Felle, atra bilis ī Liene, pituita in Ventriculo: & ſic ſumpti habent rationem excrementorum, & de illis iudicandum eſt, ſicut de partibus excrementoſis, vel ſunt ſanguine commixti in venis ac arterijs: & tunc idē iudicium eſt de illis, ac de ipſo ſanguine. Quamobrem in diſputationem ſolum ſanguinem addūcunt; quia intellecta vi difficultatis, idem de alijs humoribus ac de ſanguine iudicium eſt. Et quoniam in hac re breuius Scholaſtici, quàm rei difficultas expoſtulat, procedunt, breuitatem in hac re fugere curabimus, iſthæc omnia in hac controuerſia explicantes.

B Primum; An ſanguis ſit de integritate & veritate corporis humani? Secundū; An totum, quod fuit de veritate humanæ naturæ in Chriſto, ſemper manſerit Verbo Diuino vnitum, & in reſurrectione reaſſumptum? Tertium; An ſanguis in paſſione effuſus fuerit in triduo vnitus, vel ſeparatus? Vltimum; An aliquis ſanguis poſt Chriſti reſurrectionem extra Chriſti corpus de illo, qui effuſus fuerat, remanſerit? Sine quorum omnium explicatione propoſitæ Controuerſiæ intelligentiā conſtare non poſſe credo. *Quatuor explicanda pro exacta huius Controuerſiæ intelligentia.*

IGITVR Primum quod explicare ſuſcipimus illud eſt; An ſanguis ſit de integritate corporis humani, ita vt ſit pars, quę informatur anima rationali, & nō alia forma diſtincta? De quo S. Thom. lib. 4. ſent. diſt. 44. quæſt. 1. art. 2. quæſtiunc. 2. & Quodlib. 5. quæſt. 3. art. 2. quem ſequuntur Conrradus commentaC rijs in Primā ſecundæ S. Thom. quæſt. 54. art. 1. & Caietanus 3. Part. quæſt. 51 art. 2. & queſt. 54. art. 2. tenet, ſanguinem ita eſſe de ueritate humanę naturę, vt forma totius informetur, ſicut reliquę aliæ partes ſolidę. Precipua argumenta; quibus iſta ſententia comprobatur, ſunt hæc. *Primū quod explicatur. An ſanguis in formetur anima rationali. Auctores tenentes partē affirmatiuam*

Primum, quia ſi ſanguis non eſſet pars corporis humani, non eſſet neceſſarium quod aſſumeretur in reſurrectione corporis aſſumpti à Verbo: hoc autem dici non poteſt. Ergo neque primum. Sequela probatur: Quoniam ſanguis in corpore noſtro requiritur, vel ad alimenti neceſſitatem, vel ad generandum ſpiritus vitales, ſiue calorem: ad nullum verò horū requiritur in corpore, quod reſurgit; cum illud in reſurrectione impaſibilitatem recipiat. Immo neque ad decorem neceſſarius eſt, ſicut requiruntur capilli, & vngues: quoniam ita forD moſum poſſet reſurgere corpus ſine ſanguine, ſicut cum illo, nullaque appareret ſine eo deformitas. Potius ergo dicendum eſt, ſanguinem reperiri in corpore, quod reſurgit, veluti reperitur vna ex alijs partibus, quæ forma rationali informantur, ſi poni debet in corpore, quod reſurgit, ſicut re uera ponendum eſt. Poteſt hoc ipſum confirmari quoniam illud, quod pertinet ad materiam alicuius rei, ad eius integritatem & veritatem pertinet: Sed corpus cum ſanguine eſt pars materiæ in homine; cum non poſſit natura humana conſtitui per materiam, & formam ſine ſanguine, quod adeò verum eſt, vt dixerint aliqui Philoſophi, ſanguinem in animali eſſe illius animam, referente Ariſt. lib. 1. de anima, tex. 33. Erit ergo ſanguis de hominis integritate, tamquam pars anima rationali informata. *Probatur primo rationibus Theologicis.*

Secũda ratio Theologica.

Secundum, ideò Chriſtus Dominus perfectus eſt homo ex ſubſtantia matris in A ſæculo natus, vt ait Athanaſius in Symbolo; quoniam ex puriſſimis B. Virginis ſanguinibus Spiritus ſancti virtute & obumbratione eſt conceptus. Ergo ſanguis Chriſti de Chriſti ſubſtantia eſt. Probatur conſequentia, quia ſicut ſanguis B. Virginis erat de ſubſtantia B. Virginis, ita ſanguis Chriſti debebat eſſe de ſubſtantia Chriſti. Igitur ſanguis abſolute de ſubſtantia eſt, & veritate hominis cuiuſcunque. 1

Tertio arguitur arg. Medicorum.

Tertium argumentum eſt Medicorum ſic obijcientium: Quia ſanguis ſola imaginatione mouetur, quia videmus in timentibus ſanguinem fugere ad cor; in gaudentibus per totum corpus diffundi; & in erubeſcentibus ad faciem properare: iſte verò ſanguinis motus fieri non poteſt ſola grauitate ſeu leuitate, neque mediante virtute attractiua, & expulſiua, per expulſionem aut attractionem B quomodo mouentur excrementa: Ergo neceſſarium eſt dicere, quod ſola apprehenſione animalis fiant illi motus. Quamobrem mouetur ſanguis ſicut mouentur reliquæ aliæ partes animalis: quæ quia perficiuntur forma totius, & animales ſunt, ſola apprehenſione & apetitu mouentur: Vnde conſequenter ſequitur ſanguinem eſſe inſtrumentum quoddam ſuppoſito coniunctum ſicut eſt oculus aut manus, quæ apræhenſione, & apetitu mouentur.

Quartum Argumentũ Peripateticor.

Denique huius ſententiæ videtur eſſe Ariſtoteles multis in locis, preſertim lib. 2. de partibus animalium cap. 2. vbi ait quod partium animalis aliæ ſunt molles & humidæ, vt ſanguis & caro, aliæ ſiccæ & duræ; vt oſſa & nerui, & lib. 3. de hiſtoria animalium cap. 19. expreſe docet: quod quandiu vita ſeruatur, naturaliter ſanguis eius animatur & feruet. Igitur ex Peripateticorum etiam ſen C tentia tenendum eſt, ſanguinem forma totius informari & eſſe partem, ſicut ſunt caro, & nerui, & aliæ ſimiles.

Auctores qui tenent oppoſitam ſententiã

Contrariam ſententiam; ſanguinem ſcilicet nullo modo informari forma rationali, tenuit Durandus in 4. lib. ſent. diſt. 44. quęſt. 2. ad ſecundum, Ricardus, art. 2. quęſt. 1. Capreolus in 2. diſt. 15. quæſt. 1. ad tertium, contra quartã concluſionem. & in 4. diſt. 10. quæſt. 1. & citat Herueum in eandem ſententiã. Grabiel ſupar Canonem, lectione 21. Dominicus Sotus in præcitato 4. lib. ſent. diſt. 10. quæſt. 1. art. 2. & inter Medicos Galenus, lib. 2. de alimentis, & lib. 1. de natura humana, & lib. de ſanguinis miſſione: quem ſequitur Vega Medicus Cõplutenſis, lib. 1. de arte medendi, cap. 2. Pro qua ſententia ſunt optima argumẽta; quorum vim, vt intelligamus, oportet prius ſupponere nonulla. D

Hypoteſes pro præcipua & philoſophi ca ratione.

Quorum primum eſt, ſecundum veriorem Ariſt. & S. Thom. innumeris locis ſententiam, in compoſito tantũ eſſe vnicam formã ſubſtantialem. Secundũ ad nutritionẽ requiri tranſmutationẽ formæ ſubſtantialis alimenti. quoniã allimentum in principio eſt diſſimile, & in fine ſimile, vt docuit Ariſt. lib. 1. de generatione, tex. 39. & lib. 2. de anima tex. 45. Demum ſupponendum eſt, ſanguinẽ conuerti per nutritionẽ in carnẽ, oſſa, & reliquas animalis partes, docente Ariſt. lib. de ſomno, & vigilia c. 3. & lib. 2. de generat. animaliũ cap. 4. & lib. 2. de partibus animaliũ cap. 3. & ratio manifeſtè conuincit. Nam cibus non immediatè cõuertitur in partes carnis, ſed poſt maſticationẽ, & coctionẽ in ſanguinẽ cõuertit; ex ſanguineq; per oẽs corporis partes effuſſo maiores partes ſubſtãtię generãtur:

non

A non enim poſſet cibus immediatè ad omnes partes corporis venire, ideoque oportet in ſanguinem conuerti. Quibus, vt notiſſimis ijs, qui in Philoſophia verſati ſunt, & præcipuè qui cap. 5. lib. 1. de Generatione nouerunt, ſuppoſitis, ſic arguitur pro eius ſententiæ confirmatione.

Primò: Conuerſio ſanguinis in carnem, & oſſa eſt nutritio: ſed nutritio eſt transmutatio ſubſtantialis. Ergo conuerſio ſanguinis in carnem eſt mutatio ſubſtantialis. Sed in tranſmutatione ſubſtantiali eſt corruptio termini a quo, & generatio termini, ad quem. Ergo in illa conuerſione ſanguis, qui erat terminus, a quo, corrumpitur. Igitur in materia ſanguinis non manet forma ſubſtãtialis, quæ antea erat: ſed potius illa corrupta introducitur anima ſolum rationalis. Ergo antea non erat in illa materia anima rationalis, ſed ſolum forma ſanguinis, vel aliàs daretur mutatio, quæ eſt generatio partialis ſine præuia corruptione alicuius formæ ſubſtantialis. Quare Ariſtot. lib. 2. de partibus animaliũ cap. 3. expreſe docet, ſanguinem non eſſe animatum, neque actu partem, ſed eſſe in venis (ſicut aqua eſt in vaſſe) diſcontinuum, ſine dolore, ſciſſis venis effluentem, vel cum è naribus profluit, quæ ſigna ſunt diſcontinuitatis, aliàs, ſi continuus eſſet, dolor tunc eſſet cauſatus ex ſolutione continui. Nullo ergo modo ſanguis debet concedi animatus anima rationali. *Prima Ratio phyſica pro ea ſententia.* B

Secundò: Quia eadem ratione ſequeretur, quod alij humores, vt flecma, colera, & melancholia eſſent actu partes animalis & informarẽtur forma totius. Conſequens autem eſt falſum: quia omnes quattuor humores non augentur per intus ſuſceptionem, ſed potius per iuxta poſitionem, atque ita ſe habent, ſicut C lac, & ſemen, & ſicut excrementa. *Secũda Ratio*

Tertiò: Quia quando profluit ſanguis è corpore humano, vel ille, qui effuſſus eſt, eiuſdem eſt ſpeciei cum ſanguine remanente in corpore, vel non, ſi illi duo ſanguines ſunt eiuſdem ſpeciei: ergo eadem forma ſubſtantiali informantur. Ergo non anima rationali; quia ille, qui effuſſus eſt non habet animam rationalem. Si verò aſſeras diſtingui ſpecie. Ergo quando ſanguis profluit, ibi eſt corruptio & generatio; Quæ ergo eſt forma quæ de nouo generatur? & quæ gaudet omninò eiſdem diſpoſitionibus; ſcilicet humiditate, & caliditate, ſicut quando erat in corpore humano? *Tertia Ratio.*

Quartò: In ſacramento altaris ex vi illorum verborum: *Hoc eſt corpus, &c.* tantum eſt corpus Chriſti & eius partes: at anima & Diuinitas & accidentia ſunt ſo D lum ex concomitantia. Ergo vel ſanguis eſt in hoſtia ex vi verborum, vel ſi nõ eſt ex vi verborum, non eſt pars corporis humani: dici autem non poteſt quòd ſanguis ſit in hoſtia ex vi verborum, vt docent Theologi cum S. Thom. 3. Part. quæſt. 76. art. 2. Ergo neque dici poteſt, quod ſit pars corporis. Et confirmatur ex S. Thom. 3. Part. quæſt. 31. art. 5. ad primum, vbi expreſe concedit, quod in B. Virgine ſanguis non erat actu pars, neque informata anima rationali. Et quod hoc fuerit inſtitutum S. Thomæ eo in loco ex adiunctis euidenter conſtat; quoniam dixit, Chriſtum non debuiſſe formari ex carne, aut ex oſſibus B. Virginis; quia tunc eſſet corruptio aliqua in virgine; deberet enim corrumpi caro, vt in eius materia introduceretur Chriſti anima: formatus tamen eſt ex ſanguine, qui non eſt actu pars, ſed in potentia. Vnde licet ſanguis corruptus *Quarta Ratio Theologica.* *Mutat ſententiã S. Thom. quã tenuerat in 4. ſent.*

fuerit in B. Virgine, vt formaretur Chriſtus: non tamen aliqua pars virginis eſt A corrupta. Idem videtur docere prima part. quæſt. vltima art. 2.

Ambæ iſtæ ſententiæ viſæ ſunt probabiles Siluestro in Roſa aurea in Euangelia, tractatu 3. quæſt. 30. & Dominico à Dominicis in ſuo libello de Sanguine Chriſti, art. 1. quibus in locis reſpondent ambo argumentis vtriuſque ſententiæ. Pro explicatione tamen & determinatione veritatis.

Pro explicatione Animaduerſio prima. Animaduerto primò cum Paludano, in 4. lib. ſent. diſt. 44. quæſt. 1. aliquid poſſe pertinere ad integritatem naturæ multipliciter, Primò quia ſit de eius eſſentia & natura. ſicut materia & forma pertinent ad integritatem cōpoſiti phyſici, Secundò, quia licet non ſit de eſſentia, res tamen integra non poteſt eſſe ſine illa; vt manus & caput, Tertiò eſt aliquid de integritate naturæ tamquam quid neceſſarium, & ſine quo non poteſt eſſe natura ſecundùm curſum natu- B ralem, ſicut ſunt humores & ſpiritus vitales. Denique tamquàm ornamentum naturæ, vt vngues, capilli, &c. Ex quibus omnibus perfecta & integra natura conſtat ſecundùm ſuauem diſpoſitionem.

Secunda Animaduerſio. Animaduerto ſecundò, partem poſſe dupliciter ſummi. Vno modo in actu, quando actu in formatur forma totius, ſicut pedes, brachia, & manus, dicuntur partes hominis actu. Alio modo in potentia: & quoniā hæc eſt duplex, & proxima & remota, inde eſt aliquid poſſe eſſe partem reſpectu alicuius, & in potentia proxima, & in potētia remota. Dicitur pars in potentia proxima, quando vnica ſolū tranſmutatione poteſt fieri actu pars, ſicut vltimum alimentū, in quocunq; animali vnica ſolū tranſmutatione fit actu pars & iñformatur forma totius aliti, per ſolam ſcilicet nutritionē. Dicitur verò pars in potentia remota, quādo mul- C tæ ſunt neceſſariæ tranſmutationes, vt informetur forma totius, quemadmodum cibus in ſtomaco. Et, vt nil ommittamus, poteſt etiam aliquid dici pars per ſimilitudinem, quia habet aliquas partis conditiones, vt vngues & capilli appellantur aliquando partes animalis, quia videntur ita ipſi compoſito iungi, ſicut & reliquæ aliæ partes. His ita poſitis.

Aſſertio prima in qua omnes conueniūt. Aſſeritur primò, ſanguinem pertinere ad integritatem naturæ humanæ, tāquam quid neceſſarium, & ſine quo non poteſt exiſtere homo. In hoc omnes conueniunt: quia ſiue informetur forma totius, ſiue non, cum ex ſanguine oriantur ſpiritus vitales, qui neceſſarij ſunt ad integritatem hominis, neceſſario etiam erit ſanguis requiſitus ad eiuſdem integritatem.

Aſſertio ſecūda in qua amplectimur ſecundam ſentētiam. Aſſeritur ſecundò, ſanguinem, humores, & ſpiritus vitales non eſſe informa- D tos forma totius, neque actu eſſe partes, ſolum enim ſanguis dicitur pars in potentia propinqua tanquam vltimū alimentum. Et in hoc aſſentior auctoribus ſecundæ ſententiæ: quia ſine dubio rationes ſupra allatæ ſententia mihi maximè efficaces videntur, præſertim illa prima ratio de nutritione, & ſine dubio hæc fuit ſententia S. Thom. 3. Part. quæſt. 31. art. 5. ad primum. Quia quidquid in 4. lib. ſent. & in Quodlib. dixerit, ſtandum eſt ijs, quæ in Partibus ſuæ ſummæ aſſeruit. Neque ſolutio Caietani 3. Part. quæſt. 5. art. 2. quam adhibet illi

Fingit Caietanus ſanguinē eſſe actu partem, et in pot. reſpectu diuerſorum. rationi de nutritione, alicuius momenti eſt. Quoniam in nutritione oportet aliquam formam corrumpi, & deſinere eſſe, in ea materia, in qua forma totius aliti eſt introducta, ſeu introducenda. Ergo forma ſanguinis debet corrumpi

in muta-

A in mutatione. Nullo ergo modo ſanguis erat actu pars ante nutritionem, vt Caietanus fingit. Vnde eo in loco repugnantia & oppoſita docet Caietanus.

Si autem quis nobis objciat medicos ponentes duplicem ſanguinem, alium nutrimentalem, alium vitalem, inter quos licet nutrimentalis non informetur forma totius, vitalis tamen neceſſariò debet informari ab illa, cum nihil viuat, niſi per animam. Huic obiectioni reſpondetur, verum eſſe debere poni duplicem illum ſanguinem, vt collegit Auerroys Collectaneorum 2. tamen non appellatur ſanguis vitalis, ex eo quia in ſe viuat & animetur: ſed potius, quia eſt veluti vehiculum caloris naturalis, ſiue ſpirituum à corde vſque ad alia membra, quibus poſſint reliqua membra operationes vitales exercere: ſicut & ipſi ſpiritus vitales dicuntur, non quidem quia in ſe formaliter habeant vitam, ſed quia B ad operationes vitales ſunt inſtrumenta: ſic ſanguis dicitur vitalis, quia vehit ſpiritus ad alia membra, & quia ex eodem ſanguine à corde procedente vitales generantur ſpiritus. *Obiectio contra dicta.* *Solutio eius.*

Quare ad argumenta primæ ſententiæ, & ad primum reſpondetur, quod, vt conſtat ex prima aſſertione, ſanguis ad veritatem naturæ pertinet, non tamquam pars, quæ informatur eadem anima, ſed tamquam id, ſine quo ſecundum curſum naturæ homo viuere non poteſt. Quare ſanguis in corpore paſſibili, non ſolum hoc habet officium, vt ſit alimentum, & concitet ſpiritus vitales: verum etiam habet hoc, quod eſt oſtendere naturæ humanæ veritatem, efficereq; vt exterius corpus illud formoſum, & pulchrum, debitoque colore appareat. Et licet in corporibus glorioſè reſurgentibus non maneat ſanguis, tamquam C alimentum, quia corpus animale (vt inquit Paulus 1. ad Cor. 15.) reſurget ſpiritale: remanebit tamen, vt oſtendat naturæ humanæ veritatem, præſtetque reliqua alia, quæ dicta ſunt. Et contrarium ſine temeritate, & errore dici non poteſt. Hæc omnia explicat accuratè S. Thom. in 4. diſt. 44. quæſt. 1. art. 2. q. 3. ad tertium, comparatione elementorum. Sicut enim elementa in vniuerſo duo habent officia. Vnum eſt, vt ex ipſis mixta generentur. Alterum, quod ipſum vniuerſum perficiant: eodem modo prorſus quattuor humores habent illud. Primò, quod ex ipſis nutriantur, & foueantur mixta animata. Secundò, quod perficiant illa. Et ſicut tranſacta hac mortali vita manebunt elementa, vt vniuerſum tantum perficiant, non, vt ex ipſis generentur mixta, ſimiliter in vniuerſo illo paruo mundo homine ſcilicet reſurgente, remanebunt humores, nō D quidem vt nutriant, ſed vt verum eſſe corpus humanum oſtendant; illudque ſpecioſum, & pulchrum reddant. *Soluuntur Argumenta primæ ſententiæ.* *Ad primum.* *Vt quid maneat ſanguis in corpore reſurgente.*

Ad confirmationem reſpondetur, hominis materiam includere ſanguinem, tamquam id, ſine quo homo non poſſet viuere ſecundùm curſum naturæ, ſicut propria materia hominis includit quantitatem & reliqua accidentia, quæ diſponunt tamquam neceſſaria ad informationem animæ & organizationem corporis: non verò tamquam veram partem materiæ, quæ debeat eadem anima informari. *Solutio confirmation.*

Ad ſecundum dicitur, Verbum Diuinum aſſumpſiſſe carnem, ſubſtantiam viuentem & humanitatem ex virgine, non quidem quia præfuerat caro & humanitas actu in virgine, & eam vnierit ſibi: ſed quia ex ſanguine, qui erat potentia *Ad ſecundū.*

tentia

tentia proxima caro & ſubſtantia humana, formatum eſt corpus Chriſti. Vnde hæc loquutio: Chriſtus ex ſubſtantia matris eſt natus,& aliæ ſimiles verificantur non ex parte termini a quo, ita vt ille ſit actu caro & humana ſubſtantia: ſed ex parte termini ad quem,qui actu includit carnem & humanitatem. Nec diuerſo modo,ſed eodem omnino loquimur in generatione aliorum hominum. Explicuit hoc accurate S. Thom. 3. Part. quæſt. 31. art. 5. ad primum. A

Ad tertium Medicorum. Tertio argumento, quo mouentur aliqui ex Medicis,vt teneant oppoſitum, ſic ſatisfacio. Namque, vt conſtat ex ſuo Galeno a 2. lib. de placitis Hypocratis & Platonis vſque ad 6. tria ſunt principalia membra in corpore humano, Cerebrum, Hepar, & Cor, in quibus ponuntur tres iſtæ facultates, rationalis, concupiſcibilis, & iraſcibilis, facultas rationalis ſeu facultas animalis reſidet in Cerebro,concupiſcibilis in Hepate, iraſcibilis in Corde. Sed quia gaudium, aut timor, ſeu erubeſcentia ad iraſcibilem pertinent, ideo conſiderandum eſt in huiuſmodi affectibus animal neceſſariò præſupponere obiecti apprehenſionem, ita vt nullus illorum affectuum ſine præuia obiecti apprehenſione eſſe poſſit. Vnde ſi apprehenderetur obiectum ſub ratione conuenientis,iraſcibilis facultas exiſtens in corde, ita mouet cor, vt ſi poſſet per ſe ipſum apprehendere obiectū, moueretur ad illius conſequutionem:quia tamen per ſe non poteſt, mouet ſanguinem & ſpiritus vitales, qui dilatantur & diſcurrunt per vniuerſum corpus veluti apprehendere volentes & proficiſcentes in boni cōſequutionem. Tantumq; & ita magnum poteſt eſſe gaudium, vt cor ſine aliquo ſanguine, & vitali ſpiritu relinquatur, moriaturque de repente homo. Sicut contigiſſe Dionyſio tyranno, & alijs, refert Plinius, lib. 7. cap. 53. & de Diagora Rhodio refert Cicero, lib. 1. Tuſcula Quæſt & de Pollycrata & Philipyde narrat Gellius, lib. 3. Noctium Attic. cap. 15. Et è contrario, ſi præceſſerit apprehenſio mali obiecti, ea virtus, quæ in corde reſidet, ita mouet cor,vt ipſum (ſi fieri poſſet) impelleret in abſcondita latibula, vt ibi ſe detegeret, quia tamen id fieri eſt impoſſibile, ſanguinem & ſpiritus vitales ad ſe trahit,qui tali modo ad interna latibula impellunt, vt in eis veluti in cauernis abditi deliteſcant, ita vt aliquando ſuffocauerint calorem naturalem. De Pub. Rutilio ita refert Plinius, lib. 7. cap. 36. Et de Dyodoro Crono Dialecticę profeſſore narrat Diogenes Laertius,lib. 2. de vitis Philoſophorum, quòd cum ipſe cuiuſdam luſorię quæſtionis ſolutionem corā Ptholomęo Sotere,à Stilpone interrogatus ignoraret,pudore & mærore confectus ſpiritum afflauit. Ex quibus omnibus colligitur, ſanguinem & ſpiritus vitales (etiam ſi ipſi non ſint animati)poſſe moueri a corde per iraſcibilem facultatem tamquam quædam inſtrumenta non continua, ſed diſcontinua: virtutem tamen recipientia à corde. Quamobrem neque ſola grauitate, aut leuitate, neq; tamquam excrementa per expulſionem & partium attractionem mouentur,ſed per facultatem iraſcibilem in corde exiſtentem. De quibus latius apud Medicos. quamuis dicta neceſſaria fuerint hoc loco.

Dionyſius Tyrannus & alij ſubitò mortui ex ingenti gaudio. B C

Rutilius & Dyodorus mærore ſubitò cōfecti. D

De teſtimonijs Ariſtotel. Ad Ariſtotel. teſtimonia hoc ſolum dicam, nihil certi apud ipſum eſſe; modò enim hoc, modò illud, in fauorem huius, vel illius ſententiæ reperies. Quare quidquid in hac re ſenſerit, ad alia properandum eſt.

Secūda Pars Controuerſiæ. ILLVD ſecundo loco explicandū propoſuimus; Num totū quod fuit de integritate

A tegritate humanæ naturæ in Chriſto, ab eo fuerit aſſumptum, & in reſurrectione reunitum? De qua dubitatione Durandus in 4. diſt. 10. quæſt. 2. & Abulenſis Paradoxa 2. cap. 43. arbitrantur, ſanguinem non eſſe de ijs, quæ verbum ſibi hypoſtaticè vniuit. Quia cum ſanguis non ſit pars actualis humanæ naturę, inquocunque ſit, diſtinctum ſuppoſitum ab eo habet: atque ita in Chriſto non eſt Verbo in vnitatem eiuſdem hypoſtaſis coniunctus. Probatur hæc ſententia.

An ſanguis fuerit a verbo aſſumptus.

Sententia Durandi et Abulenſis tenētiū ſanguinem nō hypoſtatice vniri.

Primò, quoniam in nobis ſanguis non eſt hypoſtaticè vnitus, neque eſt vera pars informata forma totius. Ergo neque in Chriſto. Non enim aliter loquendum eſt in nobis & Chriſto de ſanguine. Confirmatur hæc ratio, quia ſi ſanguis eſſet hypoſtaticè vnitus. Ergo & reliqui humores, & tunc Verbum non ſolum vnicam naturam aſſumpſiſſet, ſed potius quinque; nempe naturas, quattuor humorum, & humanitatem.

Rationes pro ſententia Durandi Prima.

B Secundò Damaſcenus, lib. 3. fidei Orthodoxæ, cap. 6. aſſerit, Verbum aſſumpſiſſe quidquid in natura plantatum eſt, & eodem, lib. cap. 31. docet numquā illud reliquiſſe, quod ſemel aſſumpſit: ſed ſanguis non eſt pars plantata in homine, immo neque in reſurrectione ſecundum ſe totam reunita, vt poſtea videbitur. Ergo ſanguis non eſt hypoſtaticè vnitus.

Secunda ratio.

Denique, quælibet pars carnis eſt de integritate hominis, & tamen non quęlibet pars carnis, quæ aſſumpta eſt, in reſurrectione eſt reunita. Ergo non quid quid prius fuit aſſumptum eſt in reſurrectione reunitum. Minor conſtat de pręputio Chriſti in reſurrectione nequaquam reaſſumptum; cum in terris, adhuc venerandum obſeruetur.

Vltima ratio.

C Sed Pro huius elucidatione illud primo notandum exiſtimo cōſentientibus Philoſophis & Medicis, duplicē eſſe ſanguinem. Alterū venalem. Alterum arterialem. Quorum differentiam vt clarius intelligamus, illud præmittere oportet, alimentum coqui in ventriculo virtute caloris naturalis, illudque per venas, quas vocant Meſaraycas, peruenire atque trahi vſque ad hepar, & in illud ingredi per venam, quam appellant Porte (quia per illam tamquam per portam ingreditur alimentum in hepar) ibique ex eo alimento generari ſanguinem. Generato igitur ſanguine in hepate cum ab ipſo procedat & oriatur quædam vena, quæ dicitur Caua, habens duplicēm ramum verſus ſuperiorem hominis partē. Alterum, qui eſt via, per quam ſanguis in omnes venas diffunditur. Alterum verò qui ducit ad dexteram partem cordis, in quo ſanguis magis decoquitur, &

Pro ſolutione Not. 1. duplicem eſſe ſanguinem venalem & arteriał.

D purior redditur, atque ex eo ſpiritus generantur vitales, exitque ramus iſte per ſiniſtram cordis partem, & ſanguis ibi contentus per arterias deriuatur, in omniaque membra medijs arterijs diffunditur ſimul cum ſpiritibus vitalibus, quibus vtriſque membra ipſa ad vitales operationes prompta redduntur. Inde omnibus ſatis clare conſtare poterit, duplicem eſſe ſanguinem; alterum, qui eſt in venis & vocatur venalis ſeu nutrimentalis; alterum, qui eſt in arterijs, & dicitur arterialis.

Secundò noto, duos illos ſanguines eiuſdem eſſe ſpeciei, quamuis diſtinguātur penes magis & minus. Nam ſanguis arterialis magis decoctus eſt, & in corde purior redditus: venalis verò nec ita purus, nec ita decoctus. Nihilominus ex vtroque nutritio fit. Et ſicut vnus non eſt pars animalis informata eadem forma qua

Nota Secundò.

ma qua totum, ita neque alter. Et tandem ſicut venalis pertinet ad integritatẽ animalis, quia neceſſe eſt venas in corpore humano ad eius integritatem non eſſe vacuas, ita etiam arterialis pertinet ad integritatem eiuſdem animalis, ne arteriæ ſint vacuæ; ſolum enim diſtinguntur vena & arteria, quòd vena procedens ab hepate vnicam pelliculam habet, at arteria procedens a corde duabus pelliculis continetur, vtraque tamen eſt velut vas ſanguinis. A

Diſtinctio inter venam & arteriam.

Nota vltimò.

Noto denique cum S. Thom. Quodlibet 5. quæſt. 3. art. 5. in nobis, duplicem eſſe ſanguinem, (ſiue venalem, ſiue arterialem.) Vnum, qui quamuis nos non eſſemus alendi, nec augendi, adhuc eſſet in nobis ad naturæ integritatem neceſſarius: & hic eſt, qui manet in corpore glorificato. Alium, qui in nobis reperitur ratione ſtatus, in quo ſumus; ſumus enim in ſtatu corruptionis, & corpus noſtrum paſſibile cum continuò actione caloris naturalis deperdat aliquid, eget reſtauratione, quæ fit mediante nutritione ex ſanguine: & iſte ſanguis, qui, vt in plurimum, deſeruit reſtaurationi & nutritioni, ſuperfluus appellatur reſpectu illius, qui eſt de integritate naturæ, & neceſſarius. Itaque licet ſit neceſſarius ille ſanguis ad nutritionem, & reſtaurationem ac ratione ſtatus, abſolute tamen dicitur ſuperfluus, ſi comparetur ad ſanguinem abſolute neceſſarium & de integritate naturæ. Vnde, ſicut Philoſophi de accretione, & nutritione loquentes ponunt in indiuiduo duplicem materiam; aliam radicalem, quæ numquam deperditur: aliam, quæ fluit, ac refluit: ſic debent ponere duplicem ſanguinem; alium abſolutè neceſſarium, & ad integritatẽ hominis pertinentem; & alium abſolutè ſuperfluum, qui fluit ac refluit. His explicatis. B

Sãguis ſuperfluus & neceſſarius, & quare ita dicatur.

Conueniunt omnes Theologi.

Conueniunt primò omnes Theologi in hoc, quòd quidquid fuit de veritate humanæ naturæ in Christo tamquam pars eius forma totius informata fuit vnirum Verbo hypoſtaticè, neque de hoc aliquis dubitat. Quoniã etiamſi Durandus, & Abulenſis locis citatis, de ſanguine teneant non fuiſſe vnitũ, eò fuit quia ſimiliter exiſtimabant nõ fuiſſe veram & actualem partem. Et ratio pro veritate poſita eſt euidens. Quoniam omnes illæ partes, quæ ſunt actu hominis partes, forma rationali informantur, debentque propria hominis ſubſiſtentia & perſonalitate terminiri. Igitur in Christo cum præuenerit Verbum Diuinũ ſubſiſtentiam creatam, & propriam atque increatãm humanitati ſimul & omnibus partibus illa anima beata informatis communicauerit, communicauit etiam & ſubſiſtere, ac ſibi hypoſtaticè vniuit. C

Conueniunt plures Theologorum.

Conueniunt ſecundò plures Theologorum in hoc, quòd non omnia, quæ Christus aſſumpſit, (communi vocabulo aſſumptionis vtendo) hypoſtaticè ſibi vniuit. Quoniam etiamſi Christus Dominus habuerit capillos & vngues: tamẽ cum illi non ſint veræ partes, ſed ornamenta, illos ad decorem & ornatum aſſumpſit: non tamen hypoſtaticè vniuit. D

Prima Propoſitio Contra Durand.

Sit tamen prima propoſitio contra Durandum & Abulenſem; Etiam ſi ſub iudice ſit: Vtrum ſanguis ſit pars actualis, nec nè? vt viſum eſt in præcedentibus, hoc tamen debet eſſe certum, aliquem ſanguinem fuiſſe Verbo hypoſtaticè vnitum. Tenent ita S. Thom. Quodlibet. 5. quæſt. 3. art. 5. Siluester in Roſa aurea, tract. 3. quæſt. 30. Capreolus in 4. diſt. 11. quæſt. vnica, art. 3. ad quintum, Caietanus 3. Part. quæſt. 5. art. 2. & demum D. Sotò in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 2. & fere

A & fere omnes quotquot de hac re diſputant, quamuis contrarium aſſerere putauerit Capreolus eſſe erroneum, & hæreticum, ſed ad minus temerarium eſt. Et probatur propoſitio, in primis teſtimonijs ſacrarum litterarum. Dicitur enim Ioann. cap. 6. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus*, & in. 1. Canonica cap. 6. ait Petrus: *Non corruptibilibus, auro vel argento redempti eſtis &c. ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati*: & ne plura multiplicemus, Apocalypſ. cap. 1. loquens de Chriſto inquit Ioannes: *Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo*. Ex quibus colligitur, Scripturam tribuere ſanguini Chriſti redemptionem a peccatis, quòd aliunde prouenire non poſſe videtur, quam ex eius vnione hypoſtatica. Quod ſi quis pro Durando dicat, omnem ſanguinem Chriſti ſaluriter fuiſſe effuſum, quia a perſona diuina effundebatur per modum meriti ad B hominum ſalutem, atque ita ex parte perſonæ effundentis, ſanguinē operatum fuiſſe redemptionē: & quotieſcunq; ſanguini redemptio tribuitur, ratione perſonæ effundētis, intelligendū, non quia hypoſtatè vniatur. Hec ſolutio nulla eſt, quia Scriptura aliquid pecculiare tribuit ſanguini, quod non lacrymis, & tamen ex parte effundentis par eſt ratio de vtriſque. Vult ergo inſinuare, ſanguinem vnitum hypoſtaticè, & non lacrymas.

Probatur ex S. Scriptura.

Eamdem propoſitionem tenuit Beda ſuper illud Actorum cap. 20. *Quam* (ſermo erat de eccleſia) *adquiſiuit ſanguine ſuo*. vbi ait: Non dubitauit Paulus, ſanguinem Dei dicere propter vnionem ad perſonam in duabus naturis. Eamdem probauerunt Clemens Sextus, & Pius Secundus contra quemdam Monachum Durandi ſententiam Barchinone prædicantem, de quo dicetur latè infra.

C Denique hac ratione conuincitur, quia ſanguis Chriſti in calice Latria adoratur propter vnionem ad Verbum, eſt enim ille ſanguis hypoſtaticè Diuinitati vnitus, vt concedunt Doctores in materia de Euchariſtia. Igitur aliquis Chriſti ſanguis fuit Verbo hypoſtaticè vnitus.

Probatur ratione.

Secunda Propoſitio. Vniuerſus ſanguis, qui erat in Chriſto, dū corruptibili corpore in terris viſus eſt & cum hominibus conuerſatus eſt, fuit vnitus Verbo hypoſtaticè. Quæ propoſitio intelligenda eſt, tam de ſanguine ad integritatem naturæ neceſſario, quàm de ſuperfluo. Probatur, quia non eſt maior ratio de vna ſanguinis parte, quàm de alia, cum ſint eiuſdem ſpeciei, & dixerit Damaſcenus Verbum aſſumpſiſſe quidquid in natura plantauerat. Ergo ſi aliquis ſanguis plantatus eſt in natura humana Chriſti, omnis ille aſſumptus eſt: plantauit D autem ſanguinem ad integritatem, & ſuperfluum eiuſdem ſpeciei cum priori. Igitur aſſumpſit vtrumque. Quamobrem ad Argumenta pro Durando, & Abulenſi facta reſpondetur.

Secunda Propoſitio.

Ad primū quidē nonnulli dicunt, quod quamuis ſanguis & reliqui humores non informētur forma totius, cum non ſint eius partes actuales, exiſtunt tamen per exiſtentiā totius, & nō alia ſibi propria; nā licet homo non ſit vnū cōtinuitate, eſt tamen vnum ſubſiſtentia, ſicut domus. Hæc ſolutio mihi non placet, quia ſi ſanguis haberet propriam formam in puro homine, deberet etiam habere propriū exiſtere: atque ita non ſubſiſteret ſubſiſtētia totius, quemadmodū neq; capilli, & vngues. Ideo melius dicitur, in nobis ſanguinem exiſtere per propriā ſubſiſtentiā ſanguinis: at in Chriſto per ſubſiſtentiam Verbi. Et ratio eius

Ad argumenta Durandi Reſpondetur. Ad primum.

differentiæ eſt: nam ſubſiſtentia Verbi infinitè perfecta cum ſit, contineatque A eminenter exiſtentiam ſecundùm totam ſuam latitudinem, & in ratione exiſtendi, ſufficientiſſima eſt ad ſubſtentandum omnia, quæ ſunt de integritate & neceſſitate naturæ humanæ (immo & infinitas alias naturas) atque ita terminauit & ſubſtentauit ſanguinem cum humoribus, & præuenit exiſtentiam incompletam illorum. Neque hoc mirum eſt, cum ſint ita neceſſarij humores ad naturam humanam, vt totum eſſe ipſorum ſit propter illam, hiſque optimè adaptatur illud Ariſtotelis dictum: Vbi plura propter vnum, ibi tantum vnum.

Redargutio Solutionis. Et ſi obijcias. Ergo eadem ratione in alijs hominibus ſubſtantia ſanguinis exiſtit per exiſtentiam totius, quia ordinatur ad totum tamquam natura incompleta. Rurſum ſi in nobis ſanguis habet propriam exiſtentiam, ſicut capilli & vngues, eadem ratione in Chriſto ſanguis habebit propriam exiſtentiam, B ſicut eius capilli & vngues; etenim ſine ratione vrgenti in Chriſto non eſt aliquid nouum (loquendo de pertinentibus ad naturam humanam) aſſerendum.

Reſpondetur. Reſpondetur, eſſe magnam differentiam inter Chriſtum, & nos, quantum ad prædicta. Nam ſubſiſtentia noſtra, cum ſit creata, nulloque modo contineat exiſtentiam alicuius naturæ ſub communi ratione exiſtendi non poteſt, niſi vnicam ſolum naturam terminare: at ſubſiſtentia Verbi infinitas ſimul naturas terminare poſſet propter ſuam infinitatem continentem exiſtentiam cuiuſcunque naturæ creatæ: immo & exiſtentiam ſub ratione exiſtendi, vt diximus. Igitur multo melius poterit terminare naturam incompletam, qualis eſt natura ſanguinis ordinata ad naturam humanam completam. Neque ſine ratione C id peculiare in Chriſto ponimus, quoniam vt ſupra viſum eſt, fundamentum habet in ſacris litteris aſſerere ſanguinem Chriſti hypoſtaticè fuiſſe vnitum Verbo. Cum igitur non poſſit in via S. Thom. intelligi ille ſanguis hypoſtaticè vnitus, niſi præuenta ſanguinis natura, nulloque modo eius creata, & propria exiſtentia reſultãte. Inde eſt, quòd magna ratione moti aliter ponimus in Chriſto ſanguinem ſubſiſtentem, quàm in nobis. De capillis verò non eſt ratio ſufficiens, qua moti aſſerere valeamus eſſe coniunctos hypoſtaticè, eaque deficiente ratione, non eſt cur de illis diuerſo modo loquamur in Chriſto, quàm in nobis.

Solutio confirmationis Primi Argum. Ex quibus omnibus ſolutio oritur confirmationis primi argumenti, nullum enim eſt inconueniens concedere, Verbum Diuinum aſſumpſiſſe humanitatem tamquam naturam perfectam, & naturas quattuor humorum, tamquàm D naturas partiales & incompletas, quæ ſunt de neceſſitate & integritate cuiuſcunque corporis humani. Et de his intelligitur illud Damaſceni; Verbum aſſumpſit quidquid in natura plantauit. Dixit, quidquid, vt intelligamus, non ſolũ materiam & formam aſſumpſiſſe, quia ſine ijs certum erat humanitatem non eſſe aſſumptibilem, ſed etiam humores & illorum naturas, quæ de integritate humani corporis erant, vniſſe in vnitatem eiuſdem ſuppoſiti.

Ad ſecundũ. Secundo argumento reſpondetur, Verbũ Diuinum aſſumpſiſſe ad vnitatem eiuſdem perſonæ quidquid in natura plantatum eſt, tamquam de integritate illius, & ſic aſſumptus eſt ſanguis, quia eo modo plantatus fuerat. An tamen in reſurrectione omnis ille ſit reaſſumptus? videbitur poſtea.

Ad

A Ad vltimum dico, illam propoſitionem Damaſceni; Quod ſemel aſsumpſit, numquam dimiſit, intelligi debere iuxta explicationem D. Bonauenturæ in 4. diſt. 12. quæſt. 1. de corpore & anima, & de partibus ſimilaribus, aut diſſimilaribus, quæ ſunt pertinentes ad integritatem naturæ humanæ, de alijs verò non eſt neceſsarium, ſicut de ſanguine effuſo in circumciſione, de præputio, & de pellicula aliqua; quæ forſan veſtibus poſt flagella amotis adhærebat. Aliter videtur reſpondere Silueſter, quæſt. 31. ſuæ Roſæ: ſed verior eſt ſolutio tradita. *Ad vltimum.*

Illud tertiò examinandum ſequitur, Num ſanguis Chriſti in paſſione effuſus manſerit poſt effuſionem Verbo Diuino vnitus? quemadmodum anima poſt ſeparationem a corpore manſit vnita verbo. De quo Mayrones in 4. diſt. 43. q. 1. & in quodam ſermone, qui incipit: Memoriam fecit mirabilium ſuorum, & B Ricardus in 3. diſt. 2. art. 5. quæſt. 2. & Sixtus quartus in quodam libello de ſanguine Chriſti, quos omnes ſequutum fuiſse M. Victoriam, referunt eius diſcipuli (quamuis poſtea eam retractaſse ſententiam narrent) exiſtimarunt, nullum ſanguinem effuſum a Chriſto poſt effuſionem eſse vnitum Verbo, tantummodo putabant, Verbum manſiſse vnitum corpori & animæ, & de ijs loquutum tantum Damaſcenum, cum dixit: Quod ſemel aſsumpſit, numquam dimiſit. Hãc ſẽtẽtiam approbatã fuiſse ab Vniuerſitate Pariſienſi docet Sixtus quartus, lib. cit. Facitq; primo in confirmationem illius: quia ſi ſanguis effuſus maneret Verbo vnitus, ſequeretur, hanc eſſe veram & concedendam propoſitionem, Verbum eſt ſanguis, ſicut & hæc eſt vera, Verbum eſt homo. Conſequutio ex eo probari poterit; nam, vt dictum eſt, ſanguis non eſt pars vera hominis, ſed C quaſi ſuppoſitum diſtinctum ab homine, ſicut capillus. Igitur Verbum quod, aſſumpſit naturam ſanguinis ex vi ſua aptam per ſe ſubſiſtere, & non ſubſiſtentia totius, dicetur ſanguis, ſicut eadem ratione Verbum dicitur homo. *Tertia pars huius Controuerſia. An ſãguis poſt effuſionem manſerit verbo vnitus.* *Partem negãtem tenet Ricardus & alij multi.* *Probatur primo ex ſententia.*

Secundò ſequeretur, Chriſtum dominum modo manere affixum cruci, quia modo ſanguis manet in cruce. Igitur propter communicationem idiomatum etiam Chriſtus & Verbum modo manent in cruce. Et confirmatur, quia eadem ratione Chriſtus diceretur terræ commixtus, immo & in terram conuerſus, & effuſus; quia de ſanguine omnia iſta verificantur; quòd ſilicet fuit terræ commixtus, & ſecundùm aliquas particulas in terram verſus, ac demum in terrã effuſus. *Probatur ſecundo.*

Sed pro explicatione eſt in memoriam reuocanda diuiſio illa ſanguinis ſupra facta. Eſt enim alius ſanguis, ſine quo homo viuere non poſſet, qui appellatur D ſanguis de integritate naturæ, & qui neceſſariò debet eſſe in corpore humano, etiam ſi corpus non debeat nutriri, quamuis dum illud nutritioni eſt obnoxiũ, etiam ex eo ſanguine nutriatur. Alter ſuperfluus, & ſine quo poſſet homo eſſe, deſeruitque ſolum nutritioni, & appellatur ſanguis nutrimentalis. Et quamuis iſte pro hoc ſtatu corporis corruptibilis ſit neceſſarius, tamen ſimpliciter non eſt neceſſarius, neque ille erit in corpore impaſſibili reſurgente. Qua ſanguinis partitione in memoriam redacta. *Reuocanda in memoriam diuiſio ſanguinis neceſſarij & ſuperflui.*

Sit prima propoſitio: Sanguis, qui erat de integritate naturæ ſemper manſit vnitus Verbo hypoſtaticè, & quando erat in corpore, & poſt effuſionem. Hæc aſſertio iam ferè ab omnibus recipitur, refertque in eius confimationem Arnaldus Albertinus in compendio Directorij Inquiſitorũ, anno Domini 1351. *Prima Propoſitio.*

Contra prædicantes ſanguinem Chriſti effuſum non eſſe hypoſtaticè vnitum Inquiſitores hæretica prauitatis proceſſerunt tempore Pij Secundi.

quoſdam Barchinonę prædicaſſe, ſanguinem Chriſti in paſſione effuſum a diuinitate fuiſſe ſeparatum, illoſque fratrem Nicolaum Roſſellum ordinis Prædicatorum, & hæreticæ prauitatis iudicem Inquiſitorem ex commiſſione Clementis ſexti coegiſſe publice ſententiam reuocare, conſtareque ea ex litteris Cardinalis Sabinienſis, quæ Brixiæ extant in Archiuis Inquiſitionis, poſtea inſuper proceſſum & litem ad curiam Roman. delata fuiſſe, & eorum examen commiſſum eſſe Bernardino Cardinali tempore Pij ſecundi. Qui Bernardinus confirmauit ſententiam datam, vt refert Siluester in dicto tractatu, quæſt. 31. Si tamẽ propter hæc velit aliquis colligere, poſitam concluſionem tenendam eſſe, tamquam de fide, ob id eam de fide non eſſe animaduertamus oportet, quoniam (vt refert Sixtus quartus in illo libello de ſanguine Chriſti) Pius ſecundus cuius tempore acta ſunt ſupra dicta, in quodam Breui tranſmiſſo ad Iacobum de Marchia, ſic loquitur: Quod attinet ad auctoritatem illius ſententiæ, ſiue proceſſus Barchinonę celebrati, factam per prælatum illum (nempe Bernardinum Cardinalẽ) cui illa res à nobis commiſſa eſt, ſcias eam non ideò factam, vt per ipſam fides aut auctoritas adijceretur huiuſmodi ſententiæ, ſeu proceſſui: ſed vt teſtimonium quoddam eſſet rei geſtæ, hoc eſt, vt non deperiret illius facti (qualecunque eſſet) notitia. Neque enim fuit intentionis noſtræ propter eam commiſſionem confirmare, aut approbare ſententiam ipſam, aut proceſſum. Cum enim ex parte fratrum Prædicatorũ nobis eſſet ſupplicatum, vt ea auctenticare facere vellemus negare non potuimus, quin cauſam committeremus. Non ergo turbetur cor tuum, neque formidet, ſed eſto animo quieto. Hæc ex Pio ſecundo refert Sixtus Quartus. Addidit Siluester in illa quæſt. 31. citata ex eodem Pio Secundo pœnam excommunicationis latam contra aſſerentes oppoſitum noſtræ propoſitionis, aut ipſammet propoſitionem eſſe hæreticam. Ex quibus omnibus infero, quòd licet noſtra concluſio non ſit de fide, tamen ſine temeritate negari non poteſt, cum iam communiter ab omnibus recipiatur. Ex eoq; conſtat, quoniam cum ſanguis Chriſti fuerit aſſumptus à Verbo, & fuerit etiã in reſurrectione reaſſumendus, (vt dicetur infra) fruſtra in triduo haberet natura ſanguinis proprium ſuppoſitum, quod ſtatim corrumpendum eſſet.

Probatur ea prima propoſitio.

Preterea ſecundò, vt inquit Paulus ad Rom. cap. 11. *Sine pœnitentia ſunt dona Dei:* ſed vnio Verbi cum ſanguine fuit maximum beneficium & donum, neq; aliqua fuit culpa in natura ſanguinis propter quam illud donum auferretur. Igitur non eſt credendum, quòd fuerit ablatum. Et confirmatur, quia cum noſtra ſententia melius ſaluantur & intelliguntur plura Scripturæ teſtimonia ſupra adducta, quibus docemur redemptionem factam eſſe a Chriſto per ſanguinem effuſum. Quibus etiam conſonat illud Clementis Sexti in extrauaganti, Vnigenitus, extra de pœnitentijs & remiſſionibus. Gutta ſanguinis Chriſti, propter vnionem ad Verbum, ſufficiens erat pro redemptione generis humani. Videatur Auguſtinus pro noſtra concluſione tractatu 92. in Ioannem, & Ambroſius, lib. 7. ſuper Lucam cap. 47. & Caius Papa in Epiſtola ad Fœlicem Epiſcopum:

Secunda Propoſitio.

Secunda propoſitio: Sanguis tantum nutrimentalis poſt effuſionem non manſit hypoſtatice vnitus. Quæ propoſitio ſtatim dubio ſequenti euidenter probabitur. Videbimus enim ibi, neceſſariò aſſerendum eſſe, aliquem ſanguinem

A nem manſiſse in terris, abſque eo quòd reunitus fuerit Chriſto in reſurrectione. Cum igitur ille (qualis erat nutrimentalis & ſuperfluus) non eſſet reuniendus, mirum eſſe non debet, ſi non manſerit Verbo vnitus.

Quod ſi obijcias, omnem ſanguinem eſſe eiuſdem ſpeciei. Igitur vno vnito remanente, & alterũ etiam vnitũ manſiſſe debemus concedere. Quoniam in vita Chriſti præcipua ratio, ob quam ſupra dicebamus omnem ſanguinem eſſe Verbo vnitum, ea fuit: quoniam non erat maior ratio de vno, quàm de altero, cum vterque ſit eiuſdem ſpetiei. Ergo in reaſſumptione idem eadem ratio probabit? Reſpondeo conſequentiam non valere. Et ad probationem dico diuerſam multò eſſe rationem in vita Chriſti, & in eius reſurrectione, quo ad vnionẽ ſanguinis. Nam in vita cum vterque ſanguis eſſet requiſitus in corpore Chriſti, *Obiectio contra concluſionem.* *Solutio eius.*

B vterque vniebatur hypoſtaticè, nẽ eſſet diuerſa ratio vnius & alterius. At in reſurrectione, cum tantum ea quæ ſunt de neceſſitate naturæ reaſsumantur, non erat vterque ſanguis reaſſumendus, ſed tantum ille, qui erat de integritate naturæ, & ideò ille ſolum manſit vnitus hypoſtaticè omni tempore: quoniam reaſſumendus erat, ne tot mutationes in eo inuenirentur: ſuperfluus verò cum non eſſet reuniendus, mirum non eſt, ſi non manſerit Verbo vnitus. Sed hæc accuratius in ſequentibus intelligentur.

Vnde ad primum fundamentum ſentientium oppoſitũ reſpondetur, Verbũ etiam ſi ſanguinẽ aſſumpſerit, non dici ſanguinẽ, nam ſanguis nõ dicit naturã completam: ſed incompletã & ordinatam ex natura ſua ad aliã. Vnde eadẽ ratio haberi debet de denominatione ſanguinis, ſicut de denominatione naturæ par *Ad motiua contraria ſententia.* *Ad primum.*
C tialis, quales ſunt capilli, vngues, manus, vel oſſa: & quemadmodum Verbũ Diuinum, aſſumens naturam partialem manus, vel capitis, non dicitur manus vel caput: ita neque dicitur ſanguis, & ſicut in triduo non dicebatur anima, ita neque ſanguis. Quare etiam ſi ſanguis ſit ex natura ſua res quædam per ſe ſubſiſtens, diſtinctaque ab alijs partibus; quia tamen incomplete exiſtit, & inordine ad aliud tamquam pars, inde eſt, quod etiamſi aſsumatur, denominationẽ non tribuat, ſed potius conditionem partis induat. Atque ita Verbum dicetur habens ſanguinem, ſicut dicitur habens animam, & non anima.

Ad ſecundum fundamentum dicatur ſanguinem, qui poſt reſurrectionem remanſit extra corpus Chriſti non manere vnitum Verbo hypoſtaticè, & ſic nõ manet communicatio idiomatum. Si tamen loquaris in triduo de ſanguine, qui *Ad ſecundum.*
D poſt fuit reunitus; qualis erat ille, qui pertinebat ad integritatem, reſpondetur, quòd vt nunc dicebamus, denominatio, quæ conuenit parti, vt pars eſt, vel illi rei, quæ partis rationem induit, & a toto diſtinguitur, illa non conuenit compoſito. Sicut animæ prout diſtinguitur a toto conuenit, quod informet, compoſito verò illud non conuenit, ſic Verbo, quod ſibi animam vnierat, non conueniebat informare: ita etiam ſanguini, quodam modo ſe habenti vt pars, conueniunt illæ denominationes, prout differt a compoſito, in quo eſt: & ideò totum non dicitur effuſum, aut ſparſum, aut terræ commixtum, & proinde Verbum tales non ſuſcipit denominationes.

Si obijcias, quòd Verbo conuenit deſcendere ad inferos ratione animæ, quę eſt pars, & iacere in ſepulcro ratione corporis. Ergo effundi, aut commiſceri *Redargutio.*

ratione

Solutio. ratione ſanguinis conueniet? Reſpondeo adhuc eſſe diuerſam rationem; quia A deſcendere ad inferos, & iacere in ſepulcro, ſunt denominationes, quæ etiam compoſito conueniunt, at effundi ſolum parti: illæ autē denominationes, quæ indifferentes ſunt ad denominationem vtriuſque, compoſiti ſcilicet & partis, Verbo poſſunt conuenire. Si tamen inſtes, quod homini conuenit eſſe criſpum ratione partis, ſcilicet ratione capillorum. Ergo eidem conueniet effundi ratione ſanguinis? Reſpondetur, verum eſſe aliqua conuenire compoſito abſolute ratione alicuius; quod parti inhæreat: ſicut Petrus dicitur curuus ratione naſi, dicitur criſpus, aut canus ratione capillorum: ſed nihilominus alia ſunt, quæ ita conueniunt parti, vt non ſufficiant ſimpliciter denominare totum, ſed ſecundum quid; vt Ethiops non dicitur albus propter dentes, neque homo vocatur niger propter capillos. & huius generis ſunt illa prædicata: Effuſum, ſparſum, B quæ ſanguini conueniunt, & non homini.

Inſtantia ſolutionis.

Reſponſio.

Quarta pars Controuerſiæ. An Chriſtus reaſſumpſerit omnē ſanguinem in reſurrectione. Sententia S. Thom.

Illud demum nobis reſtat explicandum; An in reſurrectione omnis Chriſti ſanguis, qui effuſus fuerat in paſſione, reaſſumptus fuerit in reſurrectione; an verò non omnis? ſed potius aliquis manſerit in terra ſine eo, quod fuerit reunitus. De qua dubitatione S. Thom. Quodlib. 5. quæſt. 3. art. 5. docet de ſanguine effuſo nos poſſe loqui vel ante tempus paſſionis, vt de ſanguine circumciſionis, & de illo, qui effuſus eſt in horto, quando orans Patrem profluxit ſudor ille ſanguineus, aut de ſanguine, qui effuſus eſt tempore paſſionis. De primo aſſerit poſſe dici, quòd manſerit abſque eo, quod reuniretur: de ſecundo tamen dicendum eſſe, omnem reunitum fuiſſe in reſurrectione. Probat S. Thom. hanc ſententiam tribus rationibus. C

Eius rationes. Prima. Prima, quia Chriſtus, cum pateretur, erat in ætate perfecta, & nullum habebat morbum, ſed erat firmiſſima valetudine. Ergo tantum habebat ſanguinē pertinentem ad integritatem naturæ: & omnis hic reaſſumptus eſt. Ergo omnem ſauguinem, quem in paſſione effudit reaſſumpſit.

Secūda ratio. Secunda, quia ſanguis martyrum reaſſumetur ab illis in reſurrectione ad decorem. Ergo ſanguis, quem Chriſtus effudit, multò melius reaſſumetur.

Tertia ratio. Tertia, quia quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit, vt ex Damaſceno toties repetitum eſt: ſed aſſumpſit ſanguinem omnem, quem effudit in paſſione. Ergo numquam illū dimiſit. Debemus ergo aſſerere fuiſſe reunitū Chriſto.

Poteſt idem probari alia ratione. Rurſum poteſt cōfirmari hæc ſententia. Quoniam ſi modo maneret aliquis ſanguis ex illo, qui effuſus eſt in paſſione, ſequeretur, Verbum Diuinum manſiſſe vnitum hypoſtaticè alicui naturæ exiſtenti in terris, eſſetque natura aliqua hypoſtaticè vnita alibi, quàm in cælo, & ſacramento contra omnes Theologos; deberetque ille ſanguis adorari adoratione Latriç ratione vnionis hypoſtaticæ: quæ tamen non videntur poſſe concedi. D

Solutio obiectionis, quæ poſſet fieri cōtra S. Thom. Notabilis euētus Auctore D. Athanaſio Quod ſi quis contra S. Thom. obijciat, videri a multis particulas ſanguinis effuſi in paſſione. Reſpondet ipſe S. Thom. loco citato, & prima parte, quæſt. 54. art. 2. ad tertium, ſanguinem illum non eſſe de illo, quem Chriſtus effudit, ſed de ſanguine cuiuſdam percuſſæ imaginis. Quam ſolutionem, vt intelligamus, ſcire oportet, auctore Athanaſio in ſermone de imagine Chriſti, cuius magna pars refertur in 7. Synodo generali, action. 4. olim in ciuitate quadam nomine,

A mine, Verito, ſita in finibus Tyrij & Sydonis contigiſſe, quòd cum Chriſtianus quidam Saluatoris noſtri imaginem domi haberet, cõmearetque ille in aliã, quam ſibi locauerat domum, prædictam imaginem in antiqua ex obliuione relinquens, forte accidit, vt domum illam, in qua imago remanſerat, habitandã Iudæus quidam ingrederetur, eamque in pariete fixam imaginem multis tranſactis diebus neque inſpexerat, neque animaduerterat. Quadam verò die Hebręus ille quibuſdam ſuæ gentis hominibus conuiuium parauerat, inter quos vnus eleuatis oculis imaginem intuitus, valdeque iratus, multa furibundus in conuiuantem conuicia inijcere cœpit, ipſo ſemper ſe excuſante, neque illam vmquam vidiſſe proclamante. Nihilominus apud iudicem, vt reus criminis accuſatur, & declaratur, eiuſque domum Iudex ſimul cum Senioribus & Scribis ingredi-
B tur, inſpectaque imagine, habitatorem domus extra ſynagogam eijcit, & inito tandem concilio ea ferè omnia, quæ maiores illius gentis contra auctorem vitæ fecerunt, contra ſacram Chriſti effigiem præſtiterunt. Spuebant in illam, colaphis cædebant, maledictis & conuicijs afficiebant, cruci affixæ imagini fel, & acetum propinabant, ac ex latere lancea aperto ſanguis & aqua exiuit; quibus in vaſe receptis rei euentum volentes experire, cæcis & claudis apponebant, qui ſanguine illo, & aqua aſperſi ſanabantur. Quibus inſpectis multi Iudæorum in Chriſtum crediderunt. Hæc & plura Athanaſius refert. Iuxta quæ S. Thom. obiectioni reſpondet, ſanguinem, quem in terris hodie inſpicimus eſſe illum, quem tradidit Athanaſius ab imagine profluxiſſe, non verò, quem credimus à Chriſti corpore dimanaſſe. Nihilominus propoſitæ dubitationis veritas his
C propoſitionibus aperitur.

Prima propoſitio: Non fuit reaſſumptus omnis ſanguis, qui in Chriſti paſſione fuit effuſus, ſed ſolum ille, qui erat de integritate naturæ. Docet ita Bonauentura in 4. lib. ſent. diſt. 12. in expoſitione litteræ, Silueſter, loco cit. q. 31. & Caietanus 3. Part. quæſt. 54. art. 2. Immo Pius ſecundus in quadam epiſt. ad Abbatem Monaſterij ſanctæ Mariæ Xantonenſis eccleſiæ aſſerit, non eſſe contra fidem docere, aliquam particulam ſanguinis manſiſſe in terris, illius ſcilicet, qui in paſſione effuſus eſt. Immo in capella Regis Francorum narrant eſſe quamdam particulam ſanguinis, & in Eccleſia Lateranenſi Romæ, & Mantuæ in eccleſia D. Andrẹæ, in qua eccleſia tempore Leonis 3. magna ſunt edita miracula. Quibus motus idem Leo tertius approbauit, eum ſanguinem de illo eſſe,
D quem Chriſtus effuderat. Refert id Platina in vita eius Pontificis.

Prima Aſſertio.

Particulę ſanguinis Chriſti quæ dicuntur in terris manſiſſe.

Rurſum multis in locis habentur inſtrumenta paſſionis Chriſti ſanguine aſperſa; eſt enim Sudarium apud Duces Sabaudiæ. Spina eſt Vicentiæ in Monaſterio Prædicatorum, & altera eſt Rachanati in Monaſterio Heremitarum. Ferrum lanceæ, quod olim Nurimbergæ obſeruabatur, nunc Romæ in Baſilica D. Petri, in eo loco vbi ſacra Chriſti facies, quam Vultum ſanctum, aut Veronicã appellant, repoſita eſt, obſeruatur. Quæ omnia vſque adhuc inſpiciuntur ſanguine reſperſa, pieque credunt fideles fuiſſe illa mmet, quæ a tempore paſſionis Chriſti manſerunt.

Inſtrumenta paſſionis Chriſti ſanguine aſperſa vſq; hodie videntur.

Probatur etiam propoſitio, quia Præputium, quod abſciſſum eſt in circumciſione, cum Chriſto non reſurrexit, vt ex Bonauentura ſupradiximus, refertque

Præputium Chriſti in Eccleſia Lateranẽſi ſeruatur.

ſertque Iacobus de Voragine in legenda circumciſionis, allatũ eſſe illud ab Angelo ad Carolum magnum, & poſitum eſſe Aquiſgranis in Eccleſia ſanctæ Mariæ. Et tandem tranſlatum eſt Romam, & poſitum in Capella quæ vocatur Sancta Sanctorum, vt refert Sixtus Quartus in dicto, lib. de Sanguine Chriſti, veritate 7. Igitur credibilius eſt de ſanguine, qui effuſus eſt in paſſione, cum non ſit pars ſicuti præputium. A

Ratione etiam confirmatur, quia noſtra reſurrectio futura eſt conformis reſurectioni Chriſti. Sed in nobis non ſurget omnis ſanguis, ſed tantum ille, qui eſt de integritate naturæ, vt docenr communiter Doctores in 4. diſt. 44. quia cum non ſit nutritio poſt reſurrectionem, nullus alius ſanguis neceſſarius eſt, præter illum, qui eſt de integritate naturæ. Ergo in Chriſto poſt reſurrectionem non eſt omnis ſanguis, qui effuſus eſt in paſſione, ſed ille, ſine quo corpus Chriſti non eſſet integrum. B

Secunda Aſſertio. Secunda propoſitio: Sanguis, qui manſit in terris poſt Chriſti reſurrectionem, non manſit Verbo vnitus, ſed omnino ſeparatus a Diuinitate. In hoc omnes conueniunt, etiam illi, qui arbitrantur, omnem ſanguinẽ effuſum in paſſione reaſſumptum a Verbo, quia inquiunt, quod ſi fortè aliquis manſit, non manſit vnitus. Hæc propoſitio eſt ferè eadem cum ſecunda propoſitione dubij præcedentis. Et probatur, quia ſequeretur (vt initio dicebamus) modo Verbũ eſſe alibi hypoſtaticè vnitum, quàm humanitati in cælo exiſtenti, vel eidem in ſacramento altaris, nempe ſanguini ſeorſum exiſtenti, quod eſt contra communem ſenſum Doctorum.

Quæritur quã do ſanguis, qui manſit in terris, fuerit a Verbo relictus. Sed meritò aliquis interrogabit, quo temporis momento ſanguis ille qui manſit in terris, fuerit à Diuinitate ſeparatus? Num ſtatim poſt effuſionem, vel poſt triduum in reſurrectione, quando alter reaſſumptus eſt; & alter non? Reſpondet Siluester quæſt. 31. cit. in fine, omnem ſanguinem in triduo fuiſſe vnitum, & poſt in reſurrectione eum, qui erat de integritate fuiſſe reaſſumptum, alium verò dimiſſum. Mihi verò patũ videtur referre, ſi concedamus in inſtanti poſt effuſionem cœpiſſe eſſe ſine Verbo; quia cum effuſus fuerit non reuniendus, vt quid ponenda vnio Verbi cum ſanguine ſeorſum, quæ ſtatim peritura erat? C

Tertia Aſſertio. Tertia propoſitio: Sanguis, qui manſit in terris ex effuſione corporis Chriſti, immo ille, quem narrant fuiſſe illius imaginis percuſſæ, adorandus eſt adoratione Latriæ. Hæc propoſitio debet eſſe certa; quoniam, vt docenr omnes Theologi adoratio Latriæ debetur Deo, vel rei vnitæ hypoſtaticæ Deo, vel ratione contactus cum eo, vel denique ratione imaginis ipſius; quorum quodcunq; ſufficit, vt adoratio Latriæ exhibeatur. Sed ſanguis, qui manſit ex effuſione, fuit vnitus hypoſtaticè tetigitque ipſum Chriſtum, ſicut crux & corona ſpinea, &c. ſimiliter ſanguis ex illa imagine effuſus Chriſtum tamquàm imago repræſentat, ſicut crux, quæ a nobis conficitur. Igitur quicunque ſanguis qui in prædictis eccleſijs ſeruatur, eſt venerandus Latria. D

Ad rationes S. Thom. Ad primam. Vnde facilè eſt argumentis S. Thomæ reſpondere. Primo enim Concedimus, Chriſtum paſſum fuiſſe in ætate perfecta, inter trigeſimumtertium, & trigeſimumquartum annum. Quamuis in hoc errauerit Irenæus, lib. 2. cap. 40. affirmans, Chriſtum Dominum quadraginta annos exceſiſſe, cum illi dictum fuerit

A rit Ioannis cap. 8. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti?* quæ verba, inquit, nequaquam Chriſto dicta fuiſſent, niſi annum exceſſiſſet quadrageſimum. Inde tamen non bene infert S. Thom. Chriſtum non habuiſſe ſanguinem ſuperfluum, ſeu nutrimentalem. Quia certum eſt, illum ad mortem vſq; fuiſſe nutritum; nam quamdiu viuimus, tamdiu nutrimur, teſte Ariſtotel. lib. 1. de Generatione cap. 5. Cum igitur nutritio indigeat ſanguine ſuperfluo, vt ex eo reſtauretur deperditum, inde eſt in Chriſto adhuc tempore paſſionis ſanguinem fuiſſe ſuperfluum, ac nutrimentalem. Quòd ſi quis omnem ſanguinē ſuperfluum profluiſſe cum illo ſudore ſanguineo in horto aſſerat, atque ita poſtea illum ſolum remanſiſſe, qui erat de integritate naturæ. Reſpondet optime Caietanus 3. Part. quæſt. 54. art. 2. alimentum paulo ante in cena aſſumptum B non fuiſſe omnino in ſanguinem conuerſum, quando illo ſanguineo ſudore affectus eſt, quamobrem adhuc in paſſione exiſtens alimentum in ſanguinem conuertebatur, & ſic erat in illo ſanguis ſuperfluus, quanto magis quòd non omnis ſanguis ſuperfluus in horto profluxit, etiā ſi magna illius copia exiuerit.

Secunda Ratio S. Thom. pro nobis eſt, quia ſicut in alijs martyribus non omnis ſanguis reaſſumetur, ſed ille, qui erit de integritate naturæ, ſic & in Chriſto Domino ſolum ille reaſſumptus fuit. *Ad ſecundū.*

Tertia etiam ratio ſoluta eſt ſupra Dub. 2. ad tertium dum explicuimus propoſitionem illam Damaſceni: Quod ſemel aſſumpſit numquam dimiſſit, intelligi debere de partibus eſſentialibus, & de illis, quæ pertinent ad integritatem naturæ, non autem de alijs. *Ad tertium.*

C Et demum confirmationi, quæ vltimo loco fuit poſita, quid dicendum ſit, ex tertia propoſitione conſtat: debetur enim ſanguini, qui apud nos eſt, adoratio Latriæ, non quia actu Verbo ſit hypoſtaticè vnitus: ſed quia vel fuerit, contactumque habuerit, vel ſaltem per modum imaginis, quia paſſionem Chriſti & repreſentauerit, & repreſentat. quod dixerim, ob ſanguinem è commemorata imagine profluxum. Neque mirum eſt, S. Thomam contrarium tenuiſſe, cum res iſta ſuo tempore non fuerit ita certa, ſicut poſtea, neque tanta vmquam præceſerit concertatio inter Theologos, quanta poſtea temporibus Pij ſecundi ſubſequuta eſt, quæ rem hanc multo clariorem & certiorem reddidit. *Ad Confirmation.*

Ex His igitur quattuor, quæ a nobis explicata ſunt, apertè conſtat, Verbum Diuinum non ſolum in incarnatione verum corpus cum ſanguine D aſſumpſiſſe, ſed & in Chriſti reſurrectione, ſibi reunitū habuiſſe, non quidem cum omni illo ſanguine, quem prius acceperat: ſed cum illo ſolum, quem de integritate proprij corporis fuiſſe diximus.

EX DVABVS CONTROVERSIIS, QVÆ POSITÆ FVEerunt pro quinto Proponente prior poſitiua, & in ordine quinta fuit.

Cum Geneſ. cap. 11. Arphaxad dicatur genuiſſe Sale, quomodo Lucæ cap. 3. dicitur: Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad? A

SVMMA CONTROVERSIAE SEQVENTIS.

Difficultatem hanc multi conati ſunt aperire, ſed vix vlla eſt, quæ amplecti poſſit eorum ſententia. In ea tamen quod minus inconſonum nobis viſum fuerit, aperire conabimur, nullo modo generationem Cainan ab alijs diuerſam concedentes, ſed eamdem cum alijs explicantes.

ROPONITVR in præſentia explicanda difficultas, quæ grauiſ- B ſimos Patres olim torſit, torquetque adhuc noſtris temporibus nō ignobiles auctores, neque mirum, ſi nobis etiam moleſta fuerit, cum in eius elucidatione omnibus ferè inſpectis ſcriptoribus tam antiquis, quàm iunioribus ferè nihil inuenerimus, quod vel abſque erroris labe, aut ſine temeritatis nota, magno vè periculo de ea dici poſſit. Difficultas igitur eſt, quoniam à Moyſe Geneſ. cap. 11. & poſtea lib. 1. Paralipom. cap. 1. decem tantum generationes numerantur à Sem vſque ad Abraham, non computata generatione Cainan inter Arphaxad & Sale, at verò à Luca, cap. 3. ſuæ hiſtoriæ Euāgelicæ vndecim generationes narrantur ac preterijſſe referuntur vſq; ad eumdem Abraham, adiecta generatione Cainan inter Sale & Arphaxad. Ex cuius quidem additione, relictis alijs incommodis; quæ cuicunque obuia eſſe C poſſunt, vnum eſt, & quod ijs, qui annorum numerum colligere, eiuſque rationē reddere conati ſunt, moleſtiam non paruam intulit, quòd maxime variari videtur annorum numerus ac temporum computatio in mundi ſecunda ætate, quæ poſt diluuium principium habuit, hincque inter alia ortū habuit illa tam magna diuerſitas inter veritatem Hebraicā & ſeptuaginta interpretes in annorum ſupputatione & numero. Ponunt enim ſeptuaginta (a quibus Lucas accepiſſe creditur nomen illud, Cainan) vixiſſe Sem, poſtquā genuit ſibi Arphaxad annis 35. Deinde, quod vixerit Arphaxad ad ānos 135. & tunc genuit Cainan, & vixit poſt genitum Cainan Arphaxat annos 430. Et præterea vixit Cainan annos 130. & genuit Sela, & poſtquā genuit Sela, vixit Cainan 330. Ex quibus euidenter colligitur, quod ſi hos omnes addas, maxime variabitur ille annorū D ordo & numerus ex libro Geneſeos collectus. Verum conſilio non paruo huiuſmodi annorum nimis prolixam ac perplexam ſupputationem omittere decreui, de qua latiſſime egit D. Hieronymus quæſtionibus in Geneſim, in annumeratione Mathuſalem & Noe, & in epiſtola ad Euagrium, & D. Auguſtinus lib. 15. de Ciuit. per multa capita, prȩſertim cap. 10. & 13. & lib. 16. cap. 3. & cap. 10. & Ioannes Lucidus quattuor primis libris de emendatione temporum, & Driedo, lib. 3. de dogmatibus eccleſiaſticis cap. 5. tamen hoc loco conabimur (vtinam id præſtare poſſimus) fauenteque Deo curabimus Moyſem & Lucam componere. In qua re elucidanda innumera placita inuenies, quo ſolo ſigno (& ſi deficerent alia) eius ingentem difficultatem cognoſceres.

Vis difficultatis propoſita.

A In primis Auguſtinus Eugubinus in cap. 11. Geneſ. & Caietanus in cap. 3. Lucæ nimis liberè loquuntur. Namque aſſerunt, Lucam Euangeliſtam ſeptuaginta interpretum errorem (ſine proprio tamen errore) ſequutum. Sapientes (inquiunt) hyſtorici licet aliter, quàm vulgus ſentiant, ſæpeſæpius cum vulgo loquuntur, quod & Lucas cap. 3. ſeptuaginta viros ſequens (quorum translationem tunc temporis vulgus amplectebatur) generationẽ Cainam, in ſua texuit hiſtoria. Immo & D. Hieronymus ſcribens cõtra Eluidium ſtatim in principio id ipſum de Euaugeliſtis videtur concedere, quod de Luca præfati auctores aſſerunt. Cum enim eo in loco explicare niteretur, quomodo Matth. 1. Ioſeph. pater Christi appellaretur, in hæc verba loquutus eſt: Deniq; excepto Ioſeph, Eliſabet, & ipſa Maria, paucisq; admodum ſi quos ab ijs audiſſe poſſumus exiſtimare, omnes Ieſum filium exiſtimabant Ioſeph, intantum, vt etiã Euangeliſtæ opinionem vulgi exprimentes (quę vera hiſtoriæ lex eſt) patrem dixerint Saluatoris. Et rurſus, lib. 9. in Iſaiam exponens illa verba cap. 28. iuxta veritatem Hebraicã: *Manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi &c.* ita loquitur: Et hoc in veteri obſeruauimus teſtamẽto abſq; paucis teſtimonijs, quibus Lucas ſolus abutitur, qui magis linguæ Græcę habuit notitiã, quàm Hebraicæ. Deniq; quæſtionibus iu Geneſim aſſerit, quòd Apoſtoli ſeu apoſtolici viri cum ad populos loquuntur ijs plerunque teſtimonijs abutuntur, quæ iam fuerant gentibus diuulgata per ſeptuaginta interpretum translationem. Hæc omnia Hieronymus.

Sententia Eugubini & Caietani.

Videtur eidẽ fauere Hieronymus.

B

Sed quamuis hi auctores iſta in Lucæ excuſationem proferant, oporteret rurſum illos Spiritum ſanctum excuſſare, quòd permiſſerit Euangeliſtam vulgi C ac ſeptuaginta virorum errore vti in ſcriptura canonica. Ad hæc, inquit Catharinus, lib. 1. contra errores & falſa Caietani dogmata, quòd adhuc ſi ita loquamur, Lucas minimè excuſatur; quoniam cum Hebraici ſermonis expers non fuerit, tali ſeptuaginta interpretum translatione vti non deberet. Sed iſta Catharini redarguțio parui momenti eſt apud D. Hieronymum, qui quæſtionibus in Geneſim illum Hebraici ſermonis inſcium, vt Proſelytum agnoſcit. Facit tamen re vera contra Caietanum id, quod ipſemet Lucas in præfatione ſui Euengelij teſtatur: omnia ſcilicet ſe aſſequutum fuiſſe in veritate. Neque Apoſtoli hunc errorem in Lucæ ſcriptis inuenientes nobis & poſteris ſine emendatione reliquiſſent. Alia argumenta multiplicat contra Caietanum Catharinus loco citato, quibus, vtpote non neceſſarijs, ſuperſedeo.

Refellitur ſuperior ſententia.

D Alijs Hebraicæ veritatis nimium ſtudioſis viſſum eſt, codicem vulgatæ editionis corruptum, additumque fuiſſe totum illud, *Qui fuit Cainam*, ab aliquo ſciolo generationẽ illam apud ſeptuaginta interpretes legente. Ratio verò, qua hi mouentur, vt ita aſſerant, ea eſt. Quoniam Hebraici codices ſunt incorruptiſſimi, ſeptuaginta tamen virorum translatio nimium corrupta, non ſolum in hoc, ſed in alijs innumeris locis, id ſæpius docente Hieronymo, præſertim Cõmentarijs ad cap. 22. Ieremiæ, vbi ait: Si voluero per ſingula loca notare, quanta ſeptuaginta interpretes vel prætermiſſerint, vel mutauerint, longum eſſet recenſere. Pręterea, inquiunt, quia omnes, qui de temporibus ſcripſerunt, illã generationem relinqunt; cum minime poſſit annorum numerus verificari, eaq; poſita cuncta pereat ac deſtruatur ſupputatio.

Aliorum placitum.

Exploditur ſententia poſita.

Sed non conſiderant auctores huius ſententiæ ab antiquis temporibus nos A lectionem, qua noſtra vulgata vtitur, accepiſſe, fuiſſeque antiquiſſimam dubitationem inter antiquos Patres propter generationem Cainam appoſitam. Vnde iſti auctores, dum conantur Lucam cum Moyſe componere, in errorem videntur incidere Marcionis & Anabaptiſtarum, qui hæretici (vt de Marcione refert Ireneus, lib. 1. aduerſus hæres, cap. 29. & Tertulianus, lib. 1. aduerſus eumdem, & Epiphanius, lib. 1. hæreſi 42.) quamuis totum Lucæ Euangelium non reijcerent, (ſicuti Cherintus & Carpocrates reijciebant, docente eodem Ireneo eodem, lib. 1. cap. 24.) illud tamen adulteratum, & in eo aliqua mutata arbitrabantur, peculiariterq; de generatione Caina a Luca adiecta blaſphemabant.

Ioanis Lucidi & aliorũ ſententia.

Ab his non multum diſſentiunt Ioannes Nauclerus, & Hertmanus in ſuis hyſtorijs, referente & approbante eorum placitum Ioanne Lucido, lib. 1. de emendatione temporum, cap. 6. & lib. 7. cap. 1. quos omnes ſequutus eſt his diebus B Didacus Stella ex ordine D. Franciſci, Commentarijs in cap. 3. Lucæ. qui in ea ſunt ſententia, vt dicant, textum B. Lucæ ſic corrigendum, vt pro illo, *Qui fuit Cainam*, legatur, *Qui & Cainam*, commutando particulam, Fuit, quæ nunc eſt, pro dictione, &, quaſi ſit ſenſus: Qui fuit Sale, qui & Cainam, ſcilicet, cognominabatur, qui fuit Arphaxad &c. Quaſi intelligere debeamus fuiſſe duplex Sale nomen. Hi tamen auctores non conſiderant (ſicut neque ſuperiores) ſe fateri vulgatam editionem eſſe corruptam, contradicente Decreto Concilij Tridentin. Neque præterea animaduertunt, fingi non poſſe eumdem fuiſſe Sale & Cainam, vt optime agnouit D. Auguſtinus, lib. 16. de Ciuit. cap. 3. & 10. & S. Thom. in cap. 11. Geneſeos (ſi fortè ille liber eſt S. Thomæ) præſertim ſi ex C editione ſeptuaginta interpretũ illam accepiſſe Lucã generationem exiſtiment; ponunt enim illi annos ætatis Cainam diſtinctos ab annis, quos vixit Sale.

Modus dicendi Lyppomani, et M. Cani.

Quamobrem aliam viam ingreſſus eſt Aloyſius Lyppomanus, Catena in Geneſ. cap. 11. per quam etiam incedit Melchior Canus, lib. 2. de locis, cap. vltimo aſſerentes Spiritum ſanctum occula nobis ratione Moyſis mentem, manumque permouiſſe, vt in Patrum ſerie & ordine enumerando vnam illam generationem Cainam præteriret, quemadmodum quorumdam Patrum nomina Euangeliſta Matthæus in genealogia Saluatoris, Matth. cap. 1. taciturnitate inuoluit, eiuſdemque Spiritus ſancti ſpiritu & inſtinctu ductus Lucas ſeptuaginta interpretes eſt ſequutus; quos licet credere generationem illam Cainam poſuiſſe ſuorum Maiorum traditione, ne vè ethnici, aut gentiles, quibus Lucas D ſcribebat Hebræorum antiquas traditiones, falſitatis arguerent. Recta forſan ſolutio, ſi ſemper cum Catholicis ageretur: ſed cum de hac apparenti contradictione cum Marcione, Anabaptiſtis, & ijs ſimilibus hæreticis pertinacibus nobis concertatio ſit, oportet rationem aliquam congruentem aſſignare, qua videantur non ſibi contradicere, ſed conuenire potius ea teſtimonia, quæ primò intuitu apparent pugnantia: neuè nobis obijciant veræ religionis hoſtes ac Chriſti inimici, Theologos ad inſtinctus Spiritus ſancti, occultaſque motiones confugere, quemadmodum & nonnulli Philoſophos obiurgant atque increpant, quòd ad inſtinctus naturæ, cauſaſque vniuerſales ea, quorum rationem ignorant, reducunt.

Dum cum hæreticis pugnamus, oportet rationem reddere eorum, quæ in nobis ſunt fidei.

Quid

A Quid igitur in hac re dicendum erit? Si enim veteris teſtamenti translationé (qua eccleſia vtitur) liberare nitamur, arguimus Euangeliſtam Lucam apertiſſimæ contradictionis: ſin autem Lucam defendere conemur, vt pote Spiritus ſancti iuuamine ſcribentem, ſuperiorem verſionem vſu eccleſiæ, Decretoque concilij probatam improbamus, incidimusque quodammodo in Scyllam, cupientes vitare Charybdin. Quod accurate inſpiciens Venerabilis Beda, lib. 1. in Lucam cap. 3. & in præfatione Actorum Apoſtolicorum, huic difficultati ſola admiratione ſatisfecit loquens in hæc verba: Maximè miror, & propter ingenij tarditatem vehementiſſimo ſtupore perculſus neſcio perſcrutari, qua ratione cum in Hebraica veritate a Diluuio vſque ad Abraham decem generationes inueniantur, ipſe Lucas, qui, Spiritu ſancto calamum regente, nullatenus falſum B ſcribere potuit, vndecim generationes iuxta ſeptuaginta interpretes, adiecto Cainam, in Euangelio ponere maluit. Hæc Beda. Addimus tamen nos multò maiorem hiſce temporibus admirationis cauſam haberi, quibus tamquàm canonicam & authenticam ſcripturam, decretoque tantorum Patrum roboratam pro veritate Hebraica commutantes vulgatam editionem amplectimur. In qua præfatam generationis Cainam, ſiue redundantiam, ſiue mancam carentiam reperimus. Sæpeſepius mecum ipſe de hac difficultate cum recogitarem, ſe ratio nes offerebant diuerſæ, modo nè quid amplius adderem, quàm in aliorum ſcriptis inueneram, modò vt intellectus vi, ingenioq; meo, Diuino numine adiuto, conquirerem aliquid, quod ſaltem abſurditatem non ſaperet, & dum in dubio erat animus, atque huc & illuc impellebatur, ſeſe obtulit quædam explicatio, C quæ vtinam teſtimonium vtrumque conciliet: Enimuero indecens reputari nō debet in horum conciliatione noui aliquid inquirere & inueſtigare; quia forſan, Deo dante inuenietur, nihilque tentare nocebit. Si tamen nil effecerimus, reſtabit exacta nobis & excuſatio, & conſolatio; quòd in via defecerimus, in qua tot ac tam præclari auctores defecerunt.

Quàm difficilis hæc res viſa fuerit V. Bedæ.

Ad rem ergo vt veniamus, oportet ſupponere ī ordine illo & genealogia, quā Lucas cap. 3. deſcribit, ſemper collocaſſe relatiuum illud, Qui, mediante quo Chriſti auos & proauos ordine diſpoſuit: illud autem relatiuum non ſemper refert perſonam immediate præcedentem, vt docuit D. Hieronymus in lib. de ortu Virginis, & ſcribens aduerſus Iouinianum. Namque Lucas his verbis incœpit ſtirpem illam deſcribere: *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta, vt pu* D *tabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, &c.* in quibus verbis (D. Hieronymo auctore) primum illud relatiuum, Qui fuit Heli, non refert Ioſeph, ſed potius refert Ieſum; quia Lucas non Ioſephi, ſed Mariæ deſcribit proſapiem. Nam cum ipſe Lucas antea cap. 1. narraſſet, Angelum B. Virgini nunciaſſe abſque viri ſemine, ſola tantum Spiritus ſancti obumbratione concepturam: ex quo rectè inferebatur Ioſeph nihil prorſus in generatione Chriſti habiturum, relatis verbis cap. 3. Euangeliſta Lucas tacitæ (vt aiunt) obiectioni; quomodo ſcilicet Chriſtus a Dauide deſcenderet, ſatisfecit, quaſi dicens: Fateor, quòd Ieſus non habuit Ioſeph tamquam verum patrem, ſed ſolum tamquam putatiuum: ſed cum hoc bene ſtat, Chriſtum a Dauid deſcendere; quia Ieſus fuit Heli nepos, & Heli fuit filius Mathat, &c. Quamobrem non ſemper relatiuum, Qui, refert

Pro explicatione ſupponendum eſt.

perſonā,

perfonam, quæ immediate præcefferat. A

Animaduerfione dignum ut dictum eſt. Controuerſia quarta poſitiua.

Illud prætcrea, quod. 4. Controuerfia Pofitiua diximus, in memoriam reducamus oportet, ſæpius in facra Scriptura nomina Hebraica terminationibus carentia, in genitiuo tantum poni abfolutè fine aliquo nominatiuo, vel cafu aliquo neceffariò fupplendo: & tunc fubintelligi debet nomen aliquod, vt integra fit enunciatio, perfectuſque fenfus. Sic intelligitur integra feries à Luca pofita: nam cum dicitur, qui fuit Heli, debet fubintelligi nepos, vt dictum eſt, cùm dicitur: qui fuit Mathat, debet ſabaudiri filius. Aduertendum tamen eft, non femper in illa anumeranda profapie fubintelligi filium, vel nepotem, fed illud debere fubintelligi, quod veram faciat enunciationem & conformem facræ Scripturæ in omnibus locis, inquibus de illa re agitur. Namque, quando in fine illius genealogiæ a Luca dicitur: *Qui fuit Adam, qui fuit Dei*. non fubintelligitur filius, vel nepos: fed debet fubaudiri creatura. B

Explicatur D. Lucas.

Igitur in propofito, cum Lucas ait: *Qui fuit Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxat*, eius inſtitutum non eſt addere vnam generationem (quam malè addiderunt feptuaginta interpretes:) fed voluit vnum è duobus innuere, vel quòd Sale habuerit fratrem nomine Cainam, vel coniugem, ita vt fit fenfus: qui fuit Sale, qui Sale fuit Cainam frater, vel vir, & forfam Lucas Spiritus fancti motione id poffuit, vt notaret obiter &. 70. interpretum errorem, & eius occafionem; qui cum deberent Cainam tamquam fratrem, vel coniugem Sale addere, tamquam eum pofuerunt, in quo alia diſtincta & ponens in numerum generatio explicaretur. Et cum poftea fubditur: *Qui fuit Arphaxad*, relatiuum, Qui, non refertur ad Cainam: fed ad Sale. Neque nouum eſt & inufitatum Euangeliſtas aliquando ponere fratres illius, qui in linea recta collocatur, vt conſtat ex Matth. cap. 1. qui fic afferit: *Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius, Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar, &c.* C

Secunda Explicatio.

Si tamen hæc non placuerint. Ea minus abfona videtur folutio, quæ ponit Sale duplex habuiffe nomen. Ita, vt dici poffit (integra femper ftante Vulgata editione) Euangeliſtam conatum fuiffe explicare cognomen ipfius Sale, quafi fit fenfus: Qui fuit Sale, (qui fuit Cainam cognominatus,) qui Sale cognominatus Cainam fuit Arphaxad. Et iuxta hanc expofitionem dictio illa, Cainam, non erit in genitiuo, fed in nominatiuo; eritque veluti quædam parenthefis totum illud (qui fuit Cainam) Cum qua etiam expofitione fabulofa credenda funt ea, quæ a Septuaginta de generatione Cainam, ac de annorum numero adduntur. Hæc dicta fufficiant. Si cui verò iſta non placuerint de thefauro fuo meliora proferat, quæ gratiffimo animo (vt credo) fufcipientur. D

POSTEIOR CONTROVERSIA SCHOLASTICA pro eodem Proponente, & in ordine quinta.

A *Vtrum in Diuinis ponendum ſit indiuiduum Deitatis; videlicet hic Deus, præintellectum tribus perſonis.*

SVMMA EIVS.

Omnes ferè quotquot indiuiduum Deitatis perſonis præintellectũ ponendum eſſe arbitrantur, illud in Diuina natura ante proprietates relatiuas ſubſiſtere docent. Quapropter de Diuina ſubſiſtentia oportuit multa tradere, ſimulque aperire, ponendas eſſe ſolum tres relatiuas ſubſiſtentias, formaliter non plures perfectiones, ſed vnicam dicentes, ſicut & vnicam exiſtentiam; in Deo enim exiſtentia & ſubſiſtentia differunt. ratione cuius exiſtentia aſſignandũ credimus concretum hic Deus, non quidem ante perſonas ſubſiſtens, bene tamen exiſtens.

B

ÆC controuerſia Metaphyſica, & explicatu difficillima ocaſione cuiuſdam peculiaris ſententiæ, quam aliqui Cardinali Caietano tribuunt, a nobis aſſumpta eſt, vt tenuitate noſtra, quid de ea antiquioribus Theologis, ſimulque & iunioribus viſum fuerit, nec non & nobis tamquam probabilius & verius videatur concedendum, oſtendamus. Ea autem dubitatio adeo cuiuſdam alterius ſibi annexæ & coniunctæ elucidationem expoſtulat, vt ſine ipſa difficilè veritas percipi, aut exacte intelligi valeat: Sit ne ponenda in Deo vnica ſubſiſtentia, ſicut & vnica eſſentia: vel ſint ponendæ tres ſubſiſtentiæ, quemadmodum & tres perſonæ? An C potius vtrumque, vna ſubſiſtentia communis, ſicut eſſentia, & tres ſubſiſtentiæ incommunicabiles, ſicut tres perſonæ? Vtramque ſimul dubitationem ita (fauente Deo) aperire conabimur, vt eius explicatio eam deſiderantibus fiat cognita & manifeſta: ſcientibus verò non ſit infructifera, neque moleſta.

Pẽdet iſta cõtrouerſia ex explicatione illius: An in Deo ſit vnica ſubſiſtentia.

De vtraque igitur Controuerſia tres præcipuæ ſunt viæ; quæ quamuis in vnius explicatione conueniant, in alterius dilucidatione maximè inter ſeſe diſſidẽt. Prima fuit Durandi in 3. diſt. 1. quæſt. 2. quem videtur ſequi Capreolus eadem diſt. quæſt. vnica, art. 3. ad quartum Durandi, Paludani ibidem. quæſt. 2., & Deza Hiſpalens. in 1. diſt. 26. quæſt. 1. art. 2. qui tamquam probabilius tenẽt, in Deo ſolum eſſe vnicam ſubſiſtentiam, ſicut & vnicam eſſentiam. Itaque quemadmodum in Patre, Filio, & Spiritu ſancto formaliter includitur eſſentia neq; D ea multiplicatur multiplicatis perſonis, ſed ſolum multiplicantur relationes: ita etiam in Patre, Filio, & Spiritu ſancto formaliter includitur ſubſiſtentia, quæ minime multiplicatur multiplicatis relationibus, aut perſonis. Hanc ſententiam tenuiſſe M. Franciſcum a Victoria referunt eius diſcipuli, poteſtque ſequentibus rationibus ſuaderi.

Prima via ponit vnicã ſubſiſtentiam.

Prima, quia S. Thom, docet 1. Part. quæſt. 28. art. 2. & quæſt. 40. art. 2. ad ſecundum, & quæſt. 42. art. 4. ad tertium, & tandem quæſt. 9. de potentia art. 1. ad quartum, & pluribus alijs locis idem eſſe in Diuinis ſubſiſtere, & exiſtere: ſed in Deo tantum eſt vnica exiſtentia & vnicum eſſe; cum exiſtentia ſit quid abſolutum. Igitur tantum erit vnica ſubſiſtentia. Quæ videtur doctrina D. Auguſtini lib. 7. de Trinit. cap. 4. & 5. immo & ſextæ Synodi generalis, actione 4.

Prima ratio eius via.

vbi apertè vna ponitur in Diuinis ſubſiſtentia. Poteſtq; hæc ratio cõfirmari, quoniam in creaturis exiſtere & ſubſiſtere non diſtinguntur neque formaliter differunt. Ergo neque in Deo ratione differunt; ea enim, quæ ſunt diſperſa & diuiſa in creaturis, in Deo vnita & collecta reperiuntur, quanto magis ea, quæ in creaturis non differunt. Cum ergo in Deo vnicum exiſtere intelligamus, ſimiliter & vnicum ſubſiſtere confitebimur.

Secunda Ratio. Inſuper ſubſiſtentia perfectio eſt infinita: igitur tantum debet eſſe vnica in Diuinis perſonis, & non plures. Illatio eſt manifeſta; quia aliàs aliqua perfectio infinita eſſet in vna perſona, quæ non in alia. Antecedens ex eo conſtat, quoniam quæcunque perfectio Dei intrinſece includit eſſentiam diuinam, & omnia eius attributa, inter quæ infinitatis attributum includitur.

Praedicti Doctores non admittunt indiuiduum Deitatis. Sed huius viæ auctores, quamuis concedant vnicam ſubſiſtentiam, non tamen admittunt indiuiduum Deitatis, ſcilicet hunc Deum ſubſiſtentem communem tribus perſonis & ante eas præintellectum. Vt videre eſt apud Durandũ in 1. diſt. 26. quæſt. 1. num. 6. & 7. & apud alios vbi ſupra. Mouentur ad id aſſerendum. *Primum Argument.* Quoniam perſona ſecundum Boetium, lib. de duabus naturis, ſtatim a principio eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia: ſed ſi ponatur illud indiuiduum, eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia. Ergo erit perſona. Quòd ſi reſpondeas, illud indiuiduum eſſe commune tribus perſonis, cum qua communitate non ſtat incommunicabilitas, quæ eſt de ratione perſonæ, ex eo hæc ſolutio deſtruitur, quoniam illud indiuiduum Deitatis ponitur ſubſiſtens a ſuis auctoribus. Ergo debet poni incommunicabile. Conſequentia probatur, nam ſuppoſitum nulla alia ratione ponitur incommunicabile, niſi quia ponitur ſubſiſtens per actum vltimum completiuum ſuppoſiti, ſcilicet per ſubſiſtentiam. Cum igitur illud indiuiduum ponatur ſubſiſtens per ſubſiſtentiam, quæ eſt vltimus actus & complementum ſuppoſiti, erit neceſſariò perſona, dabiturq; iam ante tres perſonas quædã perſona, quæ dicetur hic Deus, quod abſit concedere.

Secundũ Argument. Secundò, quoniam auferre illud indiuiduum Deitatis præintellectum ſubſiſtens ante perſonas eſt maximè conforme modo loquendi Conciliorum & Sãctorum Patrum arguentium contra Neſtorium & Euthychetem; illi enim, vt videre eſt in quinta Synodo generali, cap. 4. & 7. in ſexta Synodo generali actione 4. & 11. in Cõcilio Chalcedonenſi (quod magna Synodus à Græcis vocatur, quia interfuerint 630. Patres) actione. 1. 2. & 3. & in pluribus Concilijs Toletan. vt in Toletano primo in confeſſione fidei, in ſexto, cap. 1. in 8. cap. 10. in 14. cap. 8. & 9. & denique in Toletano 16. in confeſſione fidei, & in pluribus alijs, ex eo quod vnio humanitatis cum Verbo dicatur facta in natura, inferunt non eſſe factam ſecundùm ſubſiſtentiam, & perſonã, & e conuerſo, ex eo quod facta fuerit ſecundùm ſubſiſtentiam, inferunt factam fuiſſe non in natura, ſed in perſona. Quæ illationes vim non haberent, ſi indiuiduum illud Deitatis præintellectum ſubſiſtens ante perſonas poneretur. Cum tunc his omnibus dici poſſet vnionem factam fuiſſe ſecundùm ſubſiſtentiam illius indiuidui Deitatis præintellecti ante perſonas.

Secunda Via ponit tres ſubſiſtentias & Secunda via eſt Alexandri Hallenſis 3. Part. quæſt. 2. membro 3. Bonauenturæ & Ricardi in 3. diſt. 5. exiſtimantium ponendas eſſe tres ſubſiſtentias relatiuas

A uas iuxta numerũ proprietatũ conftituentiũ perfonas, illã verò fubfiftentiã abfolutã communem & fubftantialẽ nullo modo ponendã, neq; tandẽ aßignandũ indiuiduũ illud Deitatis. In duobus primis aduerfantur ifti Doctores priori fententiæ, quamuis cõueniãt in vltimo. Illa duo priora, in quibus differũt ita probãt. *tollit indiuiduũ Deitatis.*

Nam fubfiftentia, hypoftafis, & fuppofitum idem fignificant, vt Theologi communiter docent, quibus affentitur S. Thom. q. 9. de potentia, art. 2. ad octauum & prima parte quęft. 29. art. 2. fed in Diuinis debent concedi tria fuppofita, atque tres hypoftafes. Igitur & tres fubfiftentiæ. Et rurfum præter tria fuppofita concedi non debet quartum aliud fuppofitum abfolutum præcognitum ante perfonas. Ergò neque etiam concedi debet, quarta fubfiftentia abfoluta præintellecta ante proprietates relatiuas. *Probant tres effe tantũ fubfiftantias.*

B Vltimum verò, in quo cõueniunt, dũ auferunt indiuiduũ illud Deitatis probant, ex eo, quod fi tale indiuiduũ poneretur præintelligeretur fubfiftens in natura Diuina, fed fi ita ponatur fequitur illud indiuiduũ non poffe prædicari de Patre, Filio & Spiritu fancto, quoniã, vt docuit D. Auguft. lib. 2. de Trinit. cap. 10. quem fequitur S. Thom. quęft. 9. de potentia, art. 3. ad quintum, ex eo quod aliquid eft fubfiftens de pluribus prædicari non poteft, ergo illud indiuiduum Deitatis cum ponatur fubfiftens, de Patre, Filio, & Spiritu fancto non prædicabitur, quod abfurdum eft. Vnde ex eo colligimus cum S. Thom. 3. Part. q. 3. art. 1. ad fecundum, perfonam aliquam non poffe pluribus perfonis communicari, etiam per potentiam Dei abfolutam; quia non poteft de pluribus perfonis prædicari, cum fit per fe fubfiftens: natura autem, quantum cunque fit fin- *Probant non effe indiuiduũ Deitatis.*

C gularis, adhuc creata poteft (faltem per diuinam potẽtiam) de pluribus perfonis prædicari, ab eisque affumi, atque proinde valet pluribus perfonis communicari. Nullo ergo modo ponendum eft illud indiuiduum Deitatis.

Tertia demũ via fuit aliquorũ (vt refert Durandus in 1. dift. 26. q. 1. nu. 5.) fuit & Scoti in 3. dift. 1. q. 2. in fine illius §. qui incipit: Ad quæftionem igitur dici poteft. Sequuntur eamdẽ plures ex Iunioribus Thomiftis, inter quos numerant eius difcipuli Magiftrum Cano. Omnes afferunt, ponendas effe tres fubfiftẽtias relatiuas, quarũ fingulæ funt intrinfece inclufæ in proprietatibus relatiuis, quæ conftituunt perfonas, & vnicam fubfiftentiam abfolutam communem tribus perfonis, ratione cuius fubfiftentiæ abfolutæ præintellectę perfonis ponendum effe colligunt vnum fingulare fubfiftens in natura diuina; nempe hic Deus. Se- *Tertia via ponit tres fubfiftentias relatiuas, & vnicam abfolutã & indiuiduũ Deitatis.*

D quutus eft hanc fententiam Caietanus prima Part. q. 39. art. 4. & 3. Part. quęft. 2. art. 2. & quæft. 3. art. 2. Neque in hac fententia fuit fingularis Caietanus, vt aliqui putant, fuit verò fingularis in eo, quòd ijs quæ retulimus, addidit indiuiduum Deitatis dici poffe perfonam quamdam incompletam; quoniam ad rationem perfonæ folum illi deeft complementum incommunicabilitatis, reliqua alia, quæ requiruntur ad rationem perfonæ habet, cum fit fubftantia indiuidua & rationalis. Rationes quibus vtitur hæc fententia, funt iftæ. *Illud indiuiduum Caietanus vocat perfonam incompletam.*

In primis in fubftantijs effe & fubfiftere non diftinguntur, vt conftat ex S. Thom. qui 3. Part. quæft. 17. art. 2. ex eo, quod in Chrifto eft vnicum fubfiftere, colligit in eodem folum reperiri vnicum effe, feu exiftere. fed in Deo eft vna exiftentia effentiæ conueniens, ficut vna fapientia, vt innuit S. Thom. 1. *Prima Ratio pro ifta tertia fententia.*

Part. quæſt. 39. art. 3. Ergo & erit vnica ſubſiſtentia eſſentialis præter tres relatiuas: atque ita poterit præintelligi natura diuina ſubſiſtens ante perſonas, & per conſequens erit ponendum illud indiuiduum, hic Deus, ſubſiſtens. Quæ omnia maxime confirmat dictum illud S. Thomæ 3. Part. quæſt. 17. art. 2. ad tertium, Perſonæ (ait) diuinæ habent vnum eſſe, ſeu exiſtere exquo facilè vnum infertur ſubſiſtere. A

Secũda ratio. Secundò: Natura diuina ex ſe habet omnes perfectiones ſimpliciter, neque mendicat aliquam perfectionem a ſuppoſito, ſicut natura creata: at verò ſubſiſtentia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, cũ in quolibet melior ſit ipſa, quàm nõ ipſa, iuxta definitionẽ Anſelmi, Monologion. 15. Igitur natura Diuina ex ſe habet ſubſiſtentiam, & perconſequens naturæ Diuinę præintellectæ ante perſonas conuenit, quod ſit ſubſiſtens & hic Deus. Confirmat hãc rationem communis B Theologorũ ſententia, ſecundùm quã in hoc differt natura creata a natura Diuina, quòd creata habet eſſe a ſuppoſito, Diuina verò tribuit ſuppoſitis ſubſiſtẽtiã, & hoc ideò eſt, quia eſſe, Ad, vt ſic nõ dicit ſubſiſtere, ſed potius illud habet ab eſſentia. Igitur natura Diuina præintellecta perſonis ſubſiſtentiam habet, ratione cuius aſſignari poterit & præintelligi hic Deus ſubſiſtens.

Tertia ratio. Deinde tertiò agere ad extra eſt commune toti trinitati: ſed actiones ſunt ſubſiſtentium. Ergo actio ad extra ab aliquo ſubſiſtente communi toti trinitati debet procedere: ſubſiſtens verò commune aſſignari non poteſt aliud, quàm hic Deus. Ponẽdũ ergo erit indiuiduũ Deitatis ſubſiſtens ſubſiſtẽtia abſoluta. Hinc eſt, quod iſtæ propoſitiones, Deus creat, Deus gubernat, Deus elargiť gratiã, & aliæ ſimiles, exquiſite explicantur poſito indiuiduo illo ſubſiſtente, illud tamen C ſi auferas, obſcuræ, & fere in intelligibiles atq; explicatu difficillimæ remanent.

Quarta ratio. Quartò: Prius nos intelligimus hanc Deitatem indiuiduam & ſingularem, quàm intelligamus Patrem, Filium, & Spiritum ſantum, ſed omne abſtractum habet ſuum concretum Ergo quemadmodum antequam intelligamus perſonas, præintelligimus hanc Deitatẽ, ſic etiam debemus præintelligere hunc Deũ: ſed non poteſt eſſe hic Deus, niſi ſit ſubſiſtens. Igitur ante perſonas, & ante ſubſiſtentias relatiuas datur hic Deus ſubſiſtens per ſubſiſtentiam abſolutam. Conſequentia eſt clara; nam cum nondum cognoſcantur relationes, per abſolutam ſubſiſtentiam erit neceſſariò ſubſiſtens.

Quinta ratio. Preterea quintò in Diuinis vnus eſt Deus communis tribus perſonis, vt conſtat ex illo Athanaſij, Non tres Dij, ſed vnus eſt Deus. Ergo ſimiliter in Diuinis D erit hic Deus communis tribus perſonis. Conſequentia eſt manifeſta, quoniam non magis ponit in numerum dictio, hic, quàm, vox, vnus: atqui vnus Deus præintelligitur ante perſonas ſicut vna Deitas. Ergo hic Deus præintelligitur ante illas, ſicut hæc Deitas.

Vltima Ratio Denique in Diuinis omne commune prius eſt & præintelligitur ſecundùm noſtrum modũ intelligendi, quàm ea, quæ ſunt incommunicabilia: at hic Deus eſt cõmunis tribus perſonis; cũ Pater ſit hic Deus, Filius & Spiritus ſanctus ſint hic Deus. Ergo ponendũ erit indiuiduũ illud (hic Deus) præintellctũ perſonis.

Præmitten. primo pro dilucidatione. Sed pro horum manifeſtatione illud oportet primò præmittere, ſubſtantiã; ſcilicet, vt ex Ariſtot. 5. Metaph. tex. 15. conſtare poteſt, aliquando pro eſſentia &

A tia & quidditate accipi; qua ſignificatione in Concilijs Toletan. ſæpe reperietur, in Deo tantum eſſe vnam ſubſtantiam & non tres, preſertim in Concil. 11. in confeſſione fidei. Et aliquando pro prima ſubſtantia, ſuppoſito, ſiue ſubſiſtentia accipitur. Vnde Hilarius lib. de Synodis aſſerit ſe cuidam interfuiſſe Cõcilio, in quo in Diuinis admiſſæ ſunt tres ſubſtantiæ. Similis eſt apud Græcos illius nominis hypoſtaſis æquiuocatio, vt docuit Nizephorus lib. 10. hiſtoriæ c. 15. (eſt enim idem apud Latinos ſubſtantia, quod apud Græcos, hypoſtaſis) qua re ſignificat aliquando eſſentiam & quidditatem. Et ob eam cauſam Hieronymus in epiſt. ad Damaſum de fide Catholica, ſcribens renuit concedere tres hypoſtaſes in Diuinis, quia tres, inquit, ſubſtantiæ non conceduntur. ſimiliter & Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 9. & lib. 6. cap. 4. Significat preterea ſubſiſtentiã & B ſuppoſitum, atque ita in 6. Synodo generali, præſertim actione 11. ſępe vbi Græce eſt hypoſtaſis, Latine translatũ eſt, ſubſiſtẽtia. Quare Sophronius in cõfeſſione ſuæ fidei: Trinitatem, inquit, in vnitate credimus, & in trinitate vnitatẽ glorificamus, trinitatẽ quidem pro tribus ſubſiſtentijs, (Græce eſt hypoſtaſibus) vnitatem autẽ, pro ſingularitate Deitatis. Hinc eſt, quod aliquando vbi ſubſtãtiam interpres vertere debuiſſet pro hypoſtaſi, ſubſiſtentiã transferre potuerit, & e contrario. Sic videmus in Concil. Epheſino in Anathematiſmo 3. Cyrili, vbi ſic habetur: Si quis in vno Chriſto diuidit ſubſtantias poſt vnitionem ſola eas connexione coniungens, quæ ſecundùm dignitatem eſt, vel etiam auctoritatẽ aut poteſtatem, ac non potius conuentu, qui per vnitatem factus eſt naturalem; Anathema ſit. Quo loco vbi interpres tranſtulit, ſubſtantias intra textum, in C margine (ſed ineptè quidem) in aliquibus Codicibus correctio ponitur, & legitur, ſubſiſtentias. Sed quamuis temporibus D. Hieronymi & Auguſt. propter Arium, Sabellium, & alios hæreticos caute loqui oporteret ratione prædictæ æquiuocationis, longa tamen Theologorum aſſuetudine, vſuſque eccleſiaſtici acommodatione introductum eſt, vt per ſubſtantiam, eſſentiam & quidditatem accipiamus; per hypoſtaſim, perſonam, ſiue ſubſiſtentiam intelligamus. Pro quo videatur Boetius, lib. de duabus naturis propè medium. De nomine autem ſubſiſtentiæ, numquàm talis æquiuocatio audita eſt, neque vſquam ſumpta ſubſiſtentia pro quidditate & eſſentia, ſed pro principio per ſe exiſtendi.

Supponatur ſecundò in Diuinis ſolũ reperiri vnum eſſe, ſeu exiſtere, ſicut & vna eſſentia, ſapientia & bonitas. docuit id S. Thom. multis in locis, præcipue D Prima Parte, quæſt. 3. arr. 4. & quęſt. 39. art. 3. vbi licet concedat tres ſapientes, & tres exiſtentes, docet eſſe vnam ſapientiam, & vnam exiſtentiam. Ob eamque cauſam Auguſtinus, lib. 5. de Trinit. cap. 7. docuit idem eſſe quo Pater eſt Deus, & quo eſt, quaſi diceret per eamdem eſſentiam Patrem eſſe Deum, & exiſtere. Idẽ etiam expreſſe habetur in Concil. 16. Toletan. in confeſſione fidei, vbi his verbis loquitur Concilium: Quibus eſt vnum eſſe in Deitatis natura, illis eſt in perſonis diſtinctione proprietas. Hinc prouenit hanc vulgò aſſignari differentiam inter Deum & creaturas, quod exiſtentia ſit de eſſentia Dei, eique intrinſeca ac eſſentialis, in creaturis verò extra ipſarum eſſentiam reperiatur. *Supponitur ſecundo.*

Deniq; ſupponimus in ſubſtantijs creatis p ſe exiſtere, & ſubſiſtere nõ diſtingui, quãuis verũ ſit, ꝙ ſubſiſtere reſpectu illarũ poſſit dupliciter sũmi. Primò, vt *Supponitur vltimo.*

 diſtin-

diſtinguitur contra eſſe in ſubiecto ad modum, quo Ariſt. loquitur de eſſe in ſubiecto cap. 2. Antepraedicamentorum, nempè inhærendo illi; quomodo partes ſubſtantiæ dicuntur ſubſiſtere: quia non ſunt in ſubiecto: ſolum enim accidentia hoc modo dicuntur eſſe in ſubiecto. Alio modo dicitur ſubſiſtere, eſſe quod dicit independentiam naturæ completæ in ſuo actu vltimo, & de hac ſubſiſtentia loquimur quotieſcunque de ſubſiſtentia ſuppoſitorum eſt ſermo. In Diuinis verò per ſe exiſtentia & ſubſiſtentia diſtinguntur, quia exiſtentia conuenit naturæ diuinæ, quæ eadem natura diuina cum illa exiſtentia communicari poteſt tribus perſonis, ſubſiſtentia vero primariò perſonis conuenit, cum ſit principium incomunicabilitatis. Vnde ſubſiſtentia tam in creaturis, quàm in Deo eſt quod intrinſecè conſtituit ſuppoſitum tamquam vltimus terminus, & vltima actualitas. Quidquid falsò dicant Caietanus 3. Part. quæſt. 4. art. 2. & Ferrara. lib. 4. contra Gent. cap. 43. aſſerentes entitatem quamdam realiter diſtinctam a ſubſiſtentia (quam vocant perſonalitatem) conſtituere perſonam; multiplicant ſiquidem entitates ſine neceſſitate: ſemper enim apud omnes prima ſubſtantia, ſuppoſitum, hypoſtaſis, & ſubſiſtens pro eodem omnino habētur. Cum ergo ſit ratio conſtitutiua ſubſiſtentia, vt ſic, ipſa ſubſiſtentia erit etiam & ipſius ſuppoſiti, vt ſic: atque ita S. Thomas quotieſcunq; de eo, quod addit ſuppoſitum ſupra naturam loquitur, numquam alterius mentionem facit, quàm ſubſiſtentiæ. Sed de hoc alibi (Deo fauente) latius. His præhabitis.

Prima propoſitio conformis dictis Cōciliorum.

Sit prima propoſitio contra auctores prioris ſententiæ: In Diuinis ponendæ ſunt tres ſubſiſtentiæ relatiuæ. Colligitur hæc aſſertio ex innumeris Concilijs, que dum de Trinitate loquuntur, tres ſubſiſtentias, ſicut tres ſubſiſtentes, concedunt. Vt videre eſt in quinta Synodo generali, cap. 1. *Si quis* (inquit Conciliū) *non confitetur, Patris ac Filij & Spiritus ſancti vnam eſſe Deitatem in tribus ſubſiſtentijs adorandam; Anathema ſit*. Idem aſſeritur cap. 4. 5. & 8. & in ſexta Synodo generali, action. 11. ita dicitur: *Trinitatem credimus pro tribus ſubſiſtentijs, & vnitatem adoramus pro ſingularitate Deitatis*. Similia verba habentur action. 4. 10. 13. & 18. Idem colligitur ex Concil. Lateranenſi ſub Martino Primo cap. 1. Docuit idem Hieronymus ſcribens ad Damaſum, & refertur eius ſententia. 24. q. 1. cap. Hæc eſt fides, vbi ita loquitur: *Impietatem Sabelij fugientes, tres perſonas diſtinguimus, hypoſtaſes, id eſt, ſubſiſtentias confitemur*. Damaſcenus itidē lib. 3. fidei Orthodoxæ, cap. 3. 4. 7. & 10. & Cyrillus Alexandrinus lib. 8. contra Iulianum. Iuſtinus Philoſophus & Martyr lib. de Trinit. ſtatim in principio, & Demum Iſichius antiquiſſimus auctor in cap. 5. Leuitic. vnanimes idem aſſerunt.

Ratione probatur.

Ratione inſuper probatur poſita propoſitio: Quia ſi ſolum poneremus vnicam ſubſiſtentiam in omnibus perſonis, repugnaret vnam perſonam ſine alijs carnem ſibi hypoſtaticè vnire; quod aſſerere eſſet hæreticum. Conſequutionem probo: Quoniam natura aſſumenda deberet terminari per ſubſiſtentiam. Si ergo ſolum eſſet vna ſubſiſtentia in omnibus perſonis, vnica eſſet ratio immediata terminandi illam naturam, in omnibus perſonis exiſtens, atque ita omnes neceſſariò terminarent. Quod ſi reſpondeas, vnam perſonam differre ab alia per relationem, & ita poſſe vnam perſonam ſine alia terminare naturam aſſumptam propria ſua relatione. Hoc facilè deſtruitur; quoniam per eſſe, Ad, præciſe perſo-

A ſe perſona non habet terminare; ſed ſolum facere differre: per ſubſiſtere verò habet hypoſtaticè vnire. Si ergo ſolum eſt vna ſubſiſtentia, ſolum erit vnica ratio aſſumendi, & per conſequens qualibet perſona aſſumente naturam creatá, aliæ neceſſario aſſumerent.

Deinde, vt docuit Ricardus lib. 1. de Trinit. cap. 11. in illa definitione Boetij: Perſona eſt rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, ſubſtantia ibi, pro ſubſtantia propriam habente ſubſiſtentiam accipitur, aliàs humanitas Chriſti perſona eſſet, cum ſit rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia: quoniam verò ea humanitas non habet propriam ſubſiſtentiam, inde concedimus non eſſe perſonam. Tunc ſic arguo. Ratio formalis ob quam aliquid in ratione ſuppoſiti, aut perſonæ conſtituitur, eſt ſubſiſtentia, quoniam per eam habet incommunicabili-
B tatem: ſed in Diuinis ſunt tres rationes incommunicabiles perſonarum conſtitutiuæ. Ergo & tres ſubſiſtentiæ, ſunt enim tres relationes in Diuinis formaliter ſubſiſtentes.

Secunda propoſitio contra auctores tertiæ viæ: Quamuis in Diuinis ſit ponẽda vnica exiſtentia abſoluta, poni non debet quarta illa ſubſiſtentia abſoluta & eſſentialis ratione differens a tribus ſubſiſtentijs relatiuis. In priori parte aſſertionis; qua in Deo ponitur vnica exiſtentia abſoluta, cõueniunt omnes, abundeq; ſatis probauimus ſupra Notab. 2. Poſteriorem tamen propoſitionis particulam, quæ quartam tollit, & abſolutam ſubſiſtentiam, ſic conuinco. primò, quia Sacra Concilia & Sancti Patres pro eodem habent in Deo tres eſſe perſonas, & tres eſſe ſubſiſtentias. Itidem vnionem Verbi Diuini factam fuiſſe in perſona, seu hypoſ-
C taſi, & factam in subſiſtentia. Ergo ex illorum ſententia perſona & ſubſiſtentia connexa neceſſariò ſunt, ita vt vnum eſſe non poſſit, immo nec intelligi ſine alio, ſed in Deo non datur quarta perſona, aut hypoſtaſis abſoluta præintellecta ante perſonas a Patre, Filio, & Spiritu ſancto diſtincta. Ergo neque quarta ſubſiſtentia abſoluta. Primum antecedens præter ea, quæ in prima ratione proprima propoſitione adducta fuere, apertè colligitur ex Epiſtola Sophronij, quæ tamquam catholica à ſexta Synodo generali eſt recepta, & recitata actione vndecima; in ea enim aſſeritur Sabellianorum errorem eſſe, in vnam ſubſiſtentiam tres perſonas confundere, quaſi vellit explicare ſubſiſtentiam & perſonam idem eſſe, & vna multiplicata, neceſſariò debere aliam multiplicari.

Secunda Propoſitio.

Probatur primo.

Secundò, ſi ſubſiſtentia conuenit Deitati, quia eſt perfectio ſimpliciter ſim-
D plex. Ergo quemadmodum aliæ perfectiones ſimpliciter ſimplices non multiplicantur ad multiplicationem perſonarum, ſic neque ſubſiſtentia multiplicatur, contra Concilia & Sanctos Patres.

Secundo probatur.

Sed Reſpondet ijs Caietanus 3. Part. quæſt. 3. art. 2. circa ſolutionem ad tertium aſſerens, ita ſe habere ſubſiſtentiam in Diuinis quemadmodum ſe habet dictio Res. Ponimus enim in Diuinis vnam rem, & tres res; vnam propter aſſentiam; tres propter perſonas: eodem modo concedimus tres ſubſiſtentias propter tres relationes ſubſiſtentes, & vnicam ſubſiſtentiam, propter vnicam exiſtentiam. Hæc verò Caietani ſolutio parum, aut nihil prodeſt, quoniam nomen Res, in Diuinis eſt tranſcendens, ob eamque cauſam & prædicatur de abſoluto, & etiam de relatiuo: & rurſum numerari poteſt ſecundum vtriuſque nume-

Solutio Caietani ad prꝗſtꝗ.

Redargutio.

numerationem: alia verò, quæ non ſunt tranſcendentia, ſed vel ſunt abſoluta, A ſicut ſapientia, bonitas, iuſtitia &c. vel ſunt reſpectiua, vt perſona, paternitas, & ſubſiſtentia, debent etiam numerari, ſi ſint abſoluta, ſecundùm Deitatis vnitatem: ſi vero reſpectiua, ſecundùm perſonarum multiplicationem. Quam obrem concedimus vnam bonitatem & non tres: e conuerſo tres eſſe relationes cõſtitutiuas affirmamus, & non vnam tantum. Cum ergo ſubſiſtentia ſit conſtitutiua perſonæ tamquam eius vltimus actus, tres tantum debent concedi ſubſiſtentiæ relatiuæ iuxta numerum proprietatum perſonalium, & non vna abſoluta, iuxta vnitatem exiſtentiæ, & contrarium aſſerere eſt anſam hæreticis præbere, vt de quolibet alio attributo diuino ſimiliter loquantur, aſſerentes tres eſſe bonitates relatiuas, & vnam abſolutam; tres ſapientias incommunicabiles, & vnã communicabilem, immo hac ratione Sancti Patres & Concilia ſacra aduerſus B Sabellium & Arium proceſſerunt, aſſerentes in Diuinis eſſe vnum, & tria. Vnũ ſecundùm eſſentiam: tria verò propter tria ſuppoſita, & tres ſubſiſtentias, præcauentes ne cum diceretur, Vnum & Tria, ſecundum idem intelligeretur. Igitur ſi ſecundùm numerum perſonarum multiplicatur ſubſiſtentia in Diuinis iuxta Concilia, ſecundum eamdem ſubſiſtentiam, non poterit concedi vnum. Atque ita cum ſupra in priori propoſitione aſſeruimus, tres eſſe ſubſiſtentias relatiuas, non addidimus particulam illam; Relatiuas, vt ſignificaremus, aliam eſſe ſubſiſtentiam abſolutam, ſed vt explicaremus, in Diuinis ſubſiſtentiam dicere relationem.

Pro Caietano ſi quis dicat, vt videntur dicere Herbeus, Palude et Carranza.

Poſſet adhuc aliquis in fauorem contrariæ ſententiæ reſpondere, ſicut videntur dicere, Herbeus tractatu de relationibus, quæſt. 3. part. 1. in fine, Paludanus C in 3. diſt. 1. quæſt. 2. in ſolutione 1. argumenti contra Durandum, & Archiepiſcopus Toletan. Bartholomæus Carrãza in ſumma Conciliorum, dum refert verba ſextæ Synodi generalis action. 2. in profeſſione fidei Sophronij) ſubſiſtẽtiam eſſe nomen æquiuocum, & ſignificare exiſtentiam cõmunicabilem, eſſentialem, & abſolutam; & præterea ſignificare ſubſiſtentiam perſonalem, & incommunicabilem, quamobrem quoties Concilia aſſerunt tres eſſe ſubſiſtentias, & humanitatẽ vnitam ſecundùm ſubſiſtentiã ſiue perſonam, & alia huiuſmodi, intelligunt de ſubſiſtentia relatiua incõmunicabili & perſonaliter ſumpta: dũ verò ſupradicti Doctores affirmant, Deitatem ante perſonas ſubſiſtere, intelligunt de exiſtentia eſſentialiter ſumpta, abſoluta & cõmuni. Atq; ita cum ſubſiſtentia ponatur nomen æquiuocum, ſecundùm aliam ſignificationem erit vna, D & terminus eſſentialis, & perfectio ſimpliciter, & ſecundùm aliã erit multiplex, &, incommunicabilis relatio. Si tamen hæc ſolutio recte inſpiciatur, intuebitur quiſque, eam non ponere Deitatem ſubſiſtentem, præintellectam perſonis

Ea ſolutio eſt contra Caietani ſenſum.

ſed exiſtentem: quod tertia ſententia non admitit. Etenim Caietanus a natura præintellecta, ſine ſubſiſtentia (etiam ſi illa cum exiſtentia conſideraretur) non ſumeret concretum illud, hic Deus; quoniam idem eſſe arbitratur ponere hunc Deum, & ponere Deum ſubſiſtentem in natura diuina. Tum etiam quoniam præfata exiſtentiæ æquiuocatio fictitia eſt, & contra modũ loquendi Conciliorum introducta. Potius ergo aſſerendum erit, ſubſiſtentiam ſemper proprietatem relatiuam includere, & ſecundùm illius multiplicitatem numerari. Ex

A quibus omnibus non erit difficilè sequentem inferre aſſertionem.

Tertia propoſitio: Non eſt ponendum indiuiduum Deitatis præintellectum ſubſiſtens ante perſonas. Præter auctores, quos ſupra citauimus in fauorem huius ſententiæ, tenet eam Magiſter a Chriſto monachus Heremitarum D. Auguſtini, lib. 2. ſuarum prælectionum de Incarnatione, quo loco periculoſam eſſe arbitratur contrariam ſententiam, adminus ego eam appellauerim non conformem modo loquendi Conciliorum; quoniam, vt ſupra probatum reliquimus, ante Patrem, Filiũ & Spiritum ſanctũ & ante proprietates relatiuas non poteſt intelligi ſubſiſtentia; cum nõ poſſit cognoſci id, quo vltimo terminatur, & cõpletur perſona: ſed, vt fatentur auctores oppoſitæ ſententiæ illud indiuiduum Deitatis neceſſariò eſt ſubſiſtens. Igitur repugnat tale indiuiduum præcognoſci ante perſonas. Non eſt ergo ponendum indiuiduum, hic Deus, eo modo, quo illi auctores fingunt. Hanc eamdem propoſitionem ſufficienter probant ea argumenta, quibus vtebantur auctores primæ & ſecundæ viæ, vt refutarent indiuiduum Deitatis, quæ ne moleſtus ſim, non repeto. *Tertia Propoſitio.*

B

Sed Dubitabit aliquis, & non immeritò, circa id, quod toties in probationibus harum propoſitionum affirmauimus de ſubſiſtentia in Diuinis. Namque ſæpeſæpius diximus ſubſiſtentiam eſſe rationem conſtitutiuam diuinæ perſonæ, diſtinguique a Dei exiſtentia. Quæ ſanè primo intuitu videntur falſa. Quoniã in hoc diſtinguitur perſona creata a diuina perſona, quod creata in eſſe perſonæ per ſubſiſtentiam conſtituitur tamquam per vltimum actum, vt contra Caietanum Notab. 3. tetigimus, at perſona diuina per proprietatem relatiuam; paternitatem ſcilicet, ſeu filiationem conſtitui, cum S. Thom. 1. Part. quæſt. 40. art. 2. hoc loco ſupponimus: ſed proprietas relatiua & ſubſiſtentia non ſunt omnino idem; quoniam, vt docuit Auguſtinus lib. 5. de Trinit. cap. 6. & lib. 7. cap. 4. vnumquodque per ſubſiſtentiam eſt ad ſe, quantò magis Deus, per relationẽ autem eſt ad aliud. Igitur non eſt idem, perſonam diuinam conſtitui per ſubſiſtentiam, & per relationem. Tum etiam ſecundò, quoniam oportet aſſignare, quodnam diſcrimen verſetur inter exiſtentiam, & ſubſiſtentiam in Deo. Illud enim huc vſque non eſt explicatum, difficilèque explicari poſſe videtur. Reſpõdetur non eſſe huius loci circa rem hanc late diuagari, ſat ſit ſupponere (vt ſupra Controuerſia Scholaſtica prima vidimus) proprietatem perſonalem in Diuinis formaliter dicere ſubſiſtentiam; quoniam relationes diuinæ ſunt rationes formales ſubſiſtendi. Vnde S. Thomas art. illo ſecundo citato in argumento ad quartum & latiſſimè Caietanus art. 4. eiuſdem quæſtionis, docent relationem conſtituere ſuppoſitum, prout dicit vltimum actum, quo terminatur & completur ſuppoſitum, dicit autem vltimum actum, prout exprimit ſubſiſtentiam. Quapropter non eſt diſcrimen inter diuinas perſonas, & creatas; quia creatæ per ſubſiſtentiam conſtituantur: diuinæ verò non, immo quæcunque ſuppoſita adhuc diuina per ſubſiſtentiam conſtituuntur. Hoc tamen eſt pecculiare in diuinis ſuppoſitis, quòd ſubſiſtetia, per quam vnum quodque conſtituitur, eſt formaliter relatio: in creaturis autem eſt quid abſolutum. Relatio enim diuina ſecundùm proportionem ſe habet, ſicut relatio realis in craturis; quemadmodũ enim in relatione reali (quæ eſt vnica ratio formalis, vniuſque cõceptus ſimplex *Dubitatio circa prædicta.* *Solutio eius.*

C

D

prædica-

prædicamenti relationis) includitur intrinsicè esse, In, & esse, Ad, ita vt quocunque horum deficiente non saluetur quidditas relationis realis: Sic etiam in relatione diuina & proprietate relatiua est esse, Ad, & est existere diuinum correspondens illi esse, In, ita vt quocunque illorum non intellecto, non possit cognosci proprietas relatiua in Diuinis. Hinc euenit, quòd subsistentia, & relatio diuina sint idem; quoniam relatio diuina dicit intrinsicè esse, Ad, & existere. Itẽ subsistentia diuina dicit intrinsicè existentiam cum relatione; cum in hoc differat existentia a subsistentia (vt statim dicemus) quòd subsistentia dicit relationem intrinsicè, quam non dicit existentia secundũ nostrum modum intelligendi. Sed quamuis hæc ita se habeant, nomen subsistentiæ magis exprimit existere, quàm relationem: & econtrariò nomen proprietatis relatiuæ, seu relationis diuinæ magis exprimit esse, Ad, quàm existere: quamuis vtraque vtrumque intrinsicè includat. Ob eamque causam verum est dicere cum D. Augustino locis citatis, per subsistentiam aliquid esse ad se; quoniam per subsistentiam magis exprimitur existentia personæ, quę constituitur. Hęc omnia fusiùs examinare a nostro instituto esset alienum, sufficiat obiter tetigisse.

De hoc etiam vide 1. Controuersia prima Scholastica.

Cum Rursus inquiritur & indagatur differentia inter existentiam diuinam & subsistentiam, asserendum est existentiam a subsistentia differre, sicut in Diuinis differt absolutum a relatiuo, & sicut essentiale a personali. Quoniam existentia in Deo a nobis cognoscitur ante personas; etenim ante Patrem, Filium, & Spiritum sanctum pręintelligimus, Deum esse purum actum, rationeque naturali cognoscimus, Deum habere esse, seu existere identificatum suæ essentiæ. Nam cum Deus sit prima causa, eius esse non potest ab alio causari: atque ita necessariò per propriam essentiam debet Deus existere. At verò subsistentia dicit existentiam cum relatione constitutiua personæ; quoniam subsistentia est vltimus actus, quo ad nostrum modum cognoscendi terminatur & completur persona, sed non terminatur neque completur persona, nisi per relationem diuinam. Igitur non possumus in Diuinis a subsistentia separare proprietatem relatiuam, neque prius intelligere subsistentiam, quàm relationem. Ponimus ergo tres subsistentias, sicut tres propiætates relatiuas constitutiuas personarum, & vnicam existentiam absolutam, sicut vnum purum actum nequaquam potentia passiua admixtum.

Discrimen inter existentiã & subsistentiam in Deo.

Quarta propositio: Non solum est improbabile, verum & periculosum asserere esse indiuiduum Deitatis, tamquam personam incompletam, ante Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; estque omnino ille loquendi modus fugiendus tamquam perniciosus. Et in hac assertione fere omnes Iuniores contra Caietanum conueniunt. Nam de ratione personæ, secundùm omnes, est vltimum complementum naturæ, vt inter plures alios docuit S. Thom. 3. Part. quęst. 2. art. 3. ad secundum. Igitur implicat, esse personam sine complemento: sicut implicat esse hominem, aut intelligi sine rationalitate. Erit igitur implicatio in adiecto dicere, indiuiduum Deitatis esse personam incompletam, sicut asserere Petrum esse hominem irrationalem.

Quarta Propositio.

Preterea, quoniam illa persona incompleta vel est propriè persona, vel non. Si est propriè persona. Ergo propriè loquendo sunt in Diuinis quattuor personæ, quod

A næ, quod eſt hæreticum. Si non eſt proprie perſona. Ergo merum figmentum eſt dicere eſſe perſonam incompletam. Probatur hæc conſequentia; quia id, quod proprie non eſt tale, non eſt vere tale, ſicut quod proprie non eſt homo vel album, non eſt vere homo, ſeu album: ſi ergo non eſt proprie perſona, nõ erit vere perſona. At verò figmentum eſt dicere aliquid eſſe perſonam, quod vere perſona non eſt, præſertim cum addito omnino deſtruente eſſentiam perſonæ. Sicut figmentum eſſet aſſerere, hominem eſſe leonem rationalem; ſi enim leo, quo modo rationalis? & ſi rationalis, quomodo leo?

Si verò pro Caietano reſpondeas, illud indiuiduum Deitatis eſſe proprie perſonam incompletam, ſed non proprie perſonam. Contra hoc ſic arguitur, ſequitur ſaltem in Diuinis eſſe quattuor perſonas, quarum vna eſt perſona in- *Si quis pro Caietano reſpondeat.* *Redargutio.*
B completa, & reliquæ completæ, atque ita quattuor ſuppoſita erunt in Diuinis. Forſitan dices, Caietanum nequaquam ponere quartum conſtitutum realiter a tribus perſonis diſtinctum; hoc enim eſſet hæreticum, ſed ſola ratione diſtinctum, quamobrem non ponit in numerum, ſed cum alijs perſonis identificatur & in illis includitur. Sed hæc fuga eſt, non ſolutio. Quoniam in Diuinis etiam ſi relationes reales non ſint omnes inter ſe realiter diſtinctæ: tamen ponunt in numerum; ideoque cum S. Thom. 1. Part. quæſt. 28. art. 4. concedimus eſſe in Deo quattuor relationes reales, quamuis non ſint quattuor realiter inter ſe diſtinctæ. Ergo quamuis illud indiuiduum Deitatis non ſit realiter a tribus perſonis diſtinctum, ſi tamen rationem aliquam perſonæ participat, poterit quaternarium numerum perſonarum conſtituere, quod abſurdum eſt di-
C ctu. Nullo ergo modo concedendum eſt, illud indiuiduum Deitatis eſſe perſonam adhuc incompletam.

Hanc autem perſonam incompletam cum videret Magiſter Cano nouiter a Caietano introductam, conſideraretque in ijs diuinis rebus, & aliis ſimilibus nouas loquutiones abſurditate non carere, ſuo conatus eſt ingenio Caietanum (ſi poſſet aliquali ingenioſa explicatione) excuſare. Aſſerebat enim per perſonam incompletam ſuppoſitum logicum Caietanum intellexiſſe: non vero phyſicum & reale; quod vt explicaret, animaduertendum dicebat ipſe cum Marſilio, lib. 3. ſent. quæſt. 1. art. 1. dubio. 2. ſuppoſitum inter plures alias acceptiones & ſignificationes poſſe in propoſito dupliciter ſummi: Primò pro ſuppoſito logico, quod nihil eſt aliud, quàm id, pro quo terminus ſupponit, *Explicatio ſententia Caietani à M. Cano tributa.*
D ſecundum quàm acceptionem adhuc diuina eſſentia ſuppoſitum appellatur. Secundo pro ſuppoſito phyſico & reali ſingulari & incommunicabili, quale in Deo eſt Pater, vel Filius, ſeu Spiritus ſanctus. Loquendo ergo de ſuppoſito logico indiuiduum illud, hic Deus, ſuppoſitum dicitur, ſed non phyſicum & reale; cum deficiat incommunicabilitas. Vnde Caietanus (dicebat Cano) indiuiduum illud perſonam incompletam vacabat; quia ſuppoſitum eſſet logicum, a quo complementum incommunicabilitas deficeret. Hæc ille auctor pro Caietano. Cum tamen durum ſit curua rectis æqualia reddere, mirum non erit, ſi curuam Caietani ſententiam rectam Cano non præſtiterit. Adeo enim clare & aperte de ſuppoſito & perſona phyſica, atque reali Caietanus loquutus eſt, vt non liceat in eius manifeſtatione immorari. Fundat *Non conſona eſt prædicta explicatio Caietani dictis.*

enim indiuiduum illud, & incompletam perſonam ſupra ſubſiſtentiam abſolutam phyſicam & realem. Inanis ergo labor eſt ad logica, ſeu dialectica ſuppoſita recurrere, ſecundùm quam ſignificationē vniuerſa omnia diuina attributa ſuppoſita dicere & appellare poſſes. Neque Caietanus concederet, eſſentiam diuinam, ſeu Deitatem eo modo eſſe ſuppoſitum & incompletam perſonam, quo hunc Deum ſubſiſtentem fatetur eſſe ſuppoſitum ſeu incompletam perſonam; cum ſi de logica iſta ſuppoſiti acceptione loqueretur, id fateri minime renueret. A

Dubitatio circa prædicta.

Poſſet tamen interrogare Theologus; Num etiam ſi non ſit ponendum indiuiduum Deitatis, ſubſiſtens præintellectum perſonis, ſicut 3. propoſitione explicatum eſt, poni poſſit indiuiduū, hic Deus, & concretum ſingulare ſumptum a Deitate exiſtente? Et ratio dubitandi ea eſt. Nam quamuis ante perſonas non præintelligatur hic Deus ſubſiſtens, præintelligi poteſt hic Deus exiſtens. B

Communis ſolutio quæ non videtur probanda.

Huic dubitationi, omnes quotquot mihi contigit videre, & audire reſpondent nullo modo poſſe poni indiuiduum Deitatis niſi ponatur ſubſiſtens, & tamquam ſubſiſtens præintelligatur ante perſonas. Huiuſque rationem videntur ſibi colligere ex S. Thoma 1. Part. quæſt. 3. art. 3. ad primum, & quæſt. 13. art. 1. ad ſecundum, quoniam vnumquodque ita a nobis nominari poteſt, ſicut & cognoſci: *Sunt enim ea, quæ ſunt in voce, earum, quæ ſunt in animo, paſſionum notæ*; iuxta Philoſophum ſtatim in principio lib. 1. de interpretatione: cum verò Deum pro hoc ſtatu ad modum rerum materialium cognoſcamus; quoniam obiectum noſtri intellectus eſt quidditas rei materialis, ita vt nihil pro hoc ſtatu ab eo percipi valeat, niſi ad modum eius, inde prouenit quòd Deo nomina tribuamus ad eum modum, iuxta quem, creaturis materialibus nomina imponimus; in rebus autem materialibus concretum non preciſè a natura, ſed a natura exiſtente, vel ſubſiſtente ſumitur, atque ita ſi ſit concretum vniuerſale ab exiſtente vel ſubſiſtente in communi ſumitur, ſicut homo ab habente humanitatem, ſeu exiſtente in humanitate accipitur, ſi ſit concretum ſingulare a ſubſiſtente in natura ſingulari, hoc eſt, perſona ſumitur vt Petrus, hic homo. Igitur in Deo concretum ſingulare ſumi non poterit, niſi a ſubſiſtente in natura ſingulari & diuina. Cum igitur tale ſubſiſtens non præintelligatur ante perſonas, non poterit ante perſonas cognoſci indiuiduum Deitatis, hic Deus. Sed nihilominus pro huius explicatione ſtatuo ſequentem aſſertionem. C D

Vltima Propoſitio pro ſolutione dubitationis poſitæ

Vltima propoſitio: In Diuinis ponendum eſt concretum, hic Deus præintellectum ante proprietates relatiuas ſumptum a Deitate ſingulari exiſtente, & erit idem hic Deus, quòd hoc per ſe exiſtens in hac Deitate. Antequàm tamen hanc propoſitionem probem, vt eam explicem, ſuppono id, quod ex ſupra dictis facilè intelligitur in creaturis exiſtentiam & ſubſiſtentiam idem eſſe, itaque in eis ſuppoſitum per exiſtentiam, ſeu ſubſiſtentiam vltimò terminatur.

Explicatur propoſitio poſita.

At in Deo prius nos cognoſcimus ipſum exiſtere, quàm illum ſubſiſtere; quia non vltimò cognoſcimus terminari naturam diuinam per exiſtentiam, ſed per ſubſiſtentiam. Ex quo diſcrimine inter Deum & creaturas, aliud oriatur neceſſe eſt, quòd ſcilicet in ſubſtantijs creatis duo tantum genera concretorum

reperiantur;

A repetiantur; commune ſcilicet,& ſingulare, vt homo,& hic homo ſiue Petrus: ita quod hic homo ſecundùm rem & rationem ſit idem, quod Petrus, concretum verò commune homo; ibi ſummitur ab exiſtente in humanitate, ſingulare hic homo, ab hoc exiſtente in iſta humanitate. Neque ibi diſtinguntur hoc exiſtens in hac humanitate, & hoc ſubſiſtens in eadem: quoniam eadem prouenit incommunicabilitas ab iſta exiſtentia, ſicut ab hac ſubſiſtentia. At in Deo tria ſunt ſumpta concreta. Primum eſt, Deus exiſtens in Deitate. Secundũ, hic Deus exiſtens in hac Deitate. Tertium eſt, hic Deus ſubſiſtens in hac Deitate, ſeu Pater, vel, Filius, ſeu Spiritus ſanctus. Neque idem eſt hic Deus exiſtens, quod hic Deus ſubſiſtens: ſicut neque idem eſt, exiſtentia & ſubſiſtentia in Deo. Vnde verum eſt, quòd nos nomina Deo imponimus ſecundùm eum modum, B iuxta quem creaturis materialibus attribuimus, & ſicut a natura exiſtente ſingulari, accipimus hoc concretum, hic homo exiſtens, & a natura ſubſiſtente ſingulari ſumus iſtud concretum, hic homo ſubſiſtens: ita in Diuinis a Deitate iſta exiſtente ſumimus concretum Hic Deus exiſtens, & ab hac Deitate ſubſiſtente accipimus cõcretũ hic Deus ſubſiſtẽs. Quod verò illa duo priora concreta hic homo exiſtens,& hic homo ſubſiſtens idem prorſus ſint, prouenit ex particulari cõditione naturæ creatæ, quòd verò in Deo ſint diuerſa illa duo concreta, Hic Deus exiſtens, & Hic Deus ſubſiſtens prouenit ex diuina perfectione, ratione cuius exiſtens & ſubſiſtens in Deo a nobis intelliguntur, vt diſtincta. Quapropter ad modum rerum materialiũ Deo imponimus nomina: ſeruata tamen ea differentia, quam non eſt admodum difficilè percipere, ſi admodum lo C quendi ſanctorum Patrum & Conciliorum attendamus. His ita explicatis.

Probatur illa vltima Aſſertio.

Probatur propoſitio meo iuditio euidenter. Nam in Diuinis ponitur concretum Hic Deus, neque in hoc eſt controuerſia: ſed in eo, An præintelligatur ante perſonas, ſed in Diuinis ea, quæ ſunt communia ſecundùm rem, prius a nobis cognoſcuntur, quàm ea, quæ ſunt incommunicabilia. Cum igitur concretum, Hic Deus, ſit commune ſecundùm rem, perſonæ verò ſint incommunicabiles, neceſſariò præcognoſci debet hic Deus ante Patrem, Filium, & Spiritum ſantum. Quod autem hic Deus ſit communis ſecundùm rem ex eo aperte infertur, quod de Patre, Filio, & Spiritu ſancto dicitur. Vnde concretum, hic Deus, communicabile ſumetur ab hac Deitate exiſtente, quæ etiam eſt cõmunicabilis tribus perſonis. Et confirmatur, quia omnia abſoluta præintelligi D poſſunt ante perſonas, ſed hic Deus, abſolutum quid eſt, & terminus eſſentialis, immo ratione naturali conſtat eſſe hunc Deum ſingularem, & hoc exiſtens in natura diuina. Igitur præcognoſci poteſt ante perſonas. Maior huius diſcurſus certa eſt, quoniam abſoluta ſunt eſſentialia, quæ præintelliguntur perſonalibus, quidquid Dicat Bartholomæus a Medina Commentarijs in primã ſecũdæ S. Tho. quæſt. 93. art. 1. in fine. Et quidẽ adeo efficaces iſtæ duæ illationes mihi viſſæ ſunt, vt eis cõuictus (verũ vt fatear) ſuperiorẽ addiderim cõcluſionẽ.

Deinde hæc doctrina mihi videtur eſſe S. Thom. 1. Part. quæſt. 39. art. 4. & rationes Caietani in eo art. factæ videntur cõuincere. Nam iſta propoſitio eſt vera: hic Deus communis ſecundũ rẽ eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: & tamen ſubiectum, hic Deus communis ſecundùm rem, pro alio non poteſt

ſupponere, quàm pro indiuiduo Deitatis. Rurſus ſunt quam plures aliæ loquu- A tiones, quæ exactè explicari non poſſunt, niſi eo poſito indiuiduo, vt ſunt iſtæ: Deus creaturas producit: Deus gubernat; in quibus propoſitionibus actiones ſignificatæ ratione naturali cognoſcuntur Deo per ſe exiſtenti debere conuenire; quoniam actiones alicuius exiſtentis per ſe debent eſſe. Quamobrem ante proprietates relatiuas hæc omnia ſaluari, & præcognoſci oportet. Demum ante perſonas cognoſcimus Deum; quia cognoſcimus habentem Deitatem. Igitur mirum non erit, ſi ante perſonas cognoſcamus hunc Deum; quia intelligimus hunc exiſtentem in hac Deitate.

Ex quibus infero, in re nos cum Caietano conuenire: differre tamen in modo loquendi, quem in hac præſenti materia oportet eſſe temperatiſſimum, & antiquorum Patrum ſententijs conformem. Ille enim ponit quartam ſubſiſten- B tiam communicabilem; nos verò eam exiſtentiam eſſe affirmamus, non ſubſiſtentiam. Ipſe ponit indiuiduum ſubſiſtens præintellectum perſonis; nos verò illud exiſtens & præintellectum ante perſonas exiſtimamus. Quibus rectè inſpectis currunt argumenta ſuperius facta, tam ea, quibus nituntur auctores primæ, & ſecundæ ſententiæ probare; indiuiduum Deitatis non poſſe dari; illa namque rectè probant non poſſe tale indiuiduum aſſignari ſubſiſtens: ſed non concludunt quòd non ponatur exiſtens, quod facilè conſtabit intuenti, quàm illa omnia, quibus Caietanus perſuadere conabatur, debere poni illud indiuiduum ſubſiſtens, ſaluantur namque omnia illa cum hoc Deo exiſtente, vt conſideranti apertiſſimum fiet.

Omnia ferè argumenta ſoluta manent.

Rõnibus Primæ via reſp. Ad primum.

Solum igitur nobis reſtat (vt noſtræ controuerſiæ finem demus) eis rationi- C bus ſatisfacere, quibus ponendam eſſe vnam ſubſiſtentiam communem tribus perſonis comprobare auctores ſuprapoſiti nitebantur, ſuoque ordine incipientes a rationibus primæ viæ incipiamus. Primæ igitur rationi reſpondeo, verum eſſe ſubſiſtentiam identificari cum exiſtentia realiter & formaliter, ſicut cum diuina eſſentia, diſtingui tamen ratione ratiocinata. Quia exiſtentia eſt actualitas, qua mediante, Deus exiſtit: ſubſiſtentia verò, qua mediante, Pater incommunicabiliter exiſtit & vltimò terminatur. Vnde ante relationes natura diuina intelligitur exiſtens; quia intelligitur actus purus ſeu, qui eſt, iuxta illud Exodi cap. 3. *Qui eſt miſit me ad vos:* ſed natura Diuina ante relationes non intelligitur ſubſiſtens; quia ante relationes non intelligitur vltimò terminata, neque incommunicabilis. Cum ergo ratione diſtinguantur exiſtentia & ſubſiſtentia, ſi- D cut reliqua alia abſoluta & relatiua, poterit ſubſiſtentia multiplicari, non multiplicata exiſtentia, ſicut perſona Diuina, etiam ſi identificetur eſſentiæ, poteſt multiplicari non multiplicata eſſentia. Neque aliud colligi poteſt ex teſtimonijs D. Auguſtini & S. Thom. citatis in argumento. Immo neque ex ſexta Synodo generali, actione 4. quoniam in tota illa actione nulla mentio fit de ſubſiſtentijs. Quòd ſi alicubi ea verba haberentur, ex æquiuocatione, quàm poſuimus Notab. 1. prouenire credendũ eſſet, cum ſexta Synodus Græcè cõſcripta fuerit.

Ad confirmationem illius Primæ rationis.

Ad confirmationem eiuſdem primæ rationis reſpondeo, non diſtingui in creaturis exiſtentiam & ſubſiſtentiam, quidquid ſenſerint Scotus & Durandus in 3. diſt. 6. alius quæſt. 1. alius verò quæſt. 2. aſſerentes in Chriſti humanitate

fuiſſe

A fuiſſe exiſtere creatum & non ſubſiſtere. Sed de hoc alibi. Ratio eius, quod aſſeruimus ea eſt, quoniam increaturis idem eſt, quo aliquid exiſtit per ſe,& quo vltimò & incommunicabiliter terminatur. Neque eſt ratio ſufficiens, quæ conuincat ponenda eſſe duo principia diuerſa Alterum,quo res per ſe exiſtat. Aliud verò, quo incommunicabiliter exiſtat. In Deo tamen non ſic, ſed potius oportet ponere duo principia ſecundùm noſtrum modum intelligendi diſtincta. Vnum, vt exiſtat. Alterum, vt incommunicabiliter & vltimò terminetur. Et quidem ratio, quæ conuincit, in Deo hæc duo ponenda eſſe diſtincta, ſaltem ratione ratiocinata, ea eſt, quam ſupra ponebamus; quoniam in Deo ante cognitionem perſonarum cognoſcere debemus eum eſſe actum purum & cauſam cuiuſcunque alterius eſſe, Deum verò hoc modo cognoſcere implicat, niſi co-B gnoſcamus eum exiſtentem, ſed quoniam ante relationes ipſas diuinas non poſſumus ſuppoſitum, aut perſonam conſtitutam, & vltimò terminatam cognoſcere, poſitis autem relationibus diuinis id exactè intelligimus, inde neceſſariò debemus aſſerete ponendas eſſe tres proprietates relatiuas, & tres ſubſiſtẽtias, quibus vltimò & incommunicabiliter tres perſonæ terminentur, & conſtituantur. Vnde in Deo, qui dicit relationem conſtitutiuam perſonæ, dicit ſubſiſtentiam, & ea remota, ſubſiſtentia auferatur neceſſe eſt.

Secunda ratio eiusdem viç petit illam celebrem difficultatem, An proprietates relatiuæ, ſiue ſubſiſtentiæ (idem enim eſt de hac inquirete, & de illa, & ecõ uerſo) formaliter dicant perfectionem. Quæ dubitatio, ſi ad vnguem examinanda foret, ea ſola diſtinctam aliam exigeret controuerſiam, breuiter ea ponã, C quibus facilè ipſa plenè intelligatur. Sunt enim inter Doctores Scholaſticos de ea plures modi dicendi. Primus eſt Gabrielis in 1.diſt.7.quæſt. 3. aſſerentis relationem diuinam & ſubſiſtentiam dicere perfectionem, neque eſſe inconueniẽs affirmare, aliquam perfectionem relatiuam eſſe in vna perſona, quæ non eſt in alia. Qua propter in Diuinis ponendas arbitratur tres perfectiones relatiuas. Hac via facilè a difficultate nonnulli ſe expediunt, ipſa cum maximè fugienda eſſet a viro Theologo. Sequeretur enim ex ea primò: Patrem (exempli gratia) minime eſſe infinitè perfectũ, quod eſt hæreticum. Conſequutionẽ ſic probo, quoniam Patri deeſt aliqua perfectio: ſed nihil poteſt eſſe infinitè perfectũ cui deeſt aliqua perfectio. Ergo Pater non eſt infinite perfectus. Hęc illatio cum minori, cuicunque eſt manifeſta. Maior probatur: in Patre non eſt filiatio, quæ D eſt perfectio, Ergo aliqua perfectio deeſt Patri. Antecedens conſtat, nam omnis perfectio, quæ formaliter eſt in Deo, & quam Filius habet ratione generationis, eſt ſimpliciter perfectio: ſed huiuſmodi eſt filiatio· Igitur filiatio ſimpliciter eſt dicenda perfectio. Si igitur ponimus aliquam perfectionem in Filio, quam non ponimus in Patre, neceſſariò videtur concedendum, Patrem non eſſe infinitè perfectum. Inſuper, ſi ponuntur tres perfectiones relatiuæ, cum quælibet illarum debeat eſſe infinita, iam tria infinita darentur, quæ repugnant: ſiue ſint abſoluta, ſiue relatiua, immo nullum illorum eſſet infinitum, vt latè probatur lib, 3. Phyſic. prope finem.

Secundus dicendi modus eſt Capreoli in 1.diſt.7.quæſt.1.in ſolutione ad tertium contra primam concluſionem, & Caietani 1-Part.quæ.28.art.2.circa ſolutionem

Secunda Ratio Prima viç petit illã diff. an relatio diuina formaliter dicat perfectionem.

Primus modus de illa difficult. eſt Gabrielis.

Secũdus modus dicendi. Capreoli & Caietani.

tionem ad tertium, fuit etiam Scoti in 3. diſt. 1. quæſt. 4. qui docent, proprietates perſonales, vel ſubſiſtentias prout dicunt relationem, non dicere aliquam perfectionem, neque imperfectionem. A

Tertius modus dicendi Caietani & Canariens.

Tertius modus eſt Caietani 3. Part. quæſt. 3. art. 1. & Canarienſis commentarijs in quæſt. 28. 1. Part. S. Thomæ art. 2. diſputatione. 3. & Dominici Soti quæſt. 1. in cap. de ſubſtantia poſt tertiam concluſionem & ſine dubio videtur eſſe S. Thomæ in 1. diſt. 7. quæſt. 2. art. 2. ad vltimum, & 1. Part. quæſt. 42. art. 4. ad ſecundum. Horum auctorum ſententia ponit proprietatem relatiuam perfectionem dicere, ita tamen vt omnes proprietates eandem dicant perfectionē. Quoniam tamen hos duos dicendi modos non eſſe inter ſe repugnantes, ſed ex vtroque veritatem conſtare crediderim, nudè & ſine verborum ac rationum ſtrepitu retuli. Idque, vt melius videatur, & vt prædictæ dubitationis reſolutio melius percipiatur. B

Explicatio veritatis.

Animaduerto, poſſe nos dupliciter conſiderare proprietatem relatiuam. Primò eam conſiderando, prò vt formaliter eſt relatio, & ſecundum quod precisè dicit eſſe Ad. Secundò, prout formaliter eſt relatio diuina, & ratio formalis cōſtitutiua diuinæ perſonæ. Si loquamur de relatione diuina, prout precisè dicit Ad, ſic certum eſt, neque dicere perfectionem, neque imperfectionem, vt auctores ſecūdæ ſententiæ aſſerebant. Quoniā Ad, pręcisè neq; eſt creatū, neq; increatū, neq; ens reale, neq; ens rationis, ſed ab eis omnibus abſtrahēs, realitatéq; & perfectionē a fundamento ſumens. Si tamen ſermo ſit de relatione diuina, prout eſt ratio formalis conſtitutiua perſonæ diuinæ, neceſſariò dicit perfectionem. Cuius ratio eſt, quoniam illa proprietas relatiua formaliter & intrinſecè, eſt ens & bonum. Igitur neceſſariò dicit perfectionem; tantùm enim aliquid participat de bonitate, quantum de perfectione. Sed quamuis omnes proprietates relatiuæ & omnes ſubſiſtentiæ dicant perfectionem non tamen multiplicem, ſed vnam & eandem, quoniam perfectio eſt vnum ex diuinis attributis, & ex abſolutis. Qua propter ſicut ſe habet quodlibet aliud diuinum attributum reſpectu proprietatum relatiuarum, ita etiam ſe habet profectio. Vnde queadmodum vna numero bonitas, formaliter & intrinſecè includitur in Paternitate, Filiatione: & Spiratione: ita quoque vna numero perfectio. Et ſicut nō ponitur vna numero bonitas eſſentialis ac abſoluta, & tres relatiuæ, ſed ſufficit vna formaliter incluſa in omnibus: ſic etiam non ſunt ponendæ tres perfectiones relatiuæ, & vna eſſentialis, ſed ſat erit ponere vnicam perfectionem abſolutam, formaliter incluſam in omnibus ſubſiſtentijs & relationibus. Rurſum, quia quidquid perfectionis eſt in ſubſiſtentia, ita eſt ab eſſentia, vt ipſa eſſentia ſit ratio formalis illius perfectionis, ſicut eſt ratio formalis, qua mediante ipſa ſubſiſtentia ſit Deus; atque ita ſicut eſt vna eſſentia, ſic vna perfectio. C D

Relatio diuina dicit perfectionem, ſed eamdē quam dicunt aliæ relation.

Ex dictis reſpondetur ſecūda rationi.

Ex ijs ergo non erit difficile ſecundę rationi primæ viæ ſatisfacere. Aſſerimus etenim, quamlibet ſubſiſtentiam dicere formaliter perfectionem infinitam. Similiter concedimus ſubſiſtentiam Patris non eſſe in Filio, neque e conuerſo: tamen inde non rectè colligitur, aliquā perfectionē eſſe in Patre, quæ non ſit in Filio. Quoniā profectio eſt attributū, & abſolutū quid, ſubſiſtētia verò eſt ipſa proprietas relatiua, & aliquid perſonale. Et ſicut nō valet hæc cōſequentia: paternitas

A nitas formaliter eſt eſſentia, & paternitas non eſt in Filio. Igitur aliqua eſſentia datur, quæ non ſit in Filio; quoniam arguitur a negatione relatiui ad negationem abſoluti. Ita etiam neque valet illatio illa in argumento poſita; nam in eo ex pluralitate ſubſiſtentiæ, quæ eſt relatiua, infertur pluralitas perfectionis, quę eſt attributum abſolutum. Habemus igitur tres ſubſiſtentias includere formaliter eandem perfectionem, ſicut eandem eſſentiam, neque eſſe poſſibile, aliquid perfectionis eſſe in ſubſiſtentia Patris, quod non ſit in ſubſiſtentia alterius perſonæ. Sicut repugnat, aliquid eſſentiæ eſſe in vna perſona, quod nõ in alia. Et hoc eſt, quod aliqui ſignificare volunt, cum aſſerunt, Paternitatem eandem perfectionem dicere in Patre, quam dicit filiatio in Filio & ſpiratio in Spiritu ſancto.

B Reliqua alia argumenta, quæ pro aliorum placitis principio poſita ſunt, adeo clarè ex ijs, quæ diximus, ſoluta remanent, vt in vniuſcuiuſque ſolutione immorari inane ſit. Inter illa tamen omnia, priora tria argumenta, poſita pro tertia via videntur aliquantulum difficultatis habere. Ideo eorum vnicuique ſolutionem appono.

Argumentis tertia via. Ad primum.

Primo argumento reſpondeo in doctrina S. Thomæ ſubſiſtere & exiſtere in rebus creatis idem omnino eſſe, vt conſtat ex locis adductis in argumento, in Deo tamen ratione ratiocinata diſtinguuntur; quoniam ſubſiſtere eſt quoddam perſonale, tamquam id, quo ſuppoſitum & perſona conſtituitur, exiſtere autem eſt eſſentiale, vt docuit ipſe Caietanus 1. Part. q. 28. art. 2. Quamobrem licet ante perſonas non intelligatur aliquod ſubſiſtens, poterit intelligi exiſtens,
C poteritque rurſus multiplicari ſubſiſtentia, non multiplicata exiſtentia.

Ad ſecũdum.

Ad ſecundum dicitur, ſubſiſtentiam formaliter dicere exiſtentiam cum relatione diuina atque ita quamuis ratione exiſtentiæ dicat perfectionem ſimpliciter, & conueniat naturæ diuinæ ante proprietates relatiuas: tamen ratione relationis preciſè non dicit perfectionem (vt ſupra dicebamus) neque imperfectionem. Vnde poterit ratione relationis multiplicari, non multiplicata perfectione. Neque poterit ante relationes intelligi, cum formaliter, & ſecundùm noſtrum modum intelligendi ſit ipſa relatio. Quare differentia inter naturam creatam & diuinam quam Theologi aſsignant, ſic debet accipi, quòd natura diuina cum habeat ſubſiſtentiam a ſuppoſito (ſi ſic in Diuinis loqui fas eſt) non diſtincto realiter neque formaliter ab ipſa natura, inde eſt naturam ipſam dici a
D ſe habere ſubſiſtentiam. Natura verò creata, cum habeat illam a ſuppoſito realiter a ſe diſtincto, dicitur ab aliquo extrinſeco mutuare ſubſiſtentiam. Tum vel maximè, quòd ſubſiſtentia exiſtentiam dicit cum relatione in Deo: & natura ante relationes tamquam habens exiſtentiam cognoſcitur. Sed natura creata tam ſubſiſtentiam, quàm exiſtentiam a ſuppoſito dicitur accipere. Vnde eſſe Ad, diuinum, ſubſiſtentiam intelligitur tribuere naturæ diuinæ, & quamuis non vt Ad, preciſè, bene tamen vt Ad diuinum, & vt proprietas conſtitutiua vltimò terminans naturam illam.

Quomodo intelligenda ſit differentia inter naturam diuinam, & creatam.

Ad tertium.

Tertium Argumentum petit explicationem illius propoſitionis; Actiones ſunt ſubſiſtentium, quam ſat erit ſic interpretari, actiones ſunt per ſe exiſtentium, vel ſubſiſtentium. Quare actiones communes toti Trinitati præintelli-

guntur

guntur prouenire ante perſonas a diuina natura per ſe exiſtente, non verò ſub- A
ſiſtente. Vnde cognoſcuntur tamquam actiones illius concreti hic Deus. Et ſine dubio, hoc eſt, quod voluit innuere S. Thom. 1. Part. quæſt. 39. art. 4. cum dixit, in hac propoſitione; Deus creat; Deum ſupponere pro eſſentia, id eſt, pro eſſentia exiſtente, ſeu pro eſſentia in concreto, nempe pro hoc Deo. Reliqua alia ommitto, quia peculiari ſolutione non indigent.

EX DVABVS CONTROVERSIIS, QVÆ POSITÆ FVERVNT pro ſexto Proponente, prior poſitiua & in ordine ſexta fuit. B

Quomodo Apoſtolus Iudas in ſua epiſtola Canonica dicat: Prophetauit autem ſeptimus ab Adam Enoch, cum liber Enoch, vt apocryphus ab Eccleſia reyciatur?

SVMMA CONTROVERSIÆ SEQVENTIS.

Inuentas ante Moyſē fuiſſe litteras, librumque ab Enoch conſcriptum, ex antiquorum Patrum monumentis conſtat; ab eoque Apoſtolum Iudam teſtimonium accipere potuiſſe, non vero ex illo apocrypho ab Eccleſia reiecto credebilius apparet.

NON defuere olim, qui epiſtolam Iudæ inter canonicos libros vſuq; Eccleſiæ receptos non annumerauerint, teſte Hieronymo in Cathalogo virorum Illuſtrium, in annumeratione Iudæ, V. Beda ſuper eandem epiſtolam, Euſebio lib. 3. hiſtoriæ eccleſiaſticæ, cap. 25. & tandem Nizephoro lib. 2. cap. vltimo. Immo Matthias Illirycus, lib. 2. Centur. Eraſmus & Caietanus his noſtris temporibus vterque annotationibus in prædictam epiſtolam, ſuſpicione non carere arbitrantur. Etenim Caietanus explicans illa verba inducta: *Prophetauit autem ſeptimus ab Adam Enoch*, cauſam ſubiecit dicens: Hic eſt locus vnde Hieronymus dicit refutari a multis hanc epiſtolam, neque abs re, quoniam & ſi citare apocrypha multò magis liceat, quàm Poetas authoritati tamen ſacræ Scripturæ derogat. Hæc ille. Verum ne ſermonem longius protrahamus, his canonicorum librorum emulatoribus relictis (De quibus late Driedonus lib. 1. de eccleſiaſticis dogmatibus à cap. 1. & D. Couarrubias lib. 4. variarum cap. 14. atque M. Cano lib. 2. de locis cap. 9. & Michael a Medina lib. 6. de recta in Deum fide per totum, preſertim cap. 24.) hoc nobis firmum, fideque certum ſit, epiſtolam Iudæ inter authenticos ſacrarum litteratũ libros debere annumerari. Et preterquàm, quod olim a Clemente in Canonibus Apoſtolorum, can. 84. Iudæ epiſtola inter canonicos libros annumeratur, id conſtat ex Decreto Gelaſij primi, poſito in Concilio illo ſeptuaginta Epiſcoporum, ex Concilio Carthaginenſi tertio cap. 47. ex Concilio Laodiceno can. vltimo & demum nouiſſime ex Concilio Tridentino ſeſſion. 4.

Epiſtola Iudæ inter canonicos libros annumeranda.

Hoc igitur certum cum ſit, quod difficultatem habet, illud eſt: Quomodo Iudas in hac ſua canonica ſcriptura teſtimonium ex libro Enoch apocrypho de ſumpſe-

A ſumpſerit. In qua dubitatione vnum ſupponitur, quod inter doctores maxime controuertitur, & de quo nonnulla dicere præſens poſtulat dubitatio; Enoch ſcilicet librum ſcripſiſſe. De qua hypoteſi, An librum Enoch conſcripſerit, hinc inde diuerſa ſunt placita. Quidam contendunt probare, credi illud non poſſe; quoniam fere impoſſibile apparet, modum aſſignare quo intelligamus, Enoch librum ſcripſiſſe nondum inuentis characteribus: nam, vt docet Driedonus lib. 2. de eccleſiaſticis dogmatibus capit. 1. characteres linguæ Hebraicę (quę prima fuit & naturalis, docente Chryſoſtomo, homil. 30. in Geneſim, & illa de qua dicitur Genes. capit. 11. *Quod erat terra labij vnius, & ſermonum eorundem.*) creduntur Hebræis traditi per Moyſen ita vt digito Dei ſcribentis legem in tabulis lapideis, fuerint primò a Moyſe accepti, & per B Moyſen alijs traditi, atq; ante eorum oculos expoſiti. Et hinc Eupolemus & Artapanus, alijq; profani auctores (referente Ludouico Viues cõmentarijs in cap. 39. lib. 18. de Ciuitate Dei) arbitrati ſunt, Moyſen litterarum primũ inuentorẽ extitiſſe, ſiue auctorem, inſuper & ab eodem Moyſe Ægyptios litteras accepiſse, vt refert D. Auguſtinus lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 17. Sed poſt legem Moyſi datam, anno 47. Gręcas litteras Cadmus primo reperijſſe dicitur, ſiue eas ab Hebræis accipiendo, vt videtur docere Euſebius, lib. 10. de præparatione euãgelica cap. 2. ſiue aliás: latinas autẽ tradidiſſe Carmentis fertur. Quo modo ergo tàm multo ante characterũ & litterarũ inuentionẽ Enoch librũ ſcribere potuit?

An librũ ſcripſerit Enoch.

Credunt aliqui litteras non fuiſſe ante Moyſen.

Sed longe aliter alij loquuntur ſuadere conantes characteres & litteras à primis parentibus acceptas fuiſſe, deinde ad Noe, ac demum ad populum Iſrael C vſq; perductas fuiſſe. Quorum placitum refert Auguſtinus lib. 2. quæſtionum in Exodum, quæſt. 69. immo & eidem Auguſtino lib. 18. de Ciuit. cap. 39. placet, Aegyptias litteras ante Moyſen fuiſſe, quia Moyſes doctus perhibetur in omni doctrina AEgyptiorum, ſicut docet Philo Iudæus lib. 1. de vita Moyſis, & Iuſtinus philoſophus & Martyr, lib. quæſtionum a gentibus poſitarum, quæſt. 25. Immo & Beatus Stephanus, Actorum cap. 7. Igitur ante Moyſen erant characteres & litteræ AEgyptiæ. Fauet huic ſententiæ Phylaſtrius in illo ſuo libello contra hæreſes, cap. 106. dum aſſerit, ante ædificationem turris Babel multis ſæculis fuiſſe plures linguarum, ac ſermonum varietates; quarum cognitionem omnes homines ex Dei dono habuerunt vſq; ad confuſionem in conſtructione turris Babel factam, ex qua D linguarum pluritate characterum diuerſitas, atq; litterarum diſtinctio non obſcure quidem colligitur. Illud tamen obiter animaduerto (cum Alfonſo de Caſtro lib. nono contra hœreſes, verbo: lingua,) Philaſtrium in illo loco tàmquam hæreticam damnare ſententiam, quæ aſſerit, ante turris Babel conſtructionem vnicam tantum fuiſſe omnium mortalium linguam. In quo ſine dubio errauit dictus auctor, cum potius contrarium docere ſit error manifeſtus, & contra illud Geneſeos capit. 11. *Et erat omnis terra labij vnius, & ſermonum eorundem &c.* Neque obſtat, quod per anticipationem hiſtoriæ Moyſes narrauerit cap. 10. antecedenti ſeptem filios Iaphet diuiſiſſe inſulas gentium, ſingulas ſecundùm linguas, & cognationes ſuas. Sed de hoc latius in auctore

Alij a primis parẽtibus acceptas litteras exiſtimãt

Error Philaſtri.

citato. Poteſtque rurſum confirmari litteras a mundi initio extitiſſe, ex eo A quod narrant Ioſephus, lib. 1. antiquitatum Iudaic. cap. 4. & Ioannes Annius commentarijs in libr. 1. Beroſij de temporibus, quondam ante diluuium fuiſse celebre vaticinium Enoch, de duabus totius terræ cladibus, altera per innundationem altera per incendium, futuris; illudque vaticinium in duabus columnis; vna lateritia; altera lapidea, ab Enoch inſculptum ad perennem poſteritatis commonitionem relictum fuiſſe: vt ſi lateritian diluuio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes commendatam ſibi ſcripturam conſeruaret. Et hanc quidem lapideam ſuis temporibus in Syria extitiſſe affirmat Ioſephus in illo cap. 4. Igitur tempore Enoch litterę erant, atque ex conſequenti multo ante Moyſen. Mirum ergo non erit aſſerere, librum ab Enoch exaratum fuiſſe atque conſcriptum. Et ſine dubio ita fatendum videtur cum Origene homilia vltima in B lib. Numeror. & cum Tertuliano, lib. de habitu mulierum.

Vaticinium Enoch in duabus columnis ſcriptum.

Quale tamen fuerit huius libri argumentum ignotum eſt; apparet tamen ex Patrum monumentis fuiſſe in eo capita quædam de numero ac nominibus ſtellarum, & de earum ſecretis virtutibus, de deſcenſu filiorum Dei ad filias hominum, de Gigantibus ex Angelorum coitu progenitis, de extremo Dei iudicio erga impios, a quo præſens Iudæ teſtimonium acceptum creditur. Origenes enim de ijs capitulis verba faciens citata homil. 28. in libr. Numeror. ſic loquitur: Qui fecit multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat, vt ait Propheta, de quibus quidem nominibus plurima in libellis, qui appellantur Enoch, Secreta continentur & arcana. Idem inſuper Origenes commentarijs ſuper Ioannem ad Ambroſium Alexandrinum, de deſcenſu animarum in cor- C pora loquens tomo. 6. (qui eſt vnus inter nouem quos Perionius inueniens in Bybliotheca Regis Gallorum nuper in latinum conuertit) mentionem facit tum libri Enoch, tum prædictorũ capitulorum. D. etiam Auguſtinus. lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 23. de Gigantibus loquens, nonnulla de illis ſcripſiſſe diuinum Enoch aſſerit. In vetuſtiſsimo præterea volumine, cuius titulus eſt, Teſtamentum duodecim Patriarcharum (quod ſæpe Origenes & Procopius citant) multa ex libro Enoch inſeruntur vaticinia de ijs, quæ ventura erant filijs, ac nepotibus Patriarcharum, de futuris etiam Hebræorum ſceleribus, de Saluatore ab illis occidendo, & tandem de Hæbreorum captiuitate & inter gentes diſperſione perpetua. Vltimò, Tertulianus citato libro de habitu mulierum, occurrit illis, qui dicunt præfatum librum ad poſteros ſaluum poſt diluuium perue- D nire non potuiſſe, & oſtendit id non eſſe incredibile, vel quia illum Noe in arca ſeruauerit, cum de pecudibus & ceteris animantibus illi cura fuerit, vel quod ipſum innundatione deperditum aliquis Spiritu ſancto illuſtratus reſtituerit, ſicut per Eſdram ſacra volumina ſunt inſtaurata. Potuit ergo Iudas ex ipſo libro teſtimonium accipere.

Liber Enoch. de quibus ageret.

Ceterum cum hæc omnia incerta nobis ſint, venit explicanda præcipua difficultas: Quo ſcilicet modo Iudas ex hoc incerto & apocrypho libro propheticum teſtimonium deſumpſerit, cui dubitationi cum reſponderet Hieronymus ſolitus eſt aſſerere, nullum eſſe inconueniens Iudam, aliosque Apoſtolos teſti-

Sententia Hieronymi & aliorum de citato teſtimon. Enoch.

monijs

A monijs gentilium & apocryphis vſos fuiſſe. aſſeruit id in cap. 5. ad Epheſ. his verbis: Paulus citauit quędam ex reconditis Prophetarum receptaculis, oraculis, & apocryphis, quale eſt illud. *Surge qui dormis, & reſurge a mortuis & illuminabit te Christus*. Et in cap. 1. ad Titum, in illa verba: *Cretenſes ſemper mendaces &c.* docet Paulum ex Epymenide, ſeu, vt alijs placet, ex Calimacho eum verſum adduxiſſe. Sicut & 1. ad Corinth. cap. 15. de Menandri comedia ſumpſit verſiculum illum: *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*. Docuit tandem idem libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis, in dictione, Iudas. Sequuntur Hieronymum Gloſſa & S. Thomas ad Titum, cap. 1. lectione 3. Claudius Guillandus, & Ioannes Gagneius commentarijs in Epiſtolam Iudæ, D. Couarrubias, lib. 4. variarum, cap. 17. §. 1. & M. Medina lib. 6. cita. cap. 24. pluresque alij ex Iunioribus.

B Sed hi ſancti Patres duo aſſerunt inter ſe (mea ſententia) multùm diuerſa. Primum, Apoſtolos vti teſtimonijs gentilium, quod verum eſt & a D. Hieronymo pulcre poſitum in epiſtola ad Magnum oratorem Romanum, & à Chryſoſtomo, homil. 3. in epiſtolam ad Titum, quo loco adhibuit elegantem rationem: Vt ſcilicet gentiles illorum potiſſimum argumento, qui apud ipſos maximè mirabiles fuerunt, & in magno pretio habiti, conuincerent, conſtituerentque aduerſus eos ex proprijs ædibus & familijs accuſſatores. Quod re ipſa præſtitit Paulus Actorum cap. 17. vbi citat Poetam Arathum, atque ex eius ſcriptis adducit illud: *Ipſius enim & genus ſumus*. Sed ſecundum, An ſcilicet vtatur Iudas teſtimonio ex libro apocrypho, quemadmodum ſuperiores Patres concedunt, aliqualem habet dubitationem, illorumque ſententia aliquibus non

Quare Apoſtoli teſtimonijs gentilium vſi fuerint.

C placet, neque mihi (ſalua eorum reuerentia dixerim) arridet. Quia Iudas adducit verba Enoch, tamquam verba quę prophetiam includunt, dicens: *Bene prophetauit Enoch*, adhoc autem, vt aliqua ſententia prophetia ſit, nō ſatis eſt, quod ſit vera, niſi etiam ex inſpiratione Spiritus ſancti ſit edita. Ergo vel Iudas eſt deceptus, cum cenſet ſub prophetia contineri, quod abſit concedre, vel ſine dubio illa prophetia non eſt deſumpta ex libro apocrypho.

Quamobrem potior in hac re videtur & amplectenda ſententia Tertuliani, lib. illo de habitu mulierum, quam tenuit hoc ſæculo Catharinus, lib. 1. contra falſa Caietani dogmata, & Antonius Petrus Beuther Valentinus, annotatione 6. de auctoribus librorum ſacrorum, vere Enoch compoſuiſſe propheticum librum a Noe conſeruatum, magno tamen poſt tempore periſſe. Id

Amplectanda ſententia Tertuliani.

D quod mirum non eſt, cum plures alij libri (quos citat Scriptura) perierint & nequaquam ſuperſtites manſerint. Dicitur enim, lib. 3. Regum cap. 4. *Quòd Salomon loquutus eſt tria millia parabolas & carmina quinque millia, & diſputauit ſuper lignis a cedro, quæ, eſt in libano, vſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de iumentis & volucribus & reptilibus & piſcibus.* De quibus ferè omnibus apud nos nulla ſcriptura manet. Rurſus, lib. 2. Regum cap. 1. mentio fit de libro Iuſtorum, & lib. 1. Paralipom. cap. 29. geſta Dauid dicuntur ſcripta in libro Nathan Prophetæ, & in volumine Gad videntis. Demum lib. 2. Paralipom. cap. 20. geſta Ioſaphat ſcripta dicuntur in libro verborum Iehu, quæ omnia ſcripturæ mandata non extant. Eodem modo citatur a Iuda Spiritus ſancti inſtinctu liber propheticus Enoch, cuius prophetici libri loco poſtea aliqui, vt fideles fallerent,

Heretici quandoque libros aliquos apocryphos pro veris promulgant.

apocrypha ſcripta & ab eccleſia reiecta, vera aliqua nugis miſcentes ſuppoſuerunt. Quemadmodum aliàs fecerunt Sethiani hæretici, qui plures libros nomine Moyſis confictos in lucem edidere, vt refert Epiphanius lib. 1. Panarij, dum eorum confutat errores. Idemque ipſum de libro Enoch accidiſſe videtur ſignificare Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. Dei, cap. 38. vbi loquens de Enoch, & alijs antiquis, inquit: Nam proferuntur quædam, quæ ipſorum eſſe dicuntur ab eis, qui pro ſuo ſenſu paſſim, quod volunt, credunt, ſed ea ſcripta caſtitas canonis non recipit, non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, ſed quod iſta eſſe non credantur ipſorum. Alia huiuſmodi, & multò plura docet lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 23. quæ relinquo. Solum adducam pro ſuperiori ſententia verba V. Bedæ in commentarijs ſuper eamdē epiſtolam Iudæ, vbi ſic loquitur: Dubitatum fuit aliquando de hac epiſtola propter teſtimoniū de libro Enoch apocrypho: ſed vide, quod hic liber, qui circumfertur nomine Enoch, apocryphus eſt, id eſt, incertus an fuerit illius propter multa inconcinna, quæ videntur appoſita libro illi, at certum eſt, quod tempore Iudæ extabat verè liber Enoch certus non apocryphus, quia Apoſtolus non ſumpſiſſet teſtimonium libri apocryphi. Hæc Beda.

Alia innuitur non contemnēda ſolutio.

Aliam ſolutionem videor mihi colligere ex D. Auguſtino, lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 38. Apoſtolum Iudam minime citaſſe librum Enoch, ſed prophetiam, quæ libro ſcripta non fuerat, ſed in corde eccleſiæ per traditionem remanſerat. Cui ſtatim acquieuiſſem, ſi a ſanctis Patribus, quos ſupra retulimus, Enoch librum ſcripſiſſe non accepiſſem.

POSTERIOR CONTROVERSIA SCHOLASTICA PRO eodem proponente, & in ordine ſexta fuit.

Num lex euangelica precipuè & propriè ſit gratia diffuſa in cordibus fidelium?

SVMMA EIVS.

Explicatis diuerſis legis acceptionibus, ad legem euangelicam diuenitur, cuius etiam plures acceptiones connumerantur. Inter quas precipuam eſſe illam, quæ gratiam tamquam diuinam animi & voluntatis inclinationem ſignificat, oſtendemus. Quamobrem propriè & principaliter legem euangelicam eſſe gratiam in cordibus diffuſam declarabimus.

VÆSTIONEM hanc ſcriptorum incuria, & negligentia ferè in occulto poſitam, & de qua parum, aut ferè nihil apud eos repeties, non minus vtilem ſacrarum litterarum intelligentiæ, quàm explicatu difficilem, faxit Deus vt breuitati ſtudentes aliquali luce explicare valeamus. Vt ergò difficultas melius percipiatur, euidentibus (vt apparet) rationibus legem euangelicam nullo modo poſſe eſſe gratiam Chriſti, comprobari videtur.

Apponitū primò vis difficultatis. Argument. primum.

Namque primò Euangelium (vt a nominis ethymologia incipiamus) inter plures alias ſignificationes, quas habet, bonum nūtium ſignificat, vt latè docuit Budæus in commentarijs linguæ Græcæ, & in annotationibus ſuper Pandectas, titulo de officio Præfecti prætorio. Qua ſignificatione vſus eſt Cicero in Epiſto-

lis ad

A lis ad Atticum, Epiſt. 29. & 30. eademque ſepæſepius vtitur Scriptura, vt cõſtat Iſaiæ, cap. 40. vbi dicitur. *Aſcende in montem, qui euangelizas Sion, extolle vocem tuam, qui euangelizas Hieruſalem*, Et Pſal. 67. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa*, & ne plura ſine neceſſitate adferamus, Lucæ cap. 2. Angelus paſtoribus Chriſti natiuitatem annuncians dixit. *Euangelizo vobis gaudium magnum; quia natus eſt hodie ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus*. In qua ſignificatione, vt annotauit Chryſoſtomus in præfatione ſuper Matthæum, ſcripta Matthæi & aliorum trium dicuntur Euangelia. Vnde Origenes in præfatione ſuper Ioannem, Euangelium ſic definit. Quaſi ſit oratio continens boni præſentiam cuicunque credenti, ſeu oratio affirmans iam eſſe preſſens bonum, quod expectabatur. Cum igitur lex euangelica ſit illud bonum nuntium, quo credentibus in Chriſtum B ſpes veniæ & reconciliatio cum Deo promittitur, non poteſt intelligi quod ſit propriè gratia Chriſti diffuſa in cordibus fidelium. Quoniam illud nuntium ſecundùm ſubſtantiam non eſt gratia, neque charitas. Et confirmatur, quia euã gelica lex, ſeu euangelium propriè eſt ſcriptura illa, quæ quottidie in eccleſia recitatur, & legitur; atque ita dicimus, Initium euangelij ſecundùm Ioannem, vel ſecundùm Marcum, hoc eſt, initium hiſtoriæ euangelicæ de Chriſto ſcriptæ: hiſtoria autem de Chriſto ſcripta non eſt gratia cordibus hominum inſita.

Secundò arguitur: ſi euangelium eſſet gratia diffuſa, vel illi conueniret intrinſece, quidditatiue, & formaliter eſſe gratiam, vel tamquam cauſæ productiuæ gratiæ, ſi quidditatiuè & ſecundùm eſſentiam. Igitur fideles exiſtentes in mortali peccato non continentur intra legem euangelicam: & intra euangeliũ, *Secundum argumentum pro eodem.* C cum non contineantur intra gratiam, quæ eſt de eſſentia illius. Si verò dicamus, euangelium eſſe gratiam diffuſam cauſaliter, quia cauſat gratiam diffuſam in cordibus, videbimur incidere in errorem Lutheri, aſſerentis euangelium opera ri ſalutem, & cauſare gratiam, ſicut & ſacramenta ipſa: hoc autem dici non poteſt. Ergo neque quòd euangelium aliquo modo ſit gratia. Et confirmatur. In lege euangelica ſunt multa præcepta & plura conſilia a Chriſto Domino tradita, quæ ſecundùm ſuam eſſentiam ſunt quædam regulæ rationis practicæ conuenientes ad rectam vitam inſtituendam: hæc autem præcepta & conſilia non ſunt gratiæ in cordibus diffuſæ. Igitur neque lex euangelica.

Preterea tertiò, lex, vt docuit S. Thom. Prima Secundæ quæſt. 90. art. 1. eſt actus practicus rationis elicitus a prudentia gubernatiua: ſed gratia in animæ *Tertium argumentum.* D eſſentia, vel vt alijs placet, in voluntate infunditur. Igitur lex euangelica ſecundùm ſubſtantiam non poteſt eſſe gratia ſiue charitas.

Vltimò lex euangelica cępit a Chriſto Domino, immo ſi credimus Euſebio Cæſarienſi lib. 3. de demonſtratione euangelica, cap. 1. ipſemet Chriſtus fuit primus euangelij prædicator; quoniam etiamſi prophetæ in veteri teſtamento de gratia & redemptione multa dixerint, Επαγγελίαν, ideſt, promiſſionem in noua & futura lege adimplendam prænunciabant, namque vniuerſa Scriptura in duas partes diuidi; ſcilicet, in Επαγγελίαν, & Εὐαγγέλιον, ex verbis Pauli ad Rom. cap. 1. facile colligunt ſacrarum litterarum periti. *Paulus* (inquit) *ſeruus Ieſu Chriſti ſegregatus in euangelium Dei, quod ante promiſerat per Prophetas ſuos*. Vnde ante Chriſtum fuerant promiſſiones euangelij: in Chriſto verò cæperunt iam promiſſa ad impleri, *Vltimum Argumentum. Lex Euangelica a quo cæperit prædicari.*

pleri,

pleri, cępitque bonum realis preſentiæ nuntium & euangelium: atque ita Lu- A
cæ, cap. 4. cum legeret Chriſtus verba illa Iſaiæ cap. 61. *Spiritus Domini ſuper me euaugelizare pauperibus miſit me*. ſubdit: *Hec adimpleta ſunt in me modo*, Cæpit igitur quomodocunque a Chriſto lex euangelica. Et gratia quidem diffuſa in cordibus fuit multo ante Chriſtum, cum fuerit infuſa cordibus Patrum, & in pluribus alijs hominibus veteris teſtamenti, qui non curuauerunt genua ante Baal. Nullo ergo modo dici poteſt, legem euangelicam eſſe gratiam mentibus hominum inditam.

Pro explicatione. *Hypoteſis prima.* *Quid lex includat.*

Pro huius quæſtionis dilucidatione ſupponendum eſt primò, quod lex & includit aliquid pertinens ad intellectum, & aliquid pertinens ad voluntatem. Etenim præcipuum in lege eſt ex parte intellectus, ſcilicet ordinatio & dictamen rationis practicæ, quo oſtenditur bonum faciendum, vel malum fugiendum, B
ex parte voluntatis eſt motio & impulſus. Quæ duo includi in lege voluit nobis innuere Moyſes cum Deuteronom. cap. 33. aſſeruit, Dominum apparuiſſe de monte Pharan, in cuius manu erat ignea lex. Nam ſicut ignea lex ab igne dicitur, in quo eſt claritas & comburendi vis, ſic in lege eſt doctrina praui, & recti tamquam lumen dirigens: & eſt etiam vis & impulſus, cum in illa ſit imperiū, quod ſine virtute mouendi & efficacia impellendi non eſt. Et hinc fit (vt docēt multi Theologi loquentes de beatitudine, & de prædeſtinatione) quod ea res quæ aliquid vtriuſque potentiæ includit, modo vnius eſſe potentiæ dicitur, modo alteri tribuitur; aliquando enim prædeſtinatio apud D. Auguſtinum dicitur præſcientia beneficiorum Dei; apud S. Thomam dicitur ordinatio mittēdorum in vitam æternam; & aliquando ab eiſdem dicitur propoſitum miſerēdi, & electio, qua Deus aliquos elegit ante mundi conſtitutionem. Rurſus beatitudo dicitur viſio, aut cognitio, & aliquando fruitio, ſeu Dei habiti dilectio nuncupatur. Non diſſimiliter lex aliquando dicitur ordinatio rationis, regula & menſura ordinans ad bonum commune: & aliquando dicitur beneplacitū, & voluntas Principis, ſecundùm illud Iuriſconſulti in l. 1. de conſtit. Princp. & in §. ſed & quod principi. inſtitutionibus de iure naturali, gentium, & ciuili. Quod placuit Principi, legis habet vigorem. C

In digeſto veteri lib. 1. tit. 4. lege 1.

Hypoteſis ſecunda.

Secundò ſupponatur, quod lex eſſentialiter, & ſubiectiue eſt in legiſlatore; quia in eo tantum eſt illa ordinatio rationis practicæ, in qua præcipuè conſiſtit lex, Quare lex æterna, cui debent omnia eſſe conformia, in Deo eſt eſſentialiter: tamen reſpectu creaturarum, ea lex eſt participatiuè, quia in omnibus creaturis D
ſunt inclinationes participatæ, quibus creaturæ diriguntur, & tendunt in ſuum finem, mediante directione legis æternæ, atque ita quælibet inclinatio naturalis dicitur lex naturalis. Eodem omnino modo de lege euangelica loqui poſſumus, vel reſpectu legiſlatoris & ferentis illam: & ſic eſſentialiter & ſubiectiue eſt in legislatore. Vel reſpectu eorum, qui per legem euangelicam gubernantur: reſpectu nempè fidelium, qui ei ſubduntur: & ſic loquimur de lege euangelica participatiuè prout eſt inclinatio & vis participata: & rurſum, prout eſt ordinatio quædam participata, & in hoc ſenſu intelligitur quæſtio initio poſita. Hinc oritur, quòd inter Scholaſticos immo & in ſacris litteris, lex dupliciter accipiatur. Primò, ita vt ſignificet ordinationem, & dictamen rationis practicæ, qua

Duplex legis acceptio.

per

A per modum imperij aliquid faciendum, vel fugiendum præcipitur. Et de iſta lege loquebatur Ariſtoteles, lib. 1. Ethicorum cap. 9. cum dixit legem eſſe ſermonem, ſeu ordinationem ab aliqua prudentia, & de mente perfecta. Secundò ſumitur lex pro inclinatione voluntatis, apetitus, & cuiuſcunque alterius rei, iuxta quam ſignificationem inclinatio concupiſcentiæ & apetitus appellatur a Paulo lex fomitis, & lex membrorum, & lex peccati. *Sentio* inquit ad Rom. cap. 7. *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in legem peccati*. Sed inter has duas acceptiones legum (ſi benè res iſtę perpendantur) triplex inuenietur diſcrimen, triplexque differentia. Differunt enim primò quia lex ſumpta pro ordinatione & dictamine rationis illuſtrat intellectum; lex pro inclinatione & propenſione accepta firmat apetitum Et cum *Inter duplicē acceptionem legis triplex differentia.*
B omnis bonitas, vel malitia moralis conſiſtat in appetendo vel fugiendo, in volitione vel nollitione, hinc ſequitur ſecunda differentia, quòd lex illa, quæ eſt propenſio eſt multo efficacior ad continendos homines in officio virtutis, & ad efficiendum, vt homines honeſta proſequantur & turpia fugiant, quàm illa lex, quæ eſt dictamen rationis: nam iſta ſolum illuſtrat intellectum, qui illuſtratus (ſi tamen maneat voluntas infirma, & ægra, atq; in malum prona) parum proficit: immo interdum ea intellectus illuſtratio maioris ruinæ occaſionem adfert; quoniam qui ſciens peccat, minori delinquit excuſatione maioriq; culpa. Vltimò tandem differunt, quòd qui operatur ſolum propter legem, quæ eſt dictamen rationis magis ducitur metu, quàm amore, obeamq; cauſam eſt ſub iugo legis tāquam ſeruus terrore oppreſus: qui autem operatur & ducitur lege, quæ eſt pro-
C penſio, ſponte ſua ac amore operatur, & ferè iſte nec indiget lege, quæ conſiſtit in dictamine, non quia non teneatur facere, quæ per illam præcipiuntur, ſed quia eadem, quæ lex præcipit non terrore & timore, ſed ſponte incitatus (etiam ſi lex non eſset) operaretur. Quod ſignificauit Paulus, 1. ad Thimot. cap. 1. cum dixit legem non eſſe iuſto poſitam.

Demū ſupponendum eſt, hominem ex Adæ peccato inter alia cōtraxiſſe tria grauiſſima mala, ignorantiam rerum agendarum, & fugiendarum in intellectu. In voluntate infirmitatem ad honeſta proſequenda & mala fugienda, ob repugnantiam partis ſenſitiuæ. Tandem in anima maculam & nimicitiam cum Deo. Cum igitur venerit Chriſtus Dominus reparare ac ſaluum facere, quod perierat, id morte & paſſione præcedente, lege euangelica præſtitit, in qua ſuffi- *Vltima Hyppoteſis.* *Mala quæ ex peccato contraximus, & quomodo a Chriſto Sanata.*
D ciens data eſt doctrina, & rationis ordinatio, quæ doceret, quid eſſet faciendum; quid ve fugiendum, & qua repelleretur illa intellectus ignorantia, ad curandam deinde illam voluntatis infirmitatem, & eam incitandam in bonum data eſt vis quædam diuina, & participatio quædam diuinæ naturæ; ſcilicet charitas, quæ pronum redderet hominem ad bonas operationes, & quæ etiā tolleret inimicitiam ex peccato cum Deo ortam. Itaq; homini indigenti duplici lege, & lege, quæ erat doctrina & ordinatio intellectualium operationum, & lege, quæ erat propenſio, inclinatio, ſeu vis voluntatis, & animæ impellens ad bonum, vtraq; à Chriſto data eſt, & quæ tolleret intellectus ignorantiam, & quæ media gratia, & propenſione voluntatis infirmitatem ſanaret, ac pacem cum Deo componeret, & reconciliaret. Neq; ſolum data eſt prima illa lex, quæ eſt doctrina & rationis ordi-

ordinatio; quia illa ſola imbecillis erat ad hominem ſanandum, immo per occaſionē valde perniciosa, eo ſenſu & modo, quo Paulus ad Roman. cap. 4. aſſeruit, quòd vbi non eſt lex, nec præuaricatio: namq; per legem, vt cap. 3. antecedenti dixerat, cognitio peccati, ſed data eſt ſimul lex gratiæ & charitatis, quæ comprimeret turbulentos affectus, tribuens vires voluntati & animæ, ac propenſionem ad honeſta, ac tandem inimicitiam hominis cum Deo diſſolueret. Quibus ſic poſitis ſtatuo ſequentes concluſiones. A

Prima aſſertio. Prima concluſio Chriſtus Dominus vere, & proprie fuit legiſlator in lege euāgelica. Hæc propoſitio ponitur contra hæreticos huius noſtri temporis, qui (auctore Alfonſo de Caſtro, verbo, Præceptum, hæreſi 1.) vt tueantur, nullum aliud eſſe præceptum in lege euangelica præter præceptum fidei, & vt cetera alia eſſe indifferentia defendant, Chriſtum redemptorem confitentur, legiſlatorem negant. Contra quos Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. canon. 21. in hunc modum definit: *Si quis dixerit, Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe vt redemptorem, cui fidant, non etiam vt legiſlatorem cui obediant; Anathema ſit.* Colligiturq; eadem concluſio ex Iſaia, cap. 33. vbi de Meſſia loquens ait. *Dominus iudex noſter. Dominus legifer noſter.* Immo ipſe Chriſtus, Ioannis 14. ſe legiſlatorē inſinuat dicens: *Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui diligit me.* Et clarius, cap. 15. ſequenti. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.* & Deniq; Marci cap. vltimo. *Ite* (inquit Chriſtus Apoſtolis) *docete omnes gentes baptizantes eos &c.* & ſubditur: *& docentes eos ſeruare quæcunq; mandaui vobis.* Si ergo Chriſtus Apoſtolis & ſucceſſoribus præcepta dedit, non potuit non eſſe verus legiſlator, tamquam verum Eccleſiæ caput, veruſq; fidelium princeps. B

Secunda Aſſertio. Secunda Concluſio. Chriſtus Dominus, vt pote legiſlator, in lege euangelica, prætet conſilia, quæ poſuit, & præter præcepta Decalogi & naturalia, quæ Phariſęorum errore obſcurata, explicauit, & confirmauit, noua tulit ac ſtatuit præcepta de Sacramentis, & alijs rebus. Hæc propoſitio clarior eſt, quàm indigeat probatione. Enimverò quod poſuerit conſilia, illo vnico teſtimonio comprobatur, quando Chriſtus Matth. cap. 19. homini illi dicenti, ſe a iuuentute præcepta ſeruaſſe, dixit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* Quo in loco poſtquam explicuit Chriſtus, quid eſſet neceſſariò præſtandum pro æternæ vitæ conſequutione, poſtmodum maiorem illi perfectionem indicans, conſilium de omnium bonorum venditione, ac largitione dedit. Quo eodem teſtimonio clare conuincitur, Chriſtum Dominum præcepta Decalogi confirmaſſe. Nam cum prius interrogaretur, quid faciendo vitam æternam adipiſci poſſet? præcepta Decalogi ſubiungens inquit: *Serua mandata, non occides, non furtum facies; &c.* idéq; ipſum apertè docuit Chriſtus illis verbis, Matth. cap. 5. *Non veni ſoluere legem; ſed adimplere,* hoc eſt, non veni præcepta veteris teſtamenti omnino deſtruere, ſed imperfecta reſecādo legē perficere, atq; efficere, vt ea, quæ ſecundum naturā obligant, qualia ſunt præcepta moralia, euangelicis præceptis perficiantur. Et in eodem cap. 5. Matth. plura Chriſtus Decalogi præcepta antiquorum Phariſęorum errore inuerſa, & mutata declarauit; qualia fuerunt præcepta de non occidendo, de non mœchando, de non relinquenda vxore, & demū de inimicorum dilectione. Præcipuus tamen noſtræ concluſionis ſcopus, Chriſtum C D

ſtum

A ſtum ſcilicet in lege euangelica dediſſe noua præcepta, ex illo Lucæ. 13. cap. colligitur: *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis*. & ex illo Ioannis cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt intrare regnum Dei*. & tãdem Ioan. cap. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Igitur Chriſtus verus legislator cum eſſet, noua dedit præcepta in lege euangelica.

Tertia concluſio: Huiuſmodi præcepta ſiue naturalia a Chriſto explicata & confirmata, ſiue ſupernaturalia ab eo tamquam legiſlatore de nouo inſtituta, duplici modo ab ipſo ſunt hominibus tradita, & exteriùs proponẽdo ea p ſe, vel per Apoſtolos, verbo vel ſcripto: & interiùs per gratiæ & charitatis infuſionem, animo & voluntati inclinationes & vires imprimendo ad ea ipſa adimplen- *Tertia Aſſertio.*
B da, quæ proponebantur exteriùs. De exteriori præceptorum poſitione, ex Chriſti prædicatione, Apoſtolorum & Euangeliſtarum ſcriptis, nec non Eccleſiæ traditionibus clariùs colligitur, quàm indigeat probatione. Cęterum de interiori impreſſione per gratiam, manifeſtiſſime probatur ex illo. 2. ad Cor. cap. 3. *Epiſtola noſtra* inquit Paulus *vos eſtis, ſcripta in cordibus noſtris, quæ ſcitur & legitur ab hominibus, manifeſtati quod epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus*. Immo ad hoc ipſum probandum adducit Paulus ad Hebræ. cap. 8. illud Ieremiæ vaticinium, poſitum cap. 31. *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael, dicit Dominus, poſt dies illos dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*.

Hac etiam ratione confirmari poteſt. Quoniam certum eſt, in die illo Pen-
C thecoſtes, quo lex noua & euangelica promulgata creditur, Spiritum ſanctum non per verba exteriùs ſonantia, ſed per gratiæ & charitatis infuſionem impleuiſſe corda credentium. Igitur euangelica lex non ſolum data & promulgata eſt per verba exteriùs ſonantia, ſed per gratiæ & amoris infuſionem.

Poſtrema concluſio: Hæc duplex præceptorum poſitio, ſiue per exteriorem doctrinam, ſiue per gratiæ & charitatis interiorem impreſſionem, conſtituit & componit legem euangelicam: ita tamen, ꝙ pręcipue & principaliter lex euangelica conſiſtit in ipſa gratia & charitate cordibus fidelium infuſſa. Præcepta tamen exteriùs, ſiue verbis, ſiue ſcripto exhibita ſecundariò & generaliter includit. Hæc propoſitio eſt Concilij Colonienſis in explicatione Decalogi, in princi- *Vltima Aſſertio.*
D pio vbi per plura capita latiſſimè aſſignat Concilium differentiam inter legem euangelicã & cęteras leges, & S. Thomæ. 12. quæſt. 106. art. 1. & 2. Dominici ſoti lib. 2. de iuſtitia & iure, quæſt. 7. art. 1. & 2. Petri de ſoto lib. de aſſertione fidei catholicæ, cap. de Euangelio, & in fine reſponſionis contra Brentium. Qui omnes acceperunt illam ex D. Auguſtino lib. de ſpiritu & littera, vbi per plura capita docet, quo pacto omnis præceptorum exterior poſitio, etiam præceptorum naturalium & Decalogi, ſit littera occidẽs: lex autem noua ſit gratia & charitas viuificans, pecculiariter videre licet cap. 14. 17. 19. 21. & 25.

Quam concluſionem, vt exactius intelligamus, ac melius probemus, hoc ex Metaphiſica in memoriam reuocemus opus eſt, illud præcipuè conuenire cuicunque rei, quod illi ſoli conuenit, & quo mediante à reliquiſ alijs differt, *Pro exacti Aſſertionis intelligentia, Not.*

ac diſtinguitur: id verò, in quo cum alijs communicat non præcipuum & principale, ſed commune cum alijs habet, Rationale namq́ue & animal homini intrinſece conuenire nemo negat: hominis tamen precipuà ac principalis ratio rationalitas conceditur; quoniam eam ſibi propriam vendicet homo, & ea mediãte à reliquis alijs differentiam accipiat. Et quamuis animal in homine includatur, illud commune cum alijs habet, neque eſt præcipuum in homine & principale; pari modo in lege euangelica oportet philoſofari, id enim, quod habet commune cum alijs legibus; exterior ſcilicet præceptorum poſitio, non debet in ea præcipuum & principale exiſtimari: ſed ſolum illud, in quo à reliquis alijs differt, præcipuum & principale in ea nominari debet; id autem eſt, quod ex vi ſua det gratiam & charitatem, inclinetq́ue corda fidelium in verum & vltimum finem. A B

Probatur Aſſertionis prima pars. Vnde probatur concluſio, quantum ad priorem partem, in qua dicitur, legem euangelicam principaliter dicere gratiam, ſeu charitatem infuſſam Primò, quia Ioannis cap. 1. dicitur: *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum.* quod perinde eſt ac ſi diceret Ioannes, quamuis Chriſtus dominus per externam doctrinam leges & præcepta poſuerit, idem etiam præſtitit Moyſes, quod verò fuit Chriſto proprium, & in quo reliquos ſuperauit legiſlatores, illud eſt, quòd ipſe ſolus dedit gratiam & veritatem, hoc eſt, tribuit gratiam inclinando mentes hominum, vireſq́ue præſtitit ad opera virtutum. Quod clarius verbis Pauli 2. ad Cor. cap. 3. comprobatur. *Sufficientia* (inquit) *noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu; littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat.* Denique lex euangelica in hoc præcipuè diſtinguitur à reliquis alijs legibus, quòd inclinet corda hominum per gratiam & charitatem. Ergo principaliter, & vt talis eſt lex, ſeu euangelica, in illa inclinatione, quæ eſt gratia, conſiſtit. C

Probatur Aſſertionis ſecunda pars. Secunda verò pars, quod non præcipue, ſed ſecundario præceptorum externã poſitionem includat, ex eo conuincitur, quia propium eſt & præcipuum legis nouæ viuificare & ſanare hominem, vt ex dictis conſtat, & ex Paulo ad Rom. ca. 3. dicente: *Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis.* Sed omnis præceptorum externa poſitio occidit eo modo & ſenſu, quo Paulus dixit, legem veterem eſſe litterã occidentem, Igitur talis poſitio externa, quæcunque illa ſit, non principaliter ſpectat ad legem nouam. Minorem probo, quia ex eo Paulus legem veterem & præcepta Decalogi vocat litteram occidentem, quia erat doctrina exterior ſolum intellectum illuminans, poſt cuius illuminationem manebat voluntas infirma, ſumebatq́ue occaſionem appetendi prohibita, & minori excuſatione peccandi, quod elegantiſſime docet ad Rom. cap. 7. quo in loco poſtquam legem veterem appellauerat legem mortis, ſubdit: *Quid ergo dicemus, lex peccatum eſt? abſit, ſed peccatum non cognoui, niſi per legem; nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, non concupiſces, occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam.* Et poſt pauca inquit: *Peccatum occaſione accepta per mandatum ſeduxit me; itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum &c.* eadem autem dici poſſunt de quacunque externa poſitione legis, & quę vt lex eſt, ſolà ratione ſiue, ſolum intellectum illuminat. D

Ergo

A Ergo talis poſitio eſt littera occidens, ac per conſequens non poteſt eſſe id, in quo principaliter conſiſtit lex euangelica, quæ eſt viuificans. Demum hæc præceptorum externa poſitio reperitur in omni lege, neque in ea differt lex euangelica a cæteris alijs legibus. Igitur illa non eſt id, in quo precipuè conſiſtit lex noua.

Ex dictis omnibus breuiter colligere vnuſquisq; poterit verum & maximum diſcrimen inter legem veterem, & legem euangelicã. Hæc enim non differt potiſſimũ ab illa; quia præcepta veteris legis ſint diuerſa a præceptis in lege euangelica exhibitis: quoniã certum eſt, & colligitur ex ſuperioribus, præcepta moralia Decalogi, quę fuerũt in veteri lege precipua, in lege noua manſiſſe, immo & reliqua alia præcepta Moſayca, quamuis quantum ad litteram, & obligationem abrogata fuerint: tamen quantum ad rem ſignificatam, cuius cauſa potiſſimum inſtituta fuere, manſerunt. Ergo principaliter diſtinguũtur, quod lex vetus erat ſola doctrina intellectum illuminans per externam præceptorum poſitionem, non tamen ex ſe vim & inclinationem voluntati ſuggerebat, lex verò noua gratiam & inclinationem per charitatem inditam fidelium mentibus tribuit. Vnde lex vetus, quantum erat ex ſe non iuſtificabat: lex verò euangelica ex ſe iuſtificat, cum ſit inclinatio animæ & voluntati indita, quæ inclinatio eſt ipſa forma gratiæ & charitatis. Quod diſcrimen inſinuauit Paulus ad Rom. cap. 8. cum ait: *Nam quod impoſſibile erat legi*. veteri, ſcilicet hominem iuſtificare, & reddit rationem quare fuerit impoſſibile: *Quia* inquit *in quo per carnem infirmabatur*, quaſi diceret, non poterat iuſtificare; quia caro & affectus corruptus infirmam & irritam huiuſmodi legem, ſeu doctrinam reddebant: *Ideò Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnauit peccatum, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum*.

In fertur ex dictis diſcrimen potiſſimũ inter legẽ veterem, & legem euang.

B

C

Argumentis deniquè initio factis ſatisfaciendum erit. Quorum primum petit acceptiones huius nominis euangelium, quas ſi explicuerimus, argumentum ſolutum relinquemus. Euãgelium enim ſignificat primo ſcripturam illam, quæ hiſtoriam continet natiuitatis, miraculorum, factorum, ac mortis Chriſti. Quomodo ſumitur, cum dicimus Ioannem & reliquos ſcripſiſſe quattuor euangelia, ſic etiam ſumitur Marci cap. 1. cum dicitur: *Initium Euangelij Ieſu Chriſti filij Dei*, & Matth. 26. *Amen dico vobis vbicunque prædicatum fuerit euangelium hoc in vniuerſo mundo &c*. ſecundò ſignificat, legem ipſam euangelicam ſecundùm ſubſtantiam, quæ eſt gratia & charitas, atque ita in ſacris litteris euangelium dicitur liberare, viuificare, vel iuſtificare, vt videre eſt, 2. ad Corinth. cap. 3. & ad Rom. ca. 8. quæ teſtimonia ſupra inducta ſunt. Significat etiam tertiò doctrinam exteriorem, quæ medijs præceptis mentem dirigit, vt exinde in filios Dei regeneremur, ſic dixit Paulus ad Rom. cap. 1. *Non erubeſco euangelium; virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti*. hoc eſt non erubeſco doctrinam noui teſtamenti, quæ gentibus ſtultitia viſa eſt; quoniam illa ſufficiens eſt ad cauſandum ſalutem omni credenti mediante fide, quæ per dilectionem operatur, & 1. ad Corinth. cap. 4. *Nam in Chriſto Ieſu*, ait Paulus *per euangelium ego vos genui*. iuxta quam ſignificationem intelligendæ ſunt definitiones illæ Origenis in argumento adductæ; quòd

Argumentorum ſolutio.

Pro primi ſolutione ponuntur Euangelij varia acceptiones.

D

ſcilicet euangelium ſit oratio continens boni præſentiam, vel annuncians iam A adeſſe bonum, quod expectabatur. Vnde omnia illa, quæ in argumento dicuntur, vera ſunt loquendo de euangelio, vel in prima, vel in tertia ſignificatione, non autem in ſecunda. Quod ſi Interroges, propriæ nè ſint iſtæ acceptiones euangelij, ita vt proprie dicatur euangelium, ſeu lex euangelica ſcriptura Mat thæi, vel doctrina illa exterior Chriſti & Apoſtolorum, atq; gratia in cordibus fidelium infuſa? Reſpondeo abſolute & propriè vnum quodq; illorum debere dici legem euangelicam, licet principalius vnum, quàm alterum ſignificet. Significat enim gratiam infuſam, tamquàm formam cordibus inhærentem, atq; ita tamquam principalius, deinde ſignificat doctrinam exteriorem tamquàm cauſam, qua mediante manu ducimur, vt credamus in Chriſtum & per gratiam iuſtificemur. Fides enim eſt ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti. Tandem B ſignificat ſcripta illa Matthęi, ſeu Lucæ tãquàm ea, quibus exprimuntur, & ſignificãtur gratia infuſa a Chriſto, eiuſq; dicta & facta. Hinc eſt, ꝙ in ſacris litteris multa legi euangelicæ tribuũtur, quę modo ſecũdũ hãc, modo ſecundùm illã ſignificationẽ intelligi debent. Si enim accipias euangelium pro exteriori doctrina vel ſcriptura, de eo dicitur Iſaiæ cap. 9. quod ſit lux magna: *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, & Micheæ cap. 4. appellatur verbum Domini. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hieruſalem.* Ad Rom. 1. dicitur virtus in ſalutem omni credenti Si verò ſumas pro gratia, & charitate infuſa, dicitur lex amoris & dilectionis, lex gratiæ, lex ſpiritus vitæ, ſpiritus viuificans, lex regalis, ſimiliaq; plura in ſacris litteris inuenies, quæ refferre moleſtum eſſet. Ex quibus ſatiſ factum crediderim primæ difficultati. C

Interrogatio Not.

Reſponſio eiuſdem

Ad ſecundũ argumentum. Ad ſecundam reſpondetur, quòd ſi loquamur de euangelio, ſeu lege euangelica in illa acceptione, in qua ſignificat vim & inclinationem infuſam animæ & voluntati, formaliter eſt gratia: & cum infertur. Ergo peccatores non continentur intra legem euangelicam, reſpondetur non contineri intra legem euangelicam, quæ eſt gratia diffuſa in cordibus: tamen ſimpliciter ſunt dicendi contenti intra legem euangelicam: quia continentur intra exteriorem euangelij doctrinam & prædicationem. Idq; debemus abſolutè concedere, ne videamur negare homines illos fideles nullo modo cõtineri intra legem euangelicam: quod abſurdum eſt. Satis eſt contineantur fideles illi intra vnam & propriam euangelij ſignificationem, vt abſolute fateamur eos ad euangelicam legem pertinere. Preterea loquendo de euangelio, pro vt ſignificat exteriorem doctrinam, D verum etiam eſt, euangelium cauſare gratiam. Neq; hoc eſt incidere in errorem Lutheri, quod vt intelligamus, ſcire opus eſt: Lutherum, occaſione ſumpta ex illis verbis Pauli ad Rom. cap. 1. *Non erubeſco euangelium, eſt enim virtus Dei in ſalutẽ omni credenti.* exiſtimaſſe euangelium eſſe Dei virtutem, & cauſare ſalutẽ, eo modo, quo ſacramenta nouæ legis cauſant. Nam ſicut ſacramentum eſt ſub tegumento rerum ſenſibilium, & operatur ſecreta & diuina virtute ſalutem: ita (dicebat) euangelium ſecretò operatur ſalutem credentibus: & ſicut ſacramentum baptiſmi regenerat homines in filios Dei: ita eodem modo euangelium, de quo inquit Iacobus in ſua Canonica cap. 1. *Quod voluntarie genuit nos verbo veritatis.* & Paulus 1. ad Corinth. cap. 4. *Quod per euangelium genuit eos in Dei filios.* atq; ita

Error Lutheri quod euangelium cauſat gratiam ex opere operato.

A ita concludit ille hæreticus, ſolum differre ſacramentum, & euangelium, quòd ſacramentum ſignum ſit viſibile, euangelium verò ſignum audibile, ſeu verbũ vitæ. Nos verò multum a Luthero differentes aſſerimus cum D. Auguſtino lib. 14. de Ciuit. Dei, cap. 5. illa verba Pauli: *Euangelium eſt virtus Dei in ſalutem omni credenti*. eſſe intelligenda eo modo, quo illa eiuſdẽ Pauli. 1. ad Corinth. cap. 15. *Virtus peccati lex*. iſta enim ſic intelliguntur, quaſi lex fuerit occaſio ſumpta grauius peccandi: eodem modo euangelium ſeu exterior doctrina euangelij eſt occaſio, vt ſalutem conſequamur. Vnde exterior euangelij doctrina non cauſat ſalutem & gratiam ex opere operato, ſicut ſacramentum, ſed cauſat ex opere operantis, ſi ex auditu (qui fit per verbum Dei) audiens crediderit, & credendo operatus fuerit per dilectionem. Dicimur autem regenerari per euange-
B lium tamquàm per ſemen, ſecundùm illud Lucę, cap. 8. *Semen eſt verbum Dei*. eſt enim euangelica doctrina primum inſtrumentum, quo ducimur, vt fideles efficiamur, & intra Chriſti gregem numeremur. *Quomodo enim credent*, ait Paulus ad Rom. cap. 10. *ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante*. & poſtea concludit: *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Vnde etiam ſi nos euangelium cauſare ſalutem, & gratiam concedamus, ab errore Lutheri multum per omnem modum diſtamus. Obiter tamen dixerim, inter Catholicos, nonnullos aſſerere euangelium ſiue recitatum, ſiue ſcriptum ſupra infirmum poſitum ſanitatem corpori conferre ex opere operato. Et ideo docent, licitum eſſe euangelia ſcripta collo appendere. Vnde refert Sigisbertus in Chronicis, Barnabam euangelium Matthęi habraicè conſcriptum conſueuiſſe appo
C nere ſuper ijs qui infirmabantur, & ſic illos ſanos reddidiſſe. Sed de ijs videatur S. Thom, ſecunda ſecundæ quæſt. 96. art. 4. & Sixtus Senenſis lib. 6. Bibliothecæ ſanctę annotatione 102. Ad confirmationem eiuſdem 2. argumenti dicatur, legem euangelicam primariò non dicere præcepta & conſilia, ſed ſecundariò, nos verò in hac quæſtione id, quod præcipuum eſt & principale in lege euangelica, indagamus: & ita concludimus eſſe gratiam & charitatem cordibus fidelium infuſam.

Euangelium ſecundum aliquos dat ſanitatem corporalem ex opere operato.

Tertium argumentum rectè probat legem euangelicam, ſi ſummatur pro ordinatione rationis, eſſe actum practicum intellectus elicitum à prudentia gubernatiua: ſed hoc loco non loquimur de lege in hac ſignificatione, ſed vt explicatum eſt, hic loquimur de lege euangelica, ſolum prout dicit inclinationẽ
D ſuperinditam animæ & voluntati: quæ ſine dubio eſt gratia & charitas ſubiectiue exiſtens in anima & voluntate, & non in intellectu.

Ad tertium.

Ad illud tandem quod de Patribus veteris teſtamenti obijciebatur, & quod longam poſtulabat diſputationem, vnico verbo reſpondeo, omnes illos, quibus gratia collata fuit ratione illius, ſicut & nos, ad legem nouam pertinere, quia gratiam propter Chriſtum recipiebant, & omnes eumdẽ nobiſcum potum ſpiritualem bibebant, bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus 1. ad Corinth. cap. 10. de quo latè Auguſtinus Epiſtola 157. quæ eſt ad Optatum Epiſcopum. Quamobrem lex euangelica non eſt præcipue lex noua appellata, quia ſit poſt veterem tributa, ſed potius quia homines interius renouat: quod etiam docuit idem Auguſtinus lib. citato de ſpiritu & littera

Ad vltimum

tera

tera cap. 20. Cum hoc tamen benè ſtat abſolutè euangelium à ceſſatione legis A
veteris cępiſſe, quia cępit realis Chriſti pręſentia, & non ſolũ meritorum Chriſti
virtus, ſed vera efficientia & efficacia in omnes, qui puro corde inuocant illum.



EX DVABVS CONTROVERSIIS QVÆ POSITÆ Fuerunt pro ſeptimo Proponente, prior poſitiua & in ordine ſeptima fuit.

Vtrum inter fideles lugere benè mortuos, pium & conceſſum ſit? B

SVMMA CONTROVERSIAE SEQVENTIS.

Adeo ſunt clara & aperta ſanctorum Patrum teſtimonia, quibus a lugendis bene mortuis retrahimur, vt rem omnino facilem, aliquantulum obſcuram reddere videantur. Poſita tamen veritate, Hieronymo, Chriſoſtomo, & Auguſtino, inter alios, pro contraria ſententia apertè (vt apparet) loquentibus ſatisfit.

Teſtimonia Patrũ de mortuis non lugendis.

VNT tot, tantaque teſtimonia grauiſſimorum Patrum, vt huiuſmodi rem etiam ſi primo intuitu facilem, obſcuram, ancipitemq; reddant. Namque Chryſoſtomus ferè infinitis in locis, lugere bene mortuos acriter repręhendit. In primis longo ſermone id prę- C
ſtat, homil. 6. in cap. 4. prioris ad Theſalonicens. epiſtolę, homil. 41. in cap. 15. prioris ad Corinth. homil. 4. in cap. 1. ad Philipenſ. ac tandem homil. 4. in cap. 2. ad Hebræos. vbi vehementiſſime increpans huiuſmodi lugendi morem, timet nè in Eccleſiam peſſimus aliquis morbus ſubintret. Eſt etiam Tertulianus huius ſententiæ lib. de patientia, Cyprianus ſermone 4. de mortalitate, Hieronymus in regula monachorum, de mortuis non lugendis integrum caput edidit, & in Epitaphio Nepotiani ad Helyodorum, huiuſmodi rem exemplo gentilium comprobat. Adducit Periclem & Xenophõtem ſocraticum, quorum alius, referente Valerio Maximo lib. 5. cap. 10. & Plutharco in conſolatione, citante prothagoram auctorem, amiſſis duobus filijs coronatus in concione
differuit; alter verò cum ſacrificans audiſſet filium occiſum depoſuiſſe coronam D
dicitur, & eandem capiti repoſuiſſe, poſtquàm illum fortiter in acie dimicãtem concidiſſe cognouit. Omitto Puluillum, qui poſtem tenens & Capitolium dedicans mortuum (vt anunciabatur) ſubitò filium ſe iuſſit abſente ſepeliri. Vt refert Seneca lib. de conſolatione ad Marciam cap. 13. Relinquo Paulum Emilium, qui (referente Plutharco in vita ipſius & Valerio Maximo vbi ſupra) ſeptem diebus inter exequias duorum filiorum triũphans vrbem ingreſſus eſt. Nec grauabor adferre id, quod ante eius ingreſſum contigit: cum enim videret Emilius populum de ſuo caſu ſolicitum, prodijt in concionem; & orationem, quam de rebus a ſe geſtis habuit, hac clauſula finijt: Cum in maximo prouentu fælicitatis noſtræ Quirites timerem, nè quid mali fortuna moliretur, Iouem optimum maximum,

Exempla gẽtilium a S. Patribus adducta pro mortuis non lugendis.

Verba Emily ad Populũ.

A maximum, Iunonemque reginam precatus ſum, vt ſi quid aduerſi Populo Romano immineret, totum in meam domũ conuerteretur. Quapropter benè ſe habent res, annuendo enim votis meis id egerunt, vt vos potius meum caſum doleatis, quam ego veſtrum ingemiſcerem. Pretermitto Maximos, Catones, Scæuolas, Brutos, Metellos, & alios plures, quorum non minor in luctu, quàm in bellis virtus fuit, late id explicante Seneca lib. de conſolatione ad Pollibyum cap. 32. & 33. & lib. de conſolatione ad Martiam a cap. 12. & deinceps. Quorum antiquorum geſta cum enarraret Chryſoſtomus. homil. 61. in cap. 11. Ioannis, in hæc verba loquutus eſt; Ideò pudet me gentiles hæc ſapere, nos impudentes eſſe, qui de reſurrectione nihil intelligunt, intelligentium opera faciunt, qui verò cognoſcunt, ignorantium. & Hieronymus in epiſtola ad Paulam ſuper obitu Ble-
B ſillæ, eam dum a luctu retraheret ſic alloquutus eſt: Quid vetera replicem? preſentia exempla ſectare. Sancta Melania noſtri temporis inter Chriſtianos vera nobilitas, cum qua tibi Dominus, mihique concedat in die ſua habere partem, calente adhuc mariti corpuſculo, & necdum humato, duos ſimul perdidit filios. Rem ſum dicturus incredibilem, ſed teſte Chriſto non falſam. Quis illam tunc non putaret more lymphatico, ſparſis crinibus, veſte conciſſa, lacerum pectus inuadere? Lacrymæ gutta non fluxit: ſtetit immobilis, & ad pedes inuoluta Chriſti, quaſi ipſum teneret, arriſit. Expeditius (inquit) tibi ſeruitura ſum Domine, quia tanto me onere liberaſti.

Illuſtre S. Melaniæ factũ à D. Hieronymo relatum.

Eſt preterea huius ſententiæ Auguſtinus ſermone 1. de conſolatione mortuorum cap. 3. in quo capite adducit rationes illorum, qui mortuos deflent, & redar-
C guit in hæc verba: Sed dicis, ſcio communẽ eſſe caſum, ſcio quia is, qui mortuus eſt, debitum ſoluit: ſed delectationem cogito, neceſſitates reputo, conſuetudinẽ requiro, ſi propter hæc (inquit) triſtitia afficeris, errore duceris, non ratione gubernaris; ſcire enim debes, quòd Dominus, qui tibi dedit hanc neceſſitatem, potẽs eſt per aliam occaſionem ſupplere &c. Demum Ambroſius in oratione de fide reſurrectionis tribus argumentis probat mortem non eſſe lugendam. Primò, quia cunctis ſit debita. Tum, quia nos a ſęculi huius abſoluit erumnis. Tum vltimò, quia laſſis adhuc corporibus requiem donat.

Confirmant ſuam ſententiam omnes prædicti Patres ex Paulo. 1. ad Theſalonicens. 4. precipuè Auguſtinus ſermone cit, cap. 4. dicens: Prohibes lugere mortuos, cum & Patriarchæ plorati ſint, non ego (inquit) ſed Paulus dicens: *No-*
D *lo vos ignorare fratres de dormientibus vt non triſtes ſitis, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.*

Confirmant Sancti Petres ex S. litteris.

Sed a principio meis reſonat auribus reſponſio quæ his omnibus teſtimonijs adhiberi poſſet, putà debere intelligi de nimio & immoderato luctu Ethnicorũ ac gentilium morem veluti approbante. Contra quos huiuſmodi conficio argumentum. Quia ſuperiores Patres non ſolum aſſerunt non eſſe lugendos bene mortuos, verum & reſpondent omnibus teſtimonijs, quibus adhuc moderatus luctus cõprobari poterat: qualia ſunt huiuſmodi teſtimonia, Genes. 23. Abrahã venit in ciuitatem Arbee vt plangeret vxorem Sarram. Et ſtatim cap. 24. Iſaac eandem Sarram matrem defleuit. Ruſus Iacob cap. 37. ſciſſis veſtibus & cilicio indutus luxit multo tempore filium Ioſeph, quem putarat mortuum. Inſuper Numeror. cap. 20. filij Iſrael fleuerunt per cunctas familias Aaron triginta diebus.

Obuiatur ſolutioni quę cui que ſe offert.

Plura teſtimonia promortuis lugend.

bus. luxerunt & Moyſen Deteronom.cap. 34. in Campeſtribus Moab totidem A diebus, itidem Dauid lib. 2. Regum cap. 18. ingenti luctu defleuit mortem filij, Abſalom, Tandem lib. 1. Machabæorum cap. 2. Mathathias & eius amici magnũ habuerunt luctum ſuper ijs, qui pro defenſione ſuarum legum a militibus Antiochi interfecti ſunt. Et tempore etiam Chriſti Ioannis cap. 11. ſorores Lazari vehementer illius mortem luxerunt: immo Chriſtus commiſertus illis mulieribus immodico dolore vulneratis, vt vidit ſepulcrum Lazari, lacrymas, commiſeratione motus effudit. Quibus omnibus teſtimonijs reſpondet Hieronymus in illa epiſtola ad Paulam de obitu Bleſillæ, in hæc verba: Perfacilis ad iſta reſpõſio eſt: Luxiſſe Iacob filium, quem putabat occiſum, ad quem & ipſe erat ad inferos deſcenſurus, dicens; Deſcẽdam ad filium meum lugens in infernum: quia necdum paradiſi ianuam Chriſtus effregerat; necdum flammeam illam rom- B pheam, & vertiginem præſidium Cherubin, ſanguis eius extinxerat. Vnde & Abraham, licet in loco refrigerij, tamen apud inferos cum Lazaro fuiſſe ſcribitur. Et Dauid iuſte fleuiſſe filium parricidam, qui alium paruulum, poſtquam, vt viueret, impetrare non potuit, quia ſciebat non peccaſſe, non fleuit. De Moyſe, verò & Aaron, quòd eis ex veteri more ſit planctus exhibitus, non mirandum eſt; cum & in Actis Apoſtolorum, iam euangelio corruſcante, Stephano fecerint Hieroſolymæ fratres planctum magnum, & vtique planctus magnus non in plangentium exanimatione, vt tu putas, ſed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus ſit. Denique de Iacob ſcriptura ſic loquitur: *Et aſcendit Ioſeph ſepelire patrem ſuum: & aſcenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis, & ſeniores domus eius, & ſeniores omnis terræ Aegypti & omnis domus Ioſeph, & fra-* C *tres eius.* Et poſt paululum: *Et aſcenderunt cum eo quadrigæ & equites & facta ſunt caſtra grandia nimis.* Ac deinde: *Et planxerunt eum planctu magno, & forti nimis.* Planctus iſte ſollemnis non longas Aegyptijs imperat lacrymas, ſed funeris mõſtrat ornatum. Iuxta quem modum Aaron quoque & Moyſen fletos eſſe, manifeſtũ eſt. Nequeo ſatis ſcripturæ laudare myſteria & diuinum ſenſum in verbis licet ſimplicibus admirari, quid ſibi vellit, quòd Moyſes plangitur, & Ieſus Naue, vir ſanctus, ſepultus refertur, & tamen fletus eſſe non ſcribitur. Nempe illud, quod in Moyſe, ideſt, in lege veteri ſub peccato Adam, omnes tenebãtur elogio, & ad inferos deſcendentes conſequentes lacrymæ proſequebantur, ſecundum Apoſtolum, qui ait: *Et regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam ſuper eos qui non peccauerunt.* In Ieſu verò, ideſt, in euangelio, per quem paradiſus eſt aper- D tus, mortem gaudia proſequuntur. Et Poſt paululum: Nos verò, qui Chriſtum induimus, & facti ſumus, iuxta Apoſtolum, genus regium & ſacerdotale, non debemus ſuper mortuos contriſtari. & concludit Hieronymus. Hæc idcirco dicimus; ne ignorantia ſcripturarum auctoritatem tibi præberet in luctu, & videreris rationabiliter errare. Multò clariùs Auguſtinus in illo citato ſermone. de conſolatione cap. 4. loquitur: Non poteſt (ait) euangelij claritas obſcurari, ſiue quia hi, qui ante legem, aut ſub legis vmbra poſiti fuere, ſuos mortuos flebant, merito flebant, quia nondum de cælis venerat Chriſtus, qui fontem illum lacrymarum ſua reſurrectione ſiccaret, merito lamentabantur, quia nondum reſurrectio prædicabatur. & Paulò poſt inquit: Sed dices, in euangelio ecce legitur

In pluribus codicibus, exanimatione, ſed non recte.

tur

A tur ſorores Lazari ipſum fleuiſſe, ſed & illæ adhuc (inquit) ſecundùm legem ſapiebant, quia necdum Chriſtum a mortuis ſurrexiſſe conſpexerant: Fleuit & ipſe Dominus Lazarum, non quidem vt flendi mortuos formam daret, ſed vt ipſe per lacrymas verum corpus aſſumpſiſſe monſtraret. Hæc Auguſtinus. Eandem reddit cauſam defletu Chriſti idem Auguſtinus tractatu 49. in Ioannem. Chryſoſtomus homil. 61. ſuper eadem verba Ioannis, Theophilactus, & Lyranus ibidem. Igitur poſt Domini reſurrectionem fideles mortuos lugere non licet.

Statuo nihilominus huiuſmodi aſſertionem: Pium ac licitum eſt fideles è vita decedentes magna tamen prudentia ac mediocritate, neque futuræ reſſurectionis quaſi immemores lugere. Tenet hanc concluſionem S. Thomas in *Poſitio veritatis.*
B illa verba prioris epiſtolæ ad Theſalonicens. cap. 4. *Nolo vos ignorare fratres de dormientibus vt non contriſtemini.* quo in loco docet Paulum benè concedere triſtari pro mortuis, aliquid tamen negare & prohibere, nè ſcilicèt inordinatè fiat, quapropter (inquit) addidit Paulus in adductis verbis illá particulam: *Sicut & cæteri, qui ſpem non habent.* Docuit idem antea. B. Theodoretus explicans eadem verba. tenuit & Diuus Fulgentius epiſtola. 2. ad Gallam de conſolatione mariti defuncti, ſtatim in principio inducta verba Pauli verſans. Sequutus eſt omnes hos Cardinalis Caietanus commentarijs in eũdem locum. Immo tenuit hoc idem Auguſtinus ſermone 32. ſuper eiſdem Pauli verbis; ſeque id opere præſtitum ob mortem matris docet lib. 9. confeſſionum cap. 12.

Probaturque dicta concluſio, primò ex illo Eccleſiaſtici 22. *Supra mortuum plo-* *Cõfirmatur ex ſacri litteris veritas.*
C *ra, defecit enim lux eius.* Et paulò infra, *Luctus mortui ſeptem dies, fatui autem & impij omnes dies vitæ illorum.* quæ verba enarrans Auguſtinus quæſtionibus in Genes. quæſt. 172. conſuetudinem eorum, qui mortuos per ſeptem dies lugent, approbat; illorum verò, qui per nouem dies deflent, condemnare videtur, dicens: Neſcio an inueniatur alicui ſanctorum in Sripturis ſacris celebratum eſſe luctum per nouem dies, quod apud latinos. *Nouemdial* appellant. Vnde mihi videntur ab hac conſuetudine prohibendi ſi qui Chriſtianorum iſtum in mortuis ſuis numerum ſeruant, qui magis eſt in gentilium conſuetudine. Hæc ille. Immo in veteri & antiqua lege temperato luctu mortuos plangere præceptum erat. Leuitici namque cap. 19. præcipiebatur ne ſuper mortuo inciderent carnes: quod explicans D. Auguſtinus quæſt. 71. in Leuitic. inquit: In lu-
D ctu nonnullæ gentes habent conſuetudinem ſecare ſeu incidere corpora ſua, hoc autem fieri a Iudæis Deus prohibet.

Dices tamen cum ſuperioribus Patribus commemorata omnia debere intelligi ante legem euangelicam, quæ reſurrectionem mortuorum prædicat. Addimam tamen hunc ſcrupulum; namque coruſcante Euangelio viri timorati fecerunt planctum magnum ſuper Stephanum, Actorum cap. 8. Igitur benè mortuos lugendos eſſe, ex euangelica lege colligitur. *Cõfirmatur ex nouo teſtamento.*

Tandem ratio naturalis eandem aſſertionem comprobare videtur. Quoniam mortem horret non opinio, ſed natura. Mors enim ipſa, quam natura refugit, cum occupat dilectum, contriſtat in nobis ipſius dilectionis affectum. Etenim naturæ pondere & vi coniuncta membra & compacta *Comprobatur poſitio ratione naturali*

ſemper perſiſtere quaſi contendunt. ſic adeo vt inter inſenſibilia entia & ea A
quæ irrationalia ſeu rationis expertia ſunt, ob iſtud naturæ pondus mirabiles
effectus occaſione diuiſionis & ſeparationis intueamur. Lapides & ſaxa ſciſ-
ſioni obſiſtentia magnum pro voce dant ſonum. Virgæ, trabes, & eius ge-
neris ligna ſtrepitum partitione cauſant, quaſi conquerantur ea omnia at-
que doleant ab antiqua ſecerni & ſeparari vniformitate. Quid ſi paulo altiùs
ſenſibilia contemplemur? Aues triſti ſuo cantu ob filiorum rapinam ad mi-
ſerationem mouent. Leones ſuum rugitu dolorem oſtendunt. Boues mu-
gitu conqueruntur. Mittamus cætera quæ ſuo vllulatu veluti planctum for-
mant, atque eo, quaſi loquella commoſtrant pari ſe nimium diuiſione affli-
gi ſiue triſtari. Quæ conſiderantes amici Iob, modumque accurate intelli-
gentes, quo eum conſolari deberent, exclamantes priùs plorauerunt. *Et ſciſ-* B
ſis veſtibus (inquit Scriptura) *ſparſerunt puluerem ſuper caput ſuum in cælum, &*
ſederunt cum eo in terra ſeptem diebus & ſeptem noctibus, antequam aliquis ex eis lo-
queretur ei verbum. Iob. cap. 2. Vt in eo, alioquè pari euentu, innuerent, dan-
dum eſſe locum luctui, per ſpatiumque aliquod temporis parcendum eſſe tri-
ſtitiæ, neque conſolatorem decere hilari vultu, alacri conuictu, iucundo-
que ſermone afflictum à dolore retrahere. Ordo quippe conſolationis eſt,
(vt a D. Gregorio accepimus lib. 3. Moralium cap. 10.) vt cum volumus af-
flictum quempiam a mærore ſuſpendere: ſtudeamus prius mærendo eius lu-
ctui concordare. Dolentem namque non poteſt conſolari, qui non concor-
dat dolori: quia eo ipſo quo a mærentis afflictione diſcrepat: minus ab illo
recipitur, à quo mentis qualitate ſeparatur. Sed emolliri prius debet animus: C
vt afflictio congruat, congruens inhæreat, inhærentes trahat. Neque enim
ferrum ferro coniungitur, ſi non vtrumque exuſtione ignis liquetur: &
durum molli non adhæret, niſi prius eius duritia temperata molleſcat: vt
quaſi hoc ipſum fiat, quod curatur, vt teneat. Sic nec iacentes erigimus,
niſi à rigore noſtri ſtatus inclinemur: quia dum rectitudo ſtantis a iacentis
ſitu diſcrepat, eum cui condeſcendere negligit, nequaquam leuat. Quæ om-
nia adeo vera ſunt, vt Chriſtus Dominus naturalis Dei filius pro redemptio-
ne & vera generis humani conſolatione habitu inuentus vt homo neceſſi-
tudinibus, lacrymis, & laboribus mundum fuerit ingreſſus, veneritque vt
per preces & ſupplicationes cum clamore valido & lacrymis oblatas, veram
conſolationem mæſtis, afflictiſque hominibus adferret, mæroris & afflictionis D
habitu indutus.

Quomodocō ſolandi triſtes ex Gregorio.

Attamen cum dolorem ita temperare oportet, triſtitiæque ſuſceptæ mo-
dum apponere, vt etiam ſi cum brutis in ea naturali inclinatione homines
participes ſimus; in eis, quæ rationis modum atque menſuram expoſcunt, di-
uerſos nos ab illis atque diſtinctos eſſe oſtendamus, conſiderantes bene mor-
tuos pro nobis aduocatos eſſe apud Patrem, qui in cœlis eſt: maiorique nos il-
lic poſſe fauore & beneficio proſequi in perpetua exiſtentes pace, a curis ſolu-
tos, vitam quietam, tranquilitateque refertam, doloris, curęque vacuam atque
experté degentes; quàm ſi in carne laboribus, ſolicitudinibus, & negotijs impli-
cati atq; in ſęculo viuant. Si enim diues ille Epulo angoribus, & tormentis, atq;
exitiali

A exitiali damnatione in inferno ſepultus patrem rogabat Abraham, vt mitteret Lazarum in domum patris ſui, vt fratres ſuos commonefaceret, atque ab eo tormentorum loco liberaret, Lucæ cap. 16. Quantò magis pauperes ſpiritu bene mortui cum Chriſto in loco deliciarum conregnantes Patrem pro nobis orabunt cæleſtem, vt non cum hoc mundo damnemur? Contemplantes inſuper laboribus, doloribus, anguſtijs, milleque alijs plagarum modis Chriſti amicos & familiares in regnum introijſſe cælorum; conſuetumque ſemper fuiſſe a primo iuſto Abel vſque in hodiernum diem calicem Chriſti prius bibiſſe, quàm in regno Patris ad dexteram illius, aut ſiniſtram conſediſſe. Oportuit enim Chriſtum prius pati, & poſt reſurgere a mortuis, atque ita intrare in gloriam ſuam. Decuit gladium doloris ipſius Beatiſſimæ B Virginis animam prius pertranſire, Chriſtique vnigeniti filij ſui tormenta & dolores intueri, quàm in cœlum ſupra Angelorum Choros aſſumi. Conſentaneum porrò fuit, Apoſtolos, reliquosque Chriſti diſcipulos egentes, anguſtiatos, & afflictos, ludibria & verbera experiri, vincula inſuper & carceres, lapidari, ſeccari, tentari, in occiſione gladij mori, & teſtimonium reddere eius, quæ in nobis eſt, fidei, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Hæc igitur & ſimilia à nimio & immoderato luctu in propinquorum ſeu familiarium morte retrahere nos debent, eundem cum bibamus calicem quem Chriſtus, & quotquot eius fuerunt chari & amici biberunt. Conſolabatur enimuerò Chriſtus ſuos diſcipulos Ioann. cap. 16. quòd triſtes eſſent de abſentia eius futura, dicens: *Sed quia hæc loquutus ſum vobis triſtitia impleuit* C *cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam. ſi enim non abiero paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero mittam eum ad vos.* O miranda conſolatio. O mira ſententia. Numquid ſuauis Chriſti præſentia, dulciſque & cœleſtis ſuæ diuinæ perſonæ cum diſcipulis conuerſatio impedimento erat aduentui Spiritus ſancti? Numquid Chriſtus & Spiritus ſanctus diuiſi erant? Numquid diuiſum vtriuſque regnum? Attende diuinam Chriſti ſapientiam. Erat enim adeò magna diſcipulorum Chriſti delectatio ex intuitu ſuæ dulciſſimæ humanitatis exorta, adeo excellens voluptas ex corporali preſentia, vt quaſi obſtupefacti tenerentur, ne ea quæ altiora atque diuiniora erant, ſicut par erat, contemplarentur: *Domine* (inquit Petrus ad Ieſum, in eius glorioſiſſima transfiguratione. Matth. cap. 17.) *bonum eſt nos hic* D *eſſe: ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum & Eliæ vnum.* Verum cum neſciret, quid peteret, ne amplius exteriori illo ſplendore, corporiſque gloria detentus, diuinæque viſionis (de qua Chriſtus perſæpe loquutus diſcipulis fuerat) oblitus & immemor altiora non ſaperet: vtque rurſum intelligeret, non tam citò permanentem gloriam & ſplendorem oportere adipiſci, *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Decebat igitur Apoſtolos corporali Chiſti præſentia ad tempus deſtitui, illumque modicum & non videre, ne eis ſemper lac (ſicut paruulis) potus daretur; ſed euacuatis quæ erant paruulorum, virorum ſumerent alimenta, viriq; fierent; corporalique Chriſti præſentia deſtituti ab eoque ſeparati & ſeiuncti, labores, perſequutiones, afflictiones & anguſtias perpeſſi, teſtimonioq; fidei probati acciperent repromiſſionem. Non diſſimiliter ſæpius

Conſolatio Chriſti ad diſcipulos.

A Lutherum in principio, Abulenſis in cap. 16. Matth. quæſt. 67. & denique Archidiaconi ſuper §. His auctoritatibus, cap. Quis aliquando, de pænitentia, diſt. 1. Quorum omnium opinio ea fuit, Apoſtolos omnes nemine excepto tunc tẽporis fidem amiſiſſe, illudque ſacris litteris conforme, ac antiquorum Eccleſiæ Patrum ſcriptis conſonum conjendunt oſtendere. Matthæi enim. 26. cap. & Marci, 14. Apoſtolis omnibus Chriſtus his verbis loquutus eſt: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte, ſcriptum eſt enim, percutiam Paſtorem, & diſpergentur oues gregis*. Illud verò ſcandalum peccatum in fide fuiſſe; quo Apoſtoli ab vnitate fidei ſoluti Chriſtum dereliquerunt, videntur docere Origenes homil. 17. in Lucã, Chryſoſtomus in Pſalm. 13. explicans illa verba: *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt*. S. Thomas & Gloſa interlinealis ibidem. Rurſum Lucæ cap. 24.

Colligunt ex ſacris litteris.

B narratur, verba mulierum, dicentium Chriſtum reſurrexiſſe, viſſa fuiſſe Apoſtolis quaſi deliramenta, neque eis crediđiſſe: ſicut neq; duobus illis diſcipulis, qui profecti fuerant in Emaus, poſt reuertentibus credidiſſe, docet Marcus cap. 16. Immo in eodem capite. 16. claris verbis id ipſum teſtatur Marcus cum inquit: *Nouiſſimè autem recumbentibus illis vndecim apparuit Ieſus, & exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia ijs, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt*. quid clarius? Ecce quomodo omnibus Apoſtolis, nemine deficiente, apparuit Chriſtus & eos omnes tamquam infideles ac incredulos increpauit & reprehendit. Quæ omnia perpendens D. Hieronymus ſuperiorem videtur tenere ſententiam multis in locis, præſertim ſuper Pſalm. 13. explicans illa verba inducta: *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt*. & ſuper Pſalm. 88. enarrans illud:

Teſtimonia ſanctorum Patrum pro eadem ſententia.

C *Minoraſti dies temporis eius, perfudiſti eum confuſione*. & peculiariter lib. 4. in Matth. cap. 26. inuehitur Hieronymus in eorum ſententiam (quæ fuit Ambroſij lib. 10. commentariorum in Lucam, & Hilarij cannonibus 31. & 32. in Matthęum) qui curant defendere B. Petrum, & quoddammodo eum excuſare a negotione Dei & fidei. Fuit etiam ſuperioris ſententiæ Auguſtinus ſuper Pſalm. 108. & 138. & Gregorius magnus explicans illa verba Iob. cap. 19. *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum*. & ne his & alijs adducendis (quorum eadem eſt mens, idemque ſenſus) tempus teram, præfatam ſententiam vſu Catholicæ ac Romanæ eccleſiæ receptam arbitratur Guillermus in illo ſuo rationali diuinorum officiorum lib. 6. cap. 72. num. 20. & 25. colligitque ex illis cæreis Apoſtolos ſignificantibus tempore maioris hebdomadæ, dum Matutinum officium feria 4.

Vſus Eccleſiæ pro eadem re.

D & alijs duabus recitatur, extinctis, vno ſolo lumen retinente, ac Beatiſſ. Virginẽ ſignificante, quæ ſola tali tempore fidelis permanſit. Quamuis (vt obiter dicam) adhuc illam in fide hæſitaſſe videatur aſſerere Chryſoſtomus. homil. 49. in Geneſin, & ſuper Pſalm. 13. vbi ſic loquitur: Quando Chriſtus fuit crucifixus, non fuit qui faceret bonum: diſcipuli omnes fugerunt, Ioannes nudus recedit, Petrus negat, ipſius Mariæ matris animum gladius dubitationis pertranſijt. Non diſimiliter loquitur Origenes homil. 17. in Lucam, explicans illud cap. 2. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*. Idem videtur docere Theophilactus ſuper eiſdem verbis. Et, quod magis miror, Auguſtinus lib. quæſtionum noui & veteris teſtamenti, quæſt. 73. exponens inducta verba Lucæ, ſic loquitur: Quod autem adiecit dicens, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur multorum.

Obiter notãda loca S. Patrum de fide B. Virginis, q̃ oportet piè interpretari.

multorum cordium cogitationes, hoc vtique ſignificauit, quia etiam Maria A (per quam geſtum eſt myſterium incarnationis ſaluatoris) in morte Domini dubitaret, ita tamen vt in reſurrectione Domini firmaretur: quis enim non ambigeret videns eum, qui ſe filium Dei dicebat, ita humiliatum, vt vſque ad mortem deſcenderet? hæc Auguſtinus. Sed non eſt dici, locique huius de hac re agere: Sat ſit hic dicere, & animaduertere huiuſmodi Patres piè potius explicandos, quàm in hunc impium & blaſphemum errorem trahendos. Explicat autem eos S. Thom. 3. Part. quæſt. 27. art. 4. ad ſecundum. Quaſi loquantur non de eo dubitationis genere, quod ex infidelitate procedit, ſed de hæſitatione ſtuporis, quæ poſt ingentem admirationem & diſcuſionem ſequi ſolet, iuxta verba Baſylij in epiſtola ad Optimum ita loquentis: Virgo aſſiſtens cruci & aſpiciens ſingula, poſt teſtimonium Gabrielis, poſt ineffabilem diuinæ conceptionis notitiam, poſt ingentem miraculorum oſtenſionem, animo fluctuabat, ex vna ſcilicèt parte videns eum pati abiecta, & ex alia parte conſiderans eius mirifica. Hæc D. Baſylius. Sed obiter etiam aduertat lector. in B. Chryſoſtomi verbis, quibus gladium dubitationis in B. Virgine ponit, non fuiſſe adiunctam dictionem illam: In fide; Quemadmodum neque indubitatum & certum eſſe, librum citatum Quæſtionum noui & veteris Teſtamenti fuiſſe D. Auguſtini: cum multis viſum fuerit, ei falsò adſcriptum. Sed de his aliàs. Ad propoſitum vt redeamus. Nonnulli ſuperiorem ſententiam tenentes, inter quos etiam eſt & Turrecremata loco cit. vt conſequenter loquantur dictis addunt; Apoſtolos illo tempore etiam ſi non hæreticos; infideles tamen fuiſſe: quoniam etiam ſi à Theologis precipuè a S. Thom. 2.2. quæſt. 10. art. 5. tres tantum aſſignentur ſpecies infidelitatis, nempe Iudaismus, hæreſis, & Paganismus, tamen in has ſpecies non quomodo cunque conſiderata partitur infidelitas, ſed prout dicit contrarietatem ad fidem, qua conſideratione Apoſtoli non ſunt cenſendi fuiſſe infideles, cum nuſquàm legantur fidei contradixiſſe, tenendo, docendo vè cum pertinatia aliquid illi contrarium. Quamobrem non ſunt in ea acceptione dicendi infideles, & per conſequens neque appellandi pagani, Iudæi vel hæretici, quamuis bene infideles denominandi ab infidelitate, quæ fluctuationem, firmæque adhæſionis negationem dicit, de qua infidelitate intelligunt illud celebre Stephani Papæ (ſeu vt alijs placet Sixti primi, aut Iulij primi) dictum & relatum ca. 3. de hæreticis: Dubius in fide infidelis eſt. D

Iuniores aliquot Apoſtolos in fideles fuiſſe concedunt, hæreticos negant.

Auctores oppoſita ſnia.

Contrariam ſententiam tenuit M. Cano. lib. 4. de locis cap. 5. & lib. 6. cap. vltimo. qui non ſolum non omnes Apoſtolos; ſed neque adhuc Petrum fidem amiſiſſe exiſtimat, & contrarium eius probabilitate carere arbitratur, & quamuis auctorem pro hac opinione nullum adferat, fuit hæc ſententia olim D. Hilarij canonibus 31. & 32. in Matth. & ſuper Pſalm. 52. D. Ambroſij lib. 10. in Lucam. Leonis Papæ ſermone. 9. de paſſione Domini. D. Bernardi tractatu de gratia & libero arbitrio paulo ante finem, & libelo de natura & dignitate diuini amoris cap. 6. quibus omnibus aſſentitur Prudentius in Cathemerinon, ad galli cantum, his verſibus;

Fleuit

A *Flevit negator denique*
ex ore prolapſum nefas,
cum mens maneret innocens,
animusque ſeruaret fidem.
Nec tale quidquam poſtea
lingua loquutus lubrica eſt,
cantuque galli recognito,
peccare iuſtus deſtitit.

Et quidem iſta ſententia videtur colligi ex Matthæo cap. vltimo vbi ait: *Quod diſcipuli abierunt in Galilæam, in montem vbi conſtituerat illis Ieſus, & videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.* quidam, dixit, non omnes. Et quamuis B aliqui huiuſmodi Matthæi verba non ad Apoſtolos, ſed ad alios neſcio quos diſcipulos referant, exiſtimantes diuerſam eam eſſe apparitionem, ab apparitione Apoſtolorum, quam refert Marcus cap. 16. tamen Remigius & Thophilactus ibidem ad priores Chriſti apparitiones accommodant reſpectu aliquorum Apoſtolorum. Præterea id quod Marcus aſſerit in illo cap. vltimo Chriſtum increpaſſe incredulitatem & duritiam cordis, quia mulieribus ſe vidiſſe Dominũ affirmantibus nequaquám crediderant, nõ pertinet ad omnes Apoſtolos, immo Petrus & Ioannes audito nuntio ad monumentum cucurrerunt, vt narrat Ioannes cap. 23. Igitur non omnes incredulitate laborarunt.

Probatur e: ſententia ex ſ. Scriptura.

Facit etiam pro hac ſententia id, quod narrat Hieronymus in Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum, verbo, Iacobus, in hæc verba: Euangelium quoque C quod appellatur ſecundùm Hebræos, & a me nuper in græcum, latinumque ſermonem tranſlatum eſt, quo & Origenes ſæpe vtitur, poſt reſurrectionem Saluatoris refert, quod cum Dominus dediſſet ſindonem ſeruo ſacerdotis, iuit ad Iacobum & apparuit ei (iurauerat enim Iacobus ſe non comeſturum panem ab illa hora, qua calicem Domini biberat, donec videret eum reſurgentem a mortuis) & poſt pauca, ſubdit: Tulit Ieſus panem, & benedixit ac fregit, & dedit Iacobo iuſto dicens, frater mi comede panem tuum, quia ſurrexit filius hominis a dormientibus. hęc Hieronymus. Non eſt ergo Iacobus inter eos incredulos annumerandus. Vbi notauerim obiter, conſuetudinem illam piorum fidelium toto eo tempore, quo corpus Domini in ſepulcro iacuit, nihil cibi aut potus ſumentium, forſam a tempore D. Iacobi originem traxiſſe, ad eiuſque imi- D tationem obſeruatam vſque hodie remanſiſſe. hiſpanicè dici ſolet: Aiunar el traſpaſſo.

Conſuetudo piorum fidelium ieiunantium per totũ tempus, in quo Chriſti corpus iacuit in ſepulcro, a quo incepiſſe videatũ.

Demum (vt Turrianum lib. 2. de auctoritate Eccleſiæ & Pontificis cap. 9. & plures alios taceam) ſuperiores Patres fidem Petri perſonalem defeciſſe non admittunt. Inter cæteras enim alias Petri prærogatiuas, quas late inſequitur Roffenſis art. 25. contra Lutherum, vna, eaq; ſexta ab eo poſita eſt, Chriſtum Dominum rogaſſe pro illo, nè eius fides deficeret: cuius orationem exauditam fuiſſe credimus pro ſua reuerentia. Quod ſi interpretentur aduerſarij oraſſe Dominũ, ne fides Petri finaliter deficeret: id aſſerere, nihil prodeſt: quoniam nullius diſcipuli fides eo modo defecit, quamobrem illud in ſingulare Petri priuilegium non cederet, quod non ſolũ Chryſoſtomo, Ambroſio, & Bedæ, ſed & contextui

Lucę

Lucæ cap. 22. contrarium eſt. Peccauit igitur Petrus (inquiunt) contra fidem, A idest fidelitatem, quam amico Christo non ſeruauit. Rurſum contra fidẽ, hoc eſt, fidei confeſſionem, ſicut Marcellinus Pontifex cum in templo Iſidis & Veſtæ thurificauit idolis retinens internam fidem, quam poſtea martyrio mundo declarauit. Hæc ſunt de huiuſmodi dubitatione placita. Vt tamen id quod in hac re probabilius videtur, aperiamus.

Prima Controuerſiæ Propoſitio. Sit prima Propoſitio: Tempore paſſionis Chriſti fides & charitas Eccleſiæ, atque ipſa Eccleſia non ſolum fuit in B. Virgine, ſed in pluribus alijs fidelibus & iuſtis. Hoc aſſerimus contra Alexandrum de Hales in illa citata Symboli expoſitione, & contra Guillelmum lib. 6. ſui Rationalis cap. 72. & Turrecrematam lib. 1. ſummæ Eccleſiæ cap. 30. in ſolutione ad ſeptimum: tenent tamen eam propoſitionem communiter Scholaſtici, tenuit & Abulenſis tom. 1. in Matth. B cap. 10. quæſt. 9. quo loco Eccleſiam nullo modo poſſe in vno ſaluari, plurimis (vt ſolet) probat. Immo quæſt. 14. Prologi ſupra cit. errorem aſſerit dicere in ſola B. Virgine Eccleſiam manſiſſe. & ſine dubio vt ſententia fert plurimorũ Theologorum falſiſſimum eſt. quoniã Eccleſia (vt optime docuit Rabanus lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 1. & Auguſtinus ſuper Pſalm. 77. & Iſidorus lib. 8. ethimologiar. cap. 8. & Denique conſtat ex cap. Eccleſia, de conſecratione diſtin. 1.) conuocationem & multorum conuentum ſeu cætum ſignificat. Igitur in vno ſolo Eccleſia ſaluari nequit, eſt etenim de ratione Eccleſiæ, quod ſit multitudo: cuius partes diuerſas latè connumerat Paulus in illa priori epiſtola ad Corinth. cap. 12.

Inſuper in ſanctis illis mulieribus quæ in ſacra laudantur Scriptura non vide C detur defuiſſe fides, remanſit enim in Magdalena, docente Anſelmo in dialogo de paſſione Domini, quo loco aſſeruit, Magdalenam Petri negationem cum videret, emiſiſſe votum de nunquam Chriſtum dominum abnegando. Remanſit etiam & in Ioſeph, de quo, vt eius iuſtitiam & bonitatem oſtenderet Lucas cap. 23. aſſeruit, quod nobilis decurio cũ eſſet, nõ conſenſerat conſilio & actibus Iudæorum. quapropter tali tempore & quocunque alio, cum fideles & iuſti humanis non patent oculis credendum eſt illud accidere, quod Eliæ ſe ſolum relictũ deflenti dictum eſt lib. 3. Regum cap. 19. *Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ſua ante Baal.* atque ita in Symbolo cõfitemur vnam ſanctã Eccleſiam Catholicam, atque ſanctorum communionem: quæ latè explicantur in Catheciſmo Patrum Concilij Tridentini, in expoſitione Symboli. D

B. Virgo in fide ſemper cõſtans et firma fuit. Preterea ſi recte inſpiciatur noſtra concluſio B. Virginem quocunque tempore, etiam paſſionis triduo, in fide firmiſſimam extitiſſe ſupponit, quod pecculiariter notauerim contra illud erroneũ dogma obiter ſupra prætactum, ne aliquis in meridiana luce impiè contra matrem pietatis offendat, pro quo videatur Caniſius lib. 4. de B. Maria. Namque ſine errore exiſtimari non poteſt Eccleſiam fuiſſe aliquando ſine fide in aliqua pecculiari perſona exiſtente: quòd ſi in aliqua perſona tunc temporis fides fuit, impium eſt dicere in B. Virgine non fuiſſe. Quis enim piè & catholicè ſentiens ſibi fingere poterit donum aliquod ſupernaturale ex ijs, quæ vt in plurimum infunduntur; in aliqua alia pura creatura fuiſſe, defuiſſe tamen a Sanctiſſima Virgine? cui præter Concilium Trident.

eſſe.

A ſeſſione. 6. can. 23. illud priuilegium Catholici omnes cōcedunt, q̄ neque venialiter peccauerit. quo ergo modo, ſi venialiter non deliquit, dubiam in fide fuiſſe quis concedet? niſi dubitationem in ea ponat, quæ omnem rationis deliberationem antecedit, & quam Theologi motum primo primum infidelitatis appellāt. Quam etiā dubitationem ſi habuiſſet, eam a fide defeciſſe, in fide vè dubiam extitiſſe, minimè cōcedendum eſſet. quoniam ſicut neque ea dubitatio fidem deſtruere ſufficiens eſt; ita nec perſonam aliquam dubiam abſolute in fide denominare valet. Nam in Iure abſolutè, dubius, infidelis reputatur, quantò magis, q̄ motus adhuc, quos Theologi vocāt primòprimos, in B. Virgine, rectè ſentiētes, non admittunt cum Ricardo de S. Victore lib. 2. de Emanuele cap. 28. ſic loquentē. Sancti tenebātur, ne expugnarentur a peccato, ſed B. Virgo tenebatur etiam, B ne impugnaretur. hæc Ricardus. Secunda Propoſitio: Multò probabilius eſt paſſionis tempore non omnes Apoſtolos fidem ammiſiſſe, quamuis peccaſſe cōtra fidei debitam opportuno illo tempore confeſſionem, concedendum ſit. Huius aſſertionis prior pars cōfirmatur omnibus rationibus & teſtimonijs ſupra inductis in confirmationem ſecundæ ſentētiæ, confirmariq; modo poteſt. Quia ex oppoſita ſnīa nō ſolum ſequeretur Apoſtolos omnes infideles extitiſſe, verū & hęreſos labe infectos, quod aſſerere non modo illis; ſed & Chriſto, & Eccleſię iniurium eſt, ita vt neq; id concedant auctores primæ ſententiæ, vt ex ſuperioribus manifeſtū erit inſpicienti. Sequellam probo. quoniā ſuppoſito eo, quod nobis concedūt Doctores primę opinionis: Apoſtolos ſcilicet omnes de rebus fidei dubitaſſe, tunc ex conceſſis arguitur, vel illi dubitarunt ex animi infirmitate, & C abſq; deliberatione, vel dubitarunt plena precedente deliberatione, & cum pertinacia. Si primū, igitur non omnes amiſſerunt fidem: quoniā ſine culpa mortali contingere poteſt, vt quis eo modo dubitet, vt videre eſt in motibus primò primis infidelitatis, & in illis etiā hominibus, qui ſuapte natura in qualibet re ancipites eſſe, continuisq; pulſari tentationibus aſſolent, & in motibus ſecūdò primis, quibus fides non ammittitur ex imperfectione deliberationis, quāuis illis venialiter delinquatur. Iuxta quæ intelligitur id, quod Chriſtus dixit Petro Matth. cap. 14. *Modicæ fidei quare dubitaſti?* vbi cum fide ponitur aliqualis, & ſine plena deliberatione dubitatio. Si vero ſecundum concedatur, eos pręcedēte deliberatione dubitaſſe, ſequitur propriè, & in rigore fuiſſe hæreticos: quia ſi ex deliberatione dubitarunt, Ergo vere fuerunt infideles, iuxta cap. 1. de hæreticis; Dubius in fide D infidelis eſt. Inſuper. ſi fuerunt infideles, & non infidelitate, quæ eſt paganiſmus, neque illa, quæ dicitur Iudaiſmus. Ergo infidelitate, quæ fuit hæreſis.

Motus primò primi non fuerunt in B. Virgine.

Secunda Propoſitio.

Ratio pro aſſertiōe poſita.

Nec ſum immemor ſolutionis ſupra prætactæ, & quam huic rationi nonnulli accommodant, quaſi nō valeat iſta illatio: Eſt infidelis infidelitate dubitationis, & hęſitationis poſt fidem Chriſti ſuſceptam. Ergo hæreticus. quam ſolutionem admittit Cano lib. 12. de locis cap. 9. reſpondens Ad quartum. quamobrē etiam ſi nobiſcum conſentiat in concluſione poſita, in ratione dudum allata diſſentitur. Tenet enim ille pecculiarem quamdam ſententiam, quòd nempè dubius in fide quantumcunque ex deliberatione, & pertinacia dubitet, non eſt propriè, & in rigore Metaphyſico loquendo hæreticus. Quam ſententiam his motus rationibus amplectitur.

Contendunt aliqui ſolutione poſitā rōnē. Dub. An dubius in fide ſit hæreticus.

Pecculiaris ſententia M. Cano.

Cc Prima

Rationes, quibus mouetur.

Prima: quia hæreſis electionem importat, & non quamcunque, ſed illam, quæ A
eſt cum pertinaci adhęſione. Igitur hæreticus pertinaciter debet alicui parti ad-
hęrere. Ergo qui omnino dubitat, nulli parti determinate adhęrendo; non eſt
propriè & in rigore, hæreticus. ſecunda. de ratione hæreſis eſt aſſenſus, vel diſ-
ſenſus falſus, opponitur enim hęreſis contrarie fidei, atque obid aliquid po-
ſitiuum debet eſſe in hæretico contrarium fidei, ſed in illo, qui omnino dubi-
tat, & nulli parti adhęret, non eſt aſſenſus, vel diſſenſus, neque aliquid poſiti-
uum, quod poſſit eſſe contrarium. Ergo ille propriè non eſt hæreticus, ſed po-
tius quaſi medius inter catholicum & hæreticum, ſicuti non album eſt medium
inter album & nigrum.

Denique ſi propriè ille, qui dubitat nulli parti adhęrēs eſſet hęreticus, maximè
quia nō eſt minùs de ratione fidei certitudo, quàm veritas, atque ita tam deſtrui- B
tur fides dubitatione, quàm falſitate; ſed hæc ratio nulla eſt: quia eodem modo
ſequeretur, illum, qui opinatiuè credit Chriſtum eſſe Deum, eſſe hæreticum: con
ſtat ſequella: quia ſicut dubitatio tollit certitudinem & fidem; ſic opinio, quæ
neceſſariò includit formidinem, tollit certitudinem, & per conſequens fidem.
Non ergo minùs ille erit hæreticus, quam qui dubitat. Quod cōcedi non debet:
quia aſſenſus verus non poteſt efficere hominem hæreticum, etiam ſi non ſe cō-
patiatur cum fide: quia etiam aſſenſus verus, quem habent beati, non ſe compa-
titur cum fide. quare homo ille dubitans non erit propriè & in rigore hæreticus:
Quamuis moraliter loquendo rariſſime contingat hominem eſſe dubium de re

Altbiſiodorens. libr. 2. tract. 29 cap. 2. Albertus, Bonauentura. Ricardus Durandus in 2. diſt. 35. Marſilius q. 21.

bus fidei ſine aliquo errore poſitiuo. hæc M. Cano. qui vt videtur; eodem mo-
do philoſofatur de homine dubitante circa res fidei, ſicut plures & graues Do- C
ctores philoſofantur de peccato ommiſſionis, aſſerentes, logicè loquendo dari
puram ommiſſionem & ſine aliquo actu tamen, vt in plurimum & moraliter
ſemper ommiſſio coniungitur actui.

Contra M. Cano commu nis ſententia.

Miror tamen virum alias Doctiſſimum contra communem fere omniū Do-
ctorum ſentētiam ita ſenſiſſe. Tenuerunt enim oppoſitum Antoninus. 3. P. titu-
lo. 23. cap. vltimo, Gabriel in 3. diſt. 23. quæſt. 2. Adrianus quodlib. 2. Syluester
verbo: hæreſis, §. 4. Caſtro lib. 1. aduerſus hæreſes cap. 9. Canarienſis commen-
tarijs ad quæſt. 32. 1. Part. S. Thomę art. 4. Symanchas lib. Catholicarum inſtitu
tionum titulo. 28. num. 7. in impręſione Romę facta, Ioannes Andreas, & Panor
mitanus, & fere omnes Iuriſperiti ſuper cap. 1. de hæreticis. & ratio quidem fun-
damentalis huius communis ſententiæ; relictis alijs pluribus, quas videre licebit D

Ratio fundamentalis cōis ſententiæ.

apud inductos auctores, talis eſt. Nam ille, qui taliter dubitat, vt neutri parti aſ-
ſentiatur, ſi ptinax ſit, & ex plena deliberatione dubitet, neceſſario habet iſtud
iudicium practicum: dubitādum eſt de ijs, quæ propoſita ſunt tāquàm credēda
ab Eccleſia, & illis nō eſt ineffabiliter aſſentiēdū: eſt enim impoſſibile determina
tā & pertinacē electionē dubitandi, aut nō credendi, nō prouenire a tali iudicio:
huius aūt iudicij nō ſolum eſt cauſa malitia voluntatis, ſed etiam falſitas, ſaltem
virtualis intellectus ſpeculatiui: q̃a ita ſe habet intellectus hoīs prædicto modo
dubitāris, vt ſit ſufficiens cauſa eius praua diſpoſitio ad habendū iudiciū falſum.
Ergo ille, qui pertinaciter & ex plena deliberatione dubitat, non ſolum iudicat
intellectu practico eligēdam eſſe dubitationem; ſed etiam virtualiter iudicat in-
telle-

A tellectu ſpeculatiuo: quia exiſtens in illa dubitatione, cauſam dat ſufficientem, vnde virtualiter & mediatè reperiatur ibi falſitas iudicij in ordine ad rem ipſam, & non ſolum in ordine ad appetitum.

Hinc etiam apparet, quam parum vis ac roboris habeant rationes illæ & argumenta, quibus mouetur M. Cano, vt teneat contrarium. Quoniam in primis homo ita dubitans pertinaciter adhæret, & ex electione, non alicui parti dubitationis, ſed iudicio poſitiuo, cum quo non ſtat fides. Rurſum aſſenſum habet poſitiuum, non circa aliquam partem dubitationis, ſed circa dubitationem ipſam, & iſte aſſenſus ſufficit ad contrarietatem. Denique cum Canarienſi & Alfonſo de Caſtro fatemur illum, qui opinatiuè credit Chriſtum eſſe Deum, hæreticum eſſe: quia ille aſſentitur huic propoſitioni. Chriſtus eſt Deus, cum B formidine, & iudicans fortè non ita eſſe, quare eſt contrarius fidei, non ratione veri aſſenſus, ſed formidinis, quæ non compatitur cum fide. Neque eſt eadem ratio de beato vidente Deum, qui non eſt contrarius fidei ex parte perfectionis, quæ eſt in fide, nempe certitudinis & infallibilitatis, neque ex parte voluntatis renuentis captiuare intellectum; ſed potius ex parte imperfectionis incluſæ in fide, ſcilicet ex parte obſcuritatis. Ille vero, qui opinatiuè aſſentitur rebus fidei, eſt contrarius illi ex parte perfectionis eius; tum etiam ex parte voluntatis renuentis captiuare intellectum in obſequium fidei. Dubius ergo in fide, verè, & in rigore eſt hæreticus. *Solutio rõnũ M. Cano.*

Quod ſi inſtes, quia ex dictis ſolum ſequitur hominem illum dubitantem eſſe hæreticum: non quidem pręciſe ratione dubitationis, ſed potius pręciſe ratio C ne prærequiſiti iudicij ad pertinacem dubitationem: atq; ita dubitatio illa non erit hęreſis. Reſpondetur. Sat nobis eſſet concludere, hominem dubiũ in fide hæreticum eſſe, poſſemusq; illud abſolute concedere, ſicuti Philoſophi abſolutè concedunt cũ ſuo Ariſtotile lib. 2. de generatione a cap. 2. & deinceps. ignẽ eſſe contrarium aquę, etiam ſi ſecundùm ſubſtantiam non ſit illa contrarietas, ſed ſolum ſecundùm calorem & frigus. Nihilominus aſſerimus hominem ex plena deliberatione dubitantem eſſe hæreticum ratione dubitionis, non præciſè, ſed vt procedentis ex pertinacia, & ex præcedenti iudicio. & id ſufficit. *Obiectio contra prædicta.* *Solutio eius.*

Apoſtoli ergo (vt reuertamur, vnde digreſſi ſumus) ſi ex plena deliberatione concedantur fuiſſe dubij, tamquàm hæretici illo tempore habeantur, oportet. Quod auctores oppoſitæ ſententiæ non concedunt. Neque rationabiliter con- D cederent. Si enim prima Eccleſiæ fundamenta ab iſta infamiæ nota, & conuitij macula liberare cum multis antiquis Patribus valemus, nulloque oppoſitum cõuincente argumento; cur nõ impium cenſeatur, eos omnes, nemine dempto, hęreticos nominare? eosque a fide, illo tempore defeciſſe concedere, quo multos in Eccleſia oporteret eſſe fideles?

Poſterior eiuſdem ſecundæ concluſionis pars, eos ſcilicet contra debitam fidei confeſſionem peccaſſe, concedunt fere omnes. Quoniam ſi aliquo tempore ad huiuſmodi tenebantur confeſſionem, maximè illo, in quo proprius Paſtor & eorum caput patiebatur. Eo tamen tempore omnes cum Iudæis, vel conuerſabantur, ſe Chriſti eſſe diſcipulos diſimulantes atque occultantes, vel fugiebant, neque illum nouiſſe vnquàm affirmabant. Peccauerunt igitur *Secunda cõcluſio probatur quantum ad ſecundam partem.*

contra prædictam confeſſionem. & hoc ſignificatur, cum dicitur: *Percutiam paſtorem & diſpergentur oues gregis*, ideſt, alij fugient, alij Iudæorum communicationem procurantes, veritatem ſimulabunt, alij negabunt. Et hoc modo eſt intelligendum illud magnum ſcandalum, quod paſſuros prædixerat Christus Marci cap. 14. ſicut interpretatur Hieronymus in epiſtola ad Pamachium de optimo genere interpretandi ſcripturam, & ſuper cap. 13. Zachariæ, Chryſoſtomus homil. 83. ſuper Matth. & Origenes, referente S. Tho. Catena in Matth. & denique ipſe S. Thomas ſuper illa verba, & in cap. 16. Ioannis. A

Solutio corū, quæ principio obyciebantur. Finem igitur huic quæſtioni, vt imponamus, rationibus in oppoſitum breuiter ſatisfacere oportet. Etenim inter omnia teſtimonia principio adducta, illud nobis reſtat explicandum, quomodo Christus in illa ſua apparitione Marci cap. 16. diſcipulorum exprobauerit incredulitatem, ſi fidem ſeruauerunt? Hoc autem facilè aperitur: quia non ſingulos exprobraſſe intelligendum eſt, etiam ſi collegium Apoſtolicum increpauerit, quemadmodum ſæpeſæpius populus à Prophetis arguebatur, & repræhẽdebatur, in quo multi erant, ad quos reprehenſio non attinebat: crediderant namque Petrus & Ioannes mulieribus ex monumento redeuntibus; cum Lucæ 24. & Ioannis. 20. cucurrerunt ad monumentum, & inuenerunt ibi ſola linteamina poſita. quamobrem non vniuſcuiuſq; ſiggillatim exprobrabat incredulitatem: Immo & Sancti Patres, cum omnes amiſiſſe fidem docent, contra fidei confeſſionem peccaſſe, vel contra fidelitatem amico Chriſto debitam intelligunt. Eſt enim illud frequens, vt fides pro fidelitate, vel pro fidei confeſſione accipiatur, vt latè oſtendit Andreas de Vega in opuſculo de Iuſtificatione quæſt. 1. ſtatim in principio, & communiter Theologi omnes diſputantes de fide. B C

Quid ſignificent cerei extincti tempore matutini officij in maiori hebdom. Illud poſtremo quod Guillelmus de illis cereis extinctis tempore officij, quod vulgò dicitur tenebrarum, nihil probat. debet enim diuerſa multùm ratione intelligi, ſicut explicuit optime Rupertus lib. 5. de diuinis officijs capit. 26. aſſerens extinctos illos cereos, priores Prophetas à Iudæis occiſos ſignificare: cereum verò illum, qui ad breue tempus abſconditur, Chriſtum Dominum in ſepulcro iacentem, ac ſtatim reſurgentem deſignare. Quod ſignificari olim conſuetum erat in aliquibus Eccleſijs, illis verbis abſcondito cereo lumen conſeruante, & poſt paulułum iterum apparente, prolatis; Ecce lumen Chriſti. D

EX DVABVS CONTROVERSIIS, QVÆ POSITÆ Fuerunt pro octauo Proponente, prior poſitiua & in ordine Octaua fuit.

A

AN feſtorum dierum celebritas & obſeruatio diuino Iure inſtituta fuerit; & quæ illorum origo?

SVMMA CONTROVERSIAE SEQVENTIS.

Cognito Deo (ſiue ratione naturali, ſiue excedente verum Deum cognoueris, ſiue errorum caligine quidquàm aliud tamquam Deum tibi finxeris) ad illius cultum & honorem, quaſi natura pondere duceris. Hinc diuerſa inueniebantur inter gentes ſacrificia Deorum, diuerſaque feſtiuitates, Multoque melius inter Chriſtianos, qui maiori pondere ad veri Dei cultum, & honorem inſtigantur, quanto maior eſt in verũ Deum, etiam naturalis,

B

ac vera inclinatio, quàm in idolum, aut fictum ſimulacrum, cæca & ſuperſtitioſa religio. Quibus verò diebus in lege Euangelica dicti honores, & cultus exhibendi, eſſent, humanæ ſubiacuit poteſtati.

Aiorum monumento recepimus, vt videre eſt apud Lactantium lib. 1. diuinarum inſtitutionum a cap. 4. & deinceps, apud Eugubinum lib. 3. de perenni Philoſophia, & tribus ſequentibus, nullam vnquã fuiſſe tam barbarã nationem, quæ ſi verum Deũ ratione naturali aſſequeretur, vel dæmonũ illuſionibus decepta, prauisq; moribus ĩſtituta, eaq; de cauſa Dei optimi maximi pmiſſione obcęcata omnigenum Deorũ monſtra ſibi cõfingeret; illa inquàm gẽs vero Deo, vel Dijs, *Cognito Deo, naturali pondere in illius cultum ducimur.*

C quos falsò ſibi fingebat, cultum exteriorem non conſecrauerit, ac feſta quędam quolibet anno celebranda inſtituens, piè, ac religiosè nimis non obſeruauerit. Verum enimvero, vt a falſis Dijs incipiam, eorum variæ per multæque feſtiuitates, exterioresve cultus ſeſe offerebant, de quibus latè egit Lactantius Firmianus lib. 1. per plura capita, D. Auguſtinus lib. 2. de ciuitate Dei cap. 4. lib. 6. cap. 8. & tãdem lib. 8. cap. 12. 13. 23. & 24. In pauca tamẽ plura colligens, ac obiter referens, vt de eorũ feſtiuitatibus facilius aliqua dicamus; placuit ab Aegyptiorum ſentẽtia inchoari. Illi namque, vt Diodorus lib. 1. rerum antiquarũ cap. 2. & Euſebius lib. 2. de præparatione euangelica cap. 1. referunt, apud ſe primũ Deorum genus exſtitiſſe volunt, duosq; Deos in primis affirmaſſe Oſiridẽ & Iſidem: poſtea verò ceterã turbam cõmentos fuiſſe; ſic adeò, vt non modo homines, & rationis exper- *Aegyptiorũ Dij, Oſiris, & Iſis, & plures alij*

D tia animalia; ſed & olera pro Dijs coluerint. Vnde Aegyptius ille Hermes attulit in Aſclepio Mercurij (quem Apuleius latinis vertit) viſibilia ſcilicet, & contrectabilia ſimulacra, quibus in eſſe quoſdam ſpiritus, ſiue ad nocendum, ſiue ad hominum deſideria cõplenda, aſſeruit. Quapropter eis diuini honores & cultus deferebantur. Quæ latè explicuit, & redarguit Auguſtinus lib. 8. de ciuit. cap. 23.

At Aethiopes, qui antiquiſſimi gloriantur, ſe primos Deos coluiſſe, perſuadere anxiè contendunt; quod maximè veroſimile Diodoro videtur. Sed quoniã Aethiopum fuit regio ampliſſima, varij idcirco apud ipſos Deorum cultus, & ſacra fuere. Quidam illorum ſempiternos Deos, alij mortalis & corruptibilis naturæ participes eſſe putauere, infinitaque alia portenta poluere. Sed ſemper honores, & cultus eis eſſe præſtandos intellexere. *Aethiopes cõtendunt ſe primos fuiſſe in Deorũ cultu, & veneratione.*

Quid

Phœnicū Dij Dagon & Chamus.

Quid de Phœnicibus dicam, de Dijs & rerum principio miranda tradentibus? Qui Dagona, Chamum, & alios coluerunt: vt exquiſitè conſcripſit Phœnicum lingua Sanchuniaton, quem ante tempora Troiana floruiſſe tradit Porphyrius lib. 4. eorum, quos aduerſus Chriſtianos euomit: tranſtulitque illius Phœnicis opus in Grecam linguam Philon, vel (vt placuit Cyrillo lib. 6. contra Iulianum) Ioſephus Hebræus.

Atlantidum primus Deus Vranon.

Omitto Atlantides Africam in habitantes, qui, vt tradidit. Euſebius lib. 2. de præparatione euangelica cap. 3., religione inſignes erga aduenas & peregrinos hoſpitalitate maxime commendati cum fuerint, a ſe Deorum genus manaſſe aſſerebant, ac coluiſſe certabant. Primumq; Deum Vranon, hoc eſt, cælum apud ſe regnaſſe prædicabant, duxiſſeque plures illum vxores, ex quibus quadraginta quinque liberos ſuſtulerit, & precipuè ex Titea decem & ſeptem, qui a matre Titanes appellati ſunt. Relinquo Phryges, qui matrem Cybelem, Augilas, qui defunctorum manes; ac Tandem Perſas, qui Iouem, Mitram, ſeu Solem, Tellurem, & ventos coluerunt, vt refert Strabo lib. 15. circa finem. A propoſito igitur, ne longius digrediamur, omnes, quos ſupra commemorauimus, ſuis Dijs, qua ſi naturali pondere moti certis, & deſtinatis diebus aras ſtatuebant, ac victimas immolabant. Vnde, vt eos taceam, adhuc inter Romanos, qui veriorem notitiā ſe habere ſemper exiſtimauerunt, quædam erant publica ſacrificacia, quæ Popularia ſacra dicebātur: inter quæ, ea, quæ Parilia, ſeu Palilia nuncupabantur, duodecimo Kalend. Maij fiebant, qui dies vrbis Romæ natalis fuit; Erant rurſus & & alia feſta Lupercorum a poetis maxime repetita, & decimo quinto Kalend. Martij celebrata, quorum ſuperſtitio diu Romæ durauit, referente Plutarcho in Marci Antonij & Cæſſaris vita. Quædam erant præterea feſta Liberalia nuncupata, quæ celebrabantur decimo ſexto Kalend. Aprilis, in quibus togæ pueris dabantur, vt conſtat ex illo Ouidij in fine. 3. faſtorum:

Phrygū, Augilarū & Perſarum Dij.

Quedam Romanorum ſacrificia numerantur.

Reſtat, vt inueniam, quare toga libera detur
Luciferis pueris, candide Bacche tuis, &c.

Quorum meminit ſæpeſæpius Cicero in epiſtolis ad Atticum; dicebanturq; Liberalia: quòd per totum oppidum eo die ſederent ſacerdotes liberi, & anus hedera coronatæ cum libis, & foculo pro emptore ſacrificarent. Denique (vt plura taceam) alia Bacchanalia dicebantur, quæ ſingulis menſibus agi conſueuerant. Sed ſublata ſunt poſteà a Poſthumio Conſule, propter dedecus.

Græcorū ſollemnitates.

Fuerūt etiam & apud Grecos ſollemnitates, & feſta plura. In primis Hecatonbea celebritas a ſollemni ſacrificio Hecatonbe ſic dicta. Etenim in huiuſmodi ſollemnitate, vt refert Alexander ab Alexandro lib. 3. dierum gennialium cap. 22. centum conſtruebantur aræ, totidesque oues mactabantur. Si tamē ab Imperatore huiuſmodi ſacrificium fieret, centum leones, ſeu aquilæ feriebantur, aliaq; huiuſmodi animalia cētena. Celebrabātur etiam in Laconia Hyacinthia feſta in honorem Apollinis ob Hyacinthum puerum ab eo dilectum: cuius fabulam latè narrat Ouidius in principio lib. 10. Metamorphoſeos, vbi inter alia ſic inquit:

Nec genuiſſe pudet Sparten Hyacinthon, honorque
Durat in hoc æui, celebrandaque more priorum
Annua prælata redeunt Hyacinthia pompa, &c.

Mitto

A Mitto ſollemnitatem Dyamaſtygoſis,ideſt, flagellationis, apud Lacedæmonios maximè celebrem. In quo ſacro ante aram nobiles etiam adoleſcentes flagellis affligebantur ante propriorum parentum conſpectum:immo adhortantibus parentibus,vt perſeuerarent. Refert id Tertullianus in apologetico, & in libro ad Martyres; & Lucianus in Anacharſi. Sed infiniti penè eſſet laboris omnia feſtorum genera recenſere,quæ ante veram Chriſti lucem Dijs ſupra relatis, innumeriſque alijs tenebris obruta gentilitas celebrabat. Solum dictis addam id, quod quidam de templo magnæ matris Cybelis referunt,& in quo Dæmonũ illuſiones erga Idolorum cultores maximè innoteſcunt in proprijs eius feſtiuitatibus,illud non manibus, ſed precibus ſolitum fuiſſe apperiri. *Celebris Lacedæmoniorũ ſollemnitas.*

Ex ſuperioribus igitur vtcumque licebit colligere, dies feſtos apud gentiles
B eos nuncupari, in quibus conſueuere ſacrificia, quaſi naturali inſtinctu Dijs offerre, vel in illorum honorem ludos exercere. Quæ autem ijs diebus gentilium Pontifices fieri prohiberent, aut quæ permitterent, docuit late Columella lib 2. de re ruſtica, cap. 22.

Chriſtiani ergo ab eis multum diuerſi interiori animi cultu, pariter ac exteriori verum & vnicum Deum colentes, ac venerantes ſollemnia, & feſta celebramus, ab eorum celebritatibus tam diuerſa, quantum à Deorum atque ſimulacrorum fictione aliena: de quibus in præſentia inquirimus, fuerint nè diuino, ac naturali iure inſtituta? In cuius rei deciſio,ne abſque argumentorum ſtrepitu (ea enim hoc loco magni momenti non ſunt) procedam. Vnde ſequentes ſtatuo propoſitiones. *Inter Chriſtianos feſta ſunt quantũ ad aliquid,iure naturali, & diuino præcepta.*

C Prima Propoſitio.Feſtorum obſeruatio iure naturali,& diuino,non ſolum legis veteris, ſed & diuino legis euangelicæ inſtituta eſt.Docuit ita S.Thomas 2. 2. quæſt. 122. art. 4. ad primum,& ſine dubio de lege veteri ex eis,quæ Controuerſia 1. poſitiua diximus,clarius conſtat,quàm hoc loco liceat amplius immorari. Namque Deuteron. cap. 5. Exodi cap. 20. & 31. ac Tandem Ezechielis cap. 20. præceptum de Sabbathorum Sãctificatione ſatis apertè declaratur,quo requies, & ab operibus ſeruilibus ceſſatio,vt liberius Deo intenti cultũ exhibeamus,præcipitur. Quod præceptum, ſicut,& reliqua alia Decalogi, partim morale eſt, id latè docente S.Thoma 12. quæſt. 100. art. 3. præcipuè ad ſecundum,cuius rationem diligenter expendit D.Soto lib. 2.de iuſtitia, & iure,quæſt.3. art.3. At verò præceptum morale, ex ea parte, qua morale eſt,iuris naturalis cenſetur,vt colli-
D gunt Thologi ex illo Pauli ad Rom. cap. 2. *Gentes ea, quæ legis ſunt, naturaliter faciunt.* Igitur præceptum de feſtorum obſeruatione, ex ea parte, qua tempus aliquod diuino cultui dicatum expoſtulat, ad legem naturalem ſpectat. Sed adde his,præcepta moralia veteris legis abolita non eſſe in lege Euangelica:immo potius confirmata,vt docuit S. Thom. 12. quæſt. 108. art. 1. & 2. & Quodlib. 4. art. 13. quoniam etiam ſi lex vetus data non fuiſſet, fuiſſent nihilominus a Chriſto tributa præcepta illa moralia ex vi naturalis,ac moralis inſtituti: atque ita Matthæi. cap. 19. adoleſcenti dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Igitur Sabbatha obſeruare,ad legem pertinet naturalem,veterem,& euangelicam. *Hoc, vel illo tẽpore feſta celebrare,nõ eſt de iure naturæ,nec diuino.*

Secunda Propoſitio: Quamuis huic præcepto naturali, & diuino de diebus aliquot religionis cauſa Deo ſacrandis, diuinoque cultui conſtituendis iure humano,

mano, aut Pontificio derogari non poſſit, tamen qui, & quot dies in particulari A præfato cultu obſeruandi ſint, ad legem humanam pontificiam pertinet. Et quidem de ſanctorum celebritatibus in particulari, non eſt loci huius expendere, neque alicuius difficultatis, videatur Thomas vualdenſis lib. de ſacramentalibus a cap. 141. & Didacus Couarrubias lib. 4. variarum cap. 19. a numero. 7. De die autem Dominico, alijsque maioribus feſtiuitatibus inter celebres, & graues auctores orta eſt magna contentio, num iure humano Pontificio mutari, tollique poſſit eorum celebritas, eaque ſolum Pontificis Romani auctoritate fuerit ſtatuta. Partem, quæ negat, docet Syluester verbo, Dominica, vbi eam eſſe communem ſententiam affirmat. Angelus verbo, feria. §. 3. & Abbas in cap. Licet de ferijs. Econtrario verò Florentinus 2. Part. titulo. 9. cap. 7. Ioannes Maior in 3. diſt. 37. quæſt. 27. & S. Thomas 22. quæſt. 122. art. 4. ad quartum, & inter Iuriſperitos B Archidiaconus, & Turrecremента de conſecratione diſt. 3. cap. pronunciandū, arbitrantur iure Pontificio aboleri, mutarique poſſe, ac denique earum celebritatem eodem iure inſtitutam fuiſſe.

De die dominico concertatio eſt, ſit nē de iure diuino.

Nobis aūt media via incedendū videtur, diei ſcilicet dominici feſtiuitatem ab Apoſtolis inſtitutam, eccleſiaſticaque traditione fuiſſe Sanctificatam; tamen licet ab humano Apoſtolorum inſtituto proceſſerit, indecorum nimis eſſet eam ab eccleſia mutari, vel tolli, neque id fieri Spiritum ſanctum permiſſurum credendum eſt. Et quidem quòd dies diminicus fuerit ab Apoſtolis inſtitutus, colligunt Remigius, Ambroſius, & Chryſoſtomus ex illo Pauli. 1. ad Corinth. 16. *De collectis*, ait, *quæ fiunt in ſanctos, ſicut ordinaui eccleſiæ Galatiæ, ita & vos facite per vnam ſabbathi*: quo loco prædicti Patres eiuſmodi verba interpretantes, per vnam ſab C bathi, diem dominicam intelligunt: immo, & illic primaſius commemorat, diei dominici celebritatem ab Apoſtolis diminaſſe, idq; probat teſtimonio D. Ignatij epiſtola tertia, qui floruit Apoſtolorum temporibus. Sentit idem Auguſtinus epiſtola. 119. ad quæſtiones Ianuarij cap. 13. quo loco rationem ponit, obquam Sabbathum Iudæorum in diem dominicam mutatum fuerit. Etenim in veteri teſtamento Sabbathi celebratio tradita fuerat: quia in Sabbatho Deus requieuerat ab opere, quod patrarat, iamque a creatione ceſſauerat, mutataque eſt in lege euangelica in diei dominicæ ſollemnitatem: quia reparatio humani generis per Chriſtum facta in die dominico reſurrectionis abſoluta eſt, in eoque die quieuit Chriſtus a reparatione, quam cœperat. De quo qui multa deſiderat, legat Burgenſem 1. Parte ſcrutinij ſcripturarum, diſtin. 8. cap. 14. Conſentiunt D rurſus ſuperioribus Patribus Hieronymus aduerſus vigilantium, Iſidorus lib. 1. de officijs cap. 24. Tertullianus aduerſus gentes cap. 16. Iuſtinus in quæſtionibus a Chriſtianis poſitis, quæſtio. 115. ſi forſan hoc opus eſt illius, & in Dialogo cum Tryphone, de die dominico. Irinæus lugdunenſis Epiſcopus, & martyr in libro de Paſchate, Baſylius libro de Spiritu ſancto cap. 27. demum diem dominicam Platonem quodammodo diuinaſſe lib. 10. de Repub. docet Clemens Alexandrinus lib. 5. ſtromathon, & Euſebius lib. 13. de præparatione euangelica cap. 7. Plures alios adducit Vualdenſis in huius rei confirmationem libro de ſacramentalibus cap. 140. Idem dicendum exiſtimo de feſtiuitatibus alijs ſollemnibus, vt de feſto Paſchæ reſurrectionis, de Pentecoſte,

Dies Dominicus ab humano Apoſtolorum inſtituto cœpit.

Quare Sabbathū Iudæorum in diē dominum mutatum ſit.

A de die natiuitatis Dñi,& de alijs ſimilibus feſtiuitatibus,quas ab initio legis euã gelicę, & ab ipſa Apoſtolorũ ætate inſtitutas ac celebratas fuiſſe veterũ teſtimonijs cõſtat. Nãq; ita eſſe de feſto Paſchæ,aſſerũt Hilarius in ꝓlogo Pſalm. Hieronymus in cap.25. Matth.& aduerſus Vigilantiũ,& Tertulianus lib.2.ad vxorẽ. Extatque pro eadem re Canon. 8.Apoſtolorum. De feſtiuitate Pentecoſtes colligitur ex Paulo. 1.ad Corinth.16. & ex actis Apoſtolorum cap. 20. docuitque id ipſum Origenes ſcribens contra Celſum. De feſto aſcenſionis, & aduentus Spiritus ſancti docẽt Auguſtinus in epiſtola ad Ianuariũ,& Iſidorus lib. 1. de officijs cap.28. De feſto Epiphaniæ extat teſtimonium Clementis lib.5.de conſtitutionibus Apoſtolorum cap. 13. multa alia his ſimilia, nec non,& alia de violatione feſtorum noſtro propoſito necdum inutilia pręteneo. Eſt enim immenſi laboris B multa ad breuẽ velle quęſtionem reducere. Quibus omnibus vtcunque feſtorum originem declaratam,& eorum ſiue antiqui ſiue noui iuris religionem elucidatam pro temporis breuitate exiſtimauerim.

Plura alia feſta a temporibus Apoſtolorũ celebrata.

POSTERIOR CONTROVERSIA SCHOLASTICA PRO Eodem Proponente, & in ordine octaua fuit.

Num humanitas Chriſti cauſare poſſit gratiam, & quomodo?

SVMMA EIVS.

C *Angelis, & primis parentibus gratiam a Deo ob Chriſti merita collatam,quidquid ſenſerint nonnulli Thomiſtarum,nec non iuſtis omnibus quotquot Chriſtũ præceſſerunt, aſſerendum eſt. Subſequentibus verò hominibus, ſiue ijs, qui intra legem ſunt euangelicam, non ſolum ex Chriſti meritis, ſed vera, & reali propria humanitatis, ſiue ſacramentorum efficientia gratia impartitur. & quomodo intelligi, percipique valeat, curat & conatur Auctor oſtendere.*

ONTROVERSIA iſta plura poſtulat cognitione digna. In quorũ explicatione nõ ſolum inter Doctores Scholaſticos,ſed etiã diſcipulos S. Thom. pugna, & concertatio eſt; inter cuiuspugnæ duces,qui ex ea triumphum ſibi reportaſſe videntur, & meliorem tutatos fuiſſe partem arbitrantur,adhuc omni ex parte minimè ſatisfaciunt,neque victoriam,& palmam ipſos conſequutos fuiſſe,exiſtimauerim. Id vt oſten- D dam,& vt illud quod Deus dederit,pro elucidatione aperiã vniuerſam hanc controuerſiam in tres diſtribuo partes. In quarum prima de humanitatẽ Chriſti reſpectu gratiæ Angelorum ediſſeram. In ſecunda, in ordine ad gratiam, ſiue originalem iuſtitiam, quam primi noſtri parentes in felici illo ſtatu ante peccatũ, habuerũt, noſtra verſabit diſputatio. In vltima deniq; & in qua nonnulla difficultas eſt, ad ipſam Chriſti humanitatem, gratiam hominum, tam antiquorũ & Chriſtum præcedentium, quàm ſubſequentium, & eorum qui in lege ſunt euangelica, medijs ſacramentis cauſantem noſtra conuertet oratio: vt eo ordine ea omnia aperiantur, quo à Deo facta, & producta creduntur. Sed in duobus primis ita veritatẽ aperire conabor, vt breuitate quàm maxima quæ viſa fuerint neceſſaria aperiam, vt dem locum vltimæ, & poſtremæ parti.

Tres partes habet iſta controuerſia.

Inquiritur primo. de gratia Angelorum.

PRINCIPIO ergo de Angelorũ gratia,& gloria dubitamus: Num ratione alicuius cauſalitatis ab humanitate Chriſti prouenientis a Deo impartita fuerit gratia ſiue gloria ſpiritibus illis angelicis. Videtur enim S.Tho.in 3.diſt.13. quęſt.2, art. 2.quæſtiunc. 1.docere Chriſtum nullo modo fuiſſe cauſam gratiæ,& gloriæ Angelorum. Quoniam Chriſtus (inquit) non influxit in Angelos remouendo prohibens,& peccatum,neque merendo primam gratiam, &c. & quæſt. 29. de veritate art. 7. ad quintum aſſerit, Chriſtum non meruiſſe Angelis gloriam eſſentialem, quæ correſpondet primæ gratię,& per cõſequens neque primam gratiam, & denique 3.Part.quæſt.59. art.6.in corpore,& ad primum inquit: Chriſtum non iudicare Angelos, prout eſt homo,quãtum ad pęnam vel gloriam eſſentialem. Igitur ex S.Thom. ſententia Chriſtus ratione ſuæ humanitatis nullã cauſalitatem habuit circa gratiam,& gloriam Angelorum. A

Teſtimonia S.Thom.quæ videtur docere Chriſtũ nõ meruiſſe Angelis gratiam.

Ratione probatur primo.

Id ipſum ratione videtur conuinci. Quoniam ſi cauſalitatem aliquam ponere aliquis velit, maximè finalem, & meritoriam conſtituat oportet. Hanc autem non eſſe ponendam ex eo colligimus, quia vt infra dicemus, reſpectu Patriarcharum,& eorum,qui in antiqua lege ſalui facti ſunt,cauſalitas meritoria,& finalis concedenda eſt. Et ideò illi omnes aſpicientes in conſummatorem Ieſum non ſunt conſequuti gloriam, quo ad vſque Chriſtus Ieſus in corpore gloriam adipiſceretur,& conſummaret. Ergo ſimiliter Angeli ſi gratiã,& gloriam ex Ieſu meritis haberent, gloriam ante corporis Chriſti glorificationem conſequuti non fuiſſent,cõſequens eſt manifeſtè falſum.Ergo potius aſſerendum erit Chriſtum gratiam, & gloriam illis non meruiſſe. B

Arguitur 2.

Denique,vt ex Symbolo colligimus,Chriſtus ꝓpter nos homines, & propter noſtram ſalutem venit in mundũ,& inde deducimus Verbi diuini incarnationem in remedium peccati hominum fuiſſe ordinatum, non verò in remedium peccati Angelorum,vt exactè,& multis rationibus oſtendit Anſelmus lib.2.cur Deus homo cap. 21. & Gregorius lib. 4. Moralium cap. 9. & Auguſtinus in Enchiridio cap. 29. quamobrem Chriſtum hominum redemptorem confitemur, Angeloru m verò minimè concedimus. Igitur cum Chriſti incarnatio propter Angelos facta non fuerit,neque propter eos reparãdos venerit, nequaquã credẽdum erit Verbum mediante humanitate gratiam,& gloriam Angelis meruiſſe. C

Sed ſi nos in Martyrũ gloriã vniuerſos hoĩes accẽſos eſſe cupimus,eorumque laudibus magno conatu ſtudere deſideramus,quãto potiori rõne Chriſti Domini gloriã amplificare,& quantũ Theologia ſinit,extẽdere,curare debemus? Igiť pro iſtius primæ partis explicatione Animaduertamus operæ pretiũ eſt,duplicẽ Angelorum gloriã poſſe nos conſiderare. Vnã,quã vocant Theologi accidentalẽ,& quã habent de rebus a ſe geſtis in miniſterio noſtrę ſalutis,& de qua intelligitur illud Lucæ 15.cap. *Gaudium eſt in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*. neque de iſta vlla concertatio eſt, quin eam habeant Angeli ratione meritorum Chriſti eum conſequatur ad peccatoris conuerſionem, quam ſine dubitatione Chriſtus meruit.Conſideramus præterea Angelorum gloriam,quam dicunt eſſentialem,& eorum primæ gratiæ correſpondentẽ,& de ea ſicut de prima gratia cui correſpondet,inquirimus,& dubitamus.Sed nõ ita vt interrogemus de efficientia aliqua,quã habuerit Chriſti humanitas circa Angelorũ gratiã,& gloriã. D

Duplex Angelorum gloria, & eſſentialis & accidentalis:

Nam

A Nam cum multo antea Angelorum gratia producta fuerit, quàm Verbum diuinum ſibi huminitatem vnierit, aut coniunxerit, non eſt cur de efficientia humanitatis nondũ exiſtentis dubitemus. Potius ergo ſciſcitamur de meritoria cauſalitate, quam in eadem humanitate nondum exiſtente erga antiquos Patres Theologi admittunt, vt infra videbitur. An ſicut Patribus veteris teſtamenti, & vniuerſis alijs ante Chriſti aduentum data fuit gratia ratione meritorum Chriſti, ita eodem modo Angelis omnibus habita meritorum Chriſti ratione gratia collata fuerit. Pro quo.

Hæc ſtatuatur prima aſſertio: Chriſtus dominus fuit cauſa meritoria ac finalis gratiæ, & gloriæ Angelorum. Ita tenuit Catharinus opuſculo illo de bonorum Angelorum gloria. Tenuit, & Caietanus. 3. Par. quæſt. 7. art. 9. & 11. Immo te- *Prima aſſertio huius Controuerſiæ.*
B nuerunt Sancti Patres. D. enim, Hieronymus explicans illa verba Ad Ephes. cap. 1. *Ipſum*, ſcilicèt Chriſtum, *dedit caput ſuper omnem Eccleſiam*. aſſerit crucem Saluatoris non ſolum purgare homines, ſed & Angelos; cum illos præſeruauerit a peccato, & explicans illa verba ad Ephes. cap. 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt qui aſcẽdit ſuper omnes cælos, vt impleret omnia.* ait: Neque enim ſcire poſſumus quomodo, & Angelis, & ijs, qui in inferno erant, ſanguis Chriſti profuerit, & tamen quin profuerit neſcire non poſſumus. Docuit idem D. Bernardus ſermone 22. in Cantica, quo loco circa mediũ illius ſermonis ita loquitur: At angelis (inquis) quomodo redemptio fuerit non video: & paucis interiectis reſpondet: Audi breuiter, qui erexit hominem lapſum, dedit ſtãti Angelo ne laberetur, ſic illum a captiuitate eruens, ſicut iſtũ a captiuitate defendens, & ſic Chriſtus Angelis fuit redẽptio, *Aduerte modum quo D. Bernardus appellat Chriſtũ redemptorem Angelorum.*
C ſicut iuſtitia, ſapientia, & ſanctificatio. In quibus verbis cõcedit primò Bernardus, Angelos per Chriſtum fuiſſe præſeruatos, ne laberentur. Secundò ſanctificationem per illum recepiſſe. Igitur iuxta ſanctorum Patrum ſententiam, gratiam, in qua Angeli conditi ſunt, & auxilium illud, ne ab ea caderent, ratione meritorum Chriſti receperunt.

Eandem præterea aſſertionem videor mihi colligere ex Paulo ad Ephes. cap. 1. vbi dum loqueretur de redemptione, prędeſtinatione, & iuſtificatione per Chriſtum, inquit: *Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt in ipſo*. & ad Coloſens. cap. 1. de Chiſto loquens ait: *Per eum reconciliari omnia in ipſo pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris; ſiue quæ in cælu ſunt*. Cum ergo his omnibus conformis ſit noſtra ſententia, & ex ſanctis Patribus deducta, in Chriſtique
D honorem, & dignitatem cedat, mirum profectò eſt, quòd ab aliquibus Theologis tam facilè reijciatur.

Sed cum hucuſque de Angelis in ordine ad humanitatem Chriſti aſſumendam loquuti fuerimus. Non abs re percontaretur Theologus. Num poſtquam aſſumpta fuit a Verbo humana natura, aliquid Chriſtus tamquam cauſa efficiens ſua mediante humanitate circa Angelos produxerit: ceſſat enim iam ratio illa negationis exiſtendi, quæ tempore productionis gratiæ Angelorum currebat. Hoc vt explicem. *Num humanitas Chriſti aliquid poſt unionẽ ad Verbum efficienter cauſet in Angelis.*

Suppono humanitatem Chriſti ex vnione ad Verbum, ita fuiſſe eleuatam, vt omnia creata, etiam Angeli, illi ſubdita ſint. Quoniam cui ſubditur finis, ſubijciuntur vniuerſa media in illum finem ordinata. Cum ergo cuncta

creata ſint propter creaturas intellectuales, & iſtæ propter beatitudinem, quæ A Chriſto ſubditur, cum ad eius exemplar ſint omnes creaturæ intellectuales beatæ, inde eſt, omnia creata ſubdita eſſe Chriſto. Sed peculiariter de Angelis loquendo, quòd humanitati Chriſti ſubdantur, ex eo conſtat. Quoniam etiam ſi humanitas ſecundũ ſe minor ſit Angelis, iuxta illud ad Hebræos cap. 2. *Minoraſti eum paulominus ab angelis*; tamen prout illa natura eleuata eſt ad eſſe perſonale verbi; multò præſtantior & perfectior eſt illis, ita vt omnia, quæ fiunt ab Angelis pro rerum naturalium gubernatione, non ſolum iuſſu Dei, ſed etiam Chriſti homi nis imperio facta putari debeant: proſpiciunt enim ſemper vultum eius parati ad nutum obedire. Neque huiuſmodi Angelorum ſubiectio ad humanitatem Chriſti ſolum attendenda eſt in rerum naturalium & totius vniuerſi naturali gu bernatione, ſed etiam in morali, Politica, & œconomica: quoniam Angeli depu B tati ſunt ad ſimiles gubernationes, cum ſint deputati cuſtodes Pontificum, Regum, & aliorum, qui prouincijs, & domibus præſunt. Vt colligunt Doctores ex cap. 9. & 19. Danielis, & ex illo Pſalm. 90. *Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs ſuis.* At ea omnia Angeli exſequuntur pro vt miniſtri ſunt Chriſti, vt colligitur ex illo Ioannis cap. 1. *Videbitis*, inquit Chriſtus, *Cælum apertum, et Angelos Dei aſcendentes, & deſcendentes ſupra filium hominis*. hoc eſt, ſub imperio, & poteſtate filij hominis, & ita illud ad Hebræos cap. 1. *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus in miniſterium miſſi*, Sic accipiendum eſt, quod credamus, illos Spiritus a Chriſto mitti propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis. Idem ipſum colligere licet ex illo ad Philippens. 2. *Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, &c.* & ſubdit: *Et in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*. per quam genuflexionem C cæleſtium ſpirituum, ſubiectionem etiam miniſterij accipere debemus. Hæc verò ita ordinata eſſe quam maxime decebat, cum Pater æternus omne iudicium dederit Chriſto filio Ioannis cap. 5. dederit quę ei poteſtatem omnis carnis Ioannis cap. 17. dederitque tandem omnia Pater in manu, Ioannis cap. 13. Neque id moleſtum eſſe, & difficili Chriſti humanitati arbitrandum eſt; ſed potius iucundiſſimum & facillimum: cum abſque vlla difficultate cognoſcat omnia, quæ illi multiplici gubernationi conuenientia, & opportuna ſunt. Iſta ergo cum ita ſe habeant, mirum non erit, ſi cauſalitatem aliquam, & efficientiam in humanitate Chriſti reſpectu Angelorum ponamus, qua moti ipſi Angeli miniſteria erga homines tam in naturalibus, quàm in ſuper naturalibus exſequantur: cum ea omnia nutu, & imperio Chriſti gubernentur. quo poſito, pro expli D catione interrogationis factæ.

Angeli Chriſti humanitati ſubduntur in gubernatione naturali, morali, Politica, et œconomica.

Statuitur ſecunda aſſertio. Chriſti humanitas poſt vnionem ad verbum, aliquid operatur in Angelis tamquàm cauſa efficiens. Quæ aſſertio colligitur ex D. Dionyſio cap. 7. de cæleſti Hierarchia, quo loco ponit Angelos omnes a Chriſto illuminari, & edoceri, ſicut, & inter ipſos Angelos inferiores a ſuperioribus illuminantur, at inferiores ſpiritus a ſuperioribus in genere cauſæ efficientis illuminantur. Igitur Chriſtus Dominus eos illuminando pro horum inferiorum multiplici, & diuerſa gubernatione efficienter mouet.

Secunda aſſertio huius controuerſiæ.

Sed quoniam poſſet aliquis aſſerere, humanitatem Chriſti mediante anima Angelos efficienter mouere per doctrinam, & illuminationem, non tamen mediante

A diante corpore, cum corpus agere non poſſit, neque aliquam efficientiam habere valeat in ſpiritum; ideo animaduertamus, operæ pretium eſt, poſitam aſſertionem non ſolum intelligi debere de humanitate Christi ex parte animæ tantum, ſed ex parte etiam corporis anima informari. quod egregiè docuit S. Thom. 3. Part. quæſt. 8. art. 4. ad tertium, & Caietanus ibi. Neque id mirum videri debet: cum videamus ſacramenta prout eleuata a Deo in animam agere, concedamuſque præterea ignem tamquàm Dei inſtrumētum malos Angelos & animas poſſe torquere, non per ſolam detentionem (vt quidam volunt) ſed per veram & realem efficientiam; & Denique, cum concedamus, iuxta multorum Philoſophorum ſententiam, phantaſmata prout illuminata ab intellectu agente inſtrumentaliter poſſe concurrere, & efficienter ad ſpecierum intelligibilium produ- *Aduerte circa Aſſertionem.*

B ctionem. Multò ergo rationabilius aſſerere valebimus, Christi humanitatem ad eſſe perſonale verbi diuini eleuatam afficientiam aliquam habere circa Angelicos ſpiritus. Vnde ſicut phantaſma illuſtratum intelligibilem formam in intellectu producit; ita Chriſtus vt homo mediantibus verbis vocalibus, & locutione diuina virtute eleuatis apprehenſionem, & iudicium in intellectu Angeli producit, multo melius, quam ſuperior Angelus ſua media illuminatione, & conceptuum directione. Quamuis verum etiam ſit, aliquando ad modum ipſorum Angelorum per ſolam interiorem illuminationem abſque exterioribus ſignis, & vocalibus verbis Chriſtum eos mouere, vt dicemus infra controuerſia. 12. Poſitiua.

Sed ne magis in hac priori parte lectorem detineamus, argumentis principio *S. Thom. teſtimonijs reſpondetur.*
C factis ſatisfacere incipiamus. In primis illis duobus S. Thom. teſtimonijs ex 3. ſent. & ex quæſt. 29. de veritate adductis, reſpondeo. proculdubio in illis locis S. Thomam eam tenuiſſe ſententiam, quam poſtea retractauit ſcribens ſuper illa verba Ioannis cap. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*. Neque illud præterea, quod adducebatur ex 3. Part. quæſt. 59. art. 6. contra nos eſt, ſi recte intelligatur: quoniam aliud eſt loqui de iudicio, aliud de merito: nam ad iudicandum aliquem neceſſe eſt iudicem præexiſtere: cum iudicare nihil ſit aliud, quam pœnam, vel premium pro meritis alicui tribuere, ad merendum vero non eſt neceſſe quod ille, qui meretur, præexiſtat, ſed ſat eſt, meritum perſonæ tunc exiſtentis in aliqua tamen natura futuræ, acceptari. Quod ergo docuit S. Thom. eo in loco illud eſt, Chriſtum Dominum Angelos non iudicaſſe
D quantum ad pœnam, vel gloriam, quod verum eſt, tamen inde nemo rectè colligere poterit Chriſtum nequaquàm Angelis gratiam, aut gloriam meruiſſe.

Primæ Deinde adductę rationi dicatur, diuerſam eſſe rationē inter homines, & Angelos quantum ad beatitudinis conſecutionem. Nam homines ante Chriſti mortem, quamuis ſine peccato decederent, adhuc tamen captiui erant quantum ad reatum, ideſt, excluſionem a regno cælorum, cuius excluſionis pœnam ex delicto primorum parentum contractam, fuiſſe a Chriſto abolitam, eo tempore, quo noſtræ redemptionis ſolutum eſt precium, facile quiſque colliget, ſi verba Pauli ad Hebræos. cap. 9. conſideret dicentis: *Chriſtus aſſiſtens pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, ideſt, non huius creationis, nec per ſanguinem hircorum, aut vitulorum; ſed per proprium ſanguinem* *Prima rationi ſatisfit.*

nem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta. Vnde ante pretij exhibitio- A nem non sunt homines liberati ab ea captiuitate,& exclusione. In Angelis autem, cum non præcesserit huiusmodi captiuitas, neque delictum aliquod, statim eorum finita via, qui in gratia perseuerarunt, adepti sunt gloriam, & redditi beati.

Vltimæ rationi respõdetur. Vltimę rationi respõdeo, verum esse occasionem aduẽtus Christi fuisse hominum salutem, ex eo tamen non aufertur, quin veniente Christo causa meritoria ipse fuerit gratificandi angelicam naturam. Voluit enim Deus, vt Christo veniente ratione suorum meritorum etiam Angeli iustificarentur; sicut cum medicus in domum infirmi profectus, vt languorem eius sanet, ex accidenti amicum ibi existentem visitat, & alloquitur: mouetur ille quidem a sanitate languidi, tamquam a causa eundi in infirmi domum, aliàs non iturus, supposito tamen aduentu vtrumque præstitit. Non dissimiliter Verbi incarnatio in hominum salutem ordinata est tamquam in occasionem, & causam sine qua Christus non veniret, supposita tamen semel incarnatione facienda in Angelorum iustificationem ordinata est, quamuis non tamquàm in causam, & occasionem veniendi. Scio Thomistas aliquos quibusdam imaginatis ordinibus circa ordinem eorum quæ a Deo secundùm nostrum modum intelligendi cognoscuntur, tenere, Angelorum gratiam non fuisse ex Chrsti meritis. sed quia statim secunda controuersiæ parte argumẽto conuincente rationis ordo statuendus est, iuxta quem omnes illorum rationes corruent, non hic moror, vt ad secundam partem properem. B

Secũda Pars Controuersiæ. De iustitia originali primorum parentũ. *DE gratia* insuper seu originali iustitia, quam primi nostri parentes in felici C illo (quamuis breuissimo) statu habuerunt, dubitatio est: Habuerit nè Christi humanitas causalitatem aliquam saltem meritoriam circa illam, quemadmodũ concessimus circa Angelorum gratiam, & gloriam. Multi enim Thomistæ sequentes D. de Soto lib. 1. de natura & gratia, cap. 6. arbitrantur primam illam gratiam non fuisse datam Adamo ex Christi meritis, quamuis cum hoc existiment stare posse, Adamum fuisse prædistinatum ex eiusdem Christi meritis. Argumenta pro hac sententia sunt hæc.

D. Soto tenet partẽ negãtẽ.

Primum argumẽtum pro ea sententia. Primum, quoniam ex S. Thom. sententia, si Adam non peccasset, Verbum diuinum carnem non assumpsisset. Igitur incarnatio Verbi peccatum Adami prçsupponit, sicut medicina vulnera, & morbos. Tunc sic arguitur, Christi merita præsupponunt incarnationem. Ergo necessariò præsupponunt hominem lapsum, & in peccato iacentem. Igitur antequam a Deo cognita fuerint Christi merita, cognitus est Adam peccato infectus, & coinquinatus. Et ante peccatum tributa est illi originalis iustitia, & prima gratia. Ergo nullo modo Deus originalem iustitiam Adamo tribuit per merita Christi, nisi cum Scoto teneas Christum præuisum, & prædestinatum fuisse ante Adami peccatum. Hoc idem argumentum etiam probat, gratiam Angelorum eis propter Christi merita non fuisse concessam. D

Secundum argumentum. Secundum, si Adam habuisset gratiam ex Christi meritis, fuisset eo tempore membrum mysticum ipsius, ratione illius gratiæ, & per consequens membrum Ecclesiæ. Hoc verò affirmare videtur inconsonum, quia iam cæpisset Ecclesia in

statu

A ſtatu innocentiæ,& poſtea Adamo peccante ſimul & Eua aliquod tempus poſſemus aſſignare,in quo vniuerſa Eccleſia a ſanctitate,& gratia defecerit, cũ nullum aliud eo temporis interuallo,quod interceſum ligni vetiti, & generationem Abel, & Cain , aſſignari poſſit Chriſti membrum ſanctitatem, & gratiam retinens: illud autem abſurdum eſt dictu . Ergo &c.

Tertium,illi,qui affirmant myſterium incarnationis Chriſti fuiſſe Adamo reuelatum , tunc temporis id factum fuiſſe credunt , cum ipſe Genes.cap. 2. dixit: *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea*. quæ verba poſt acceptam originalẽ iuſtitiam ab Adamo prolata ſunt. Igitur ante ea verba nullam Chriſti notitiam primus parens habuerat,& perconſequens nullam Chriſti fidem.Sed omnis gratia,quæ data eſt ex Chriſti meritis,recepta eſt per fidem credentis in ipſum, ſal- *Tertium Argumentum .*
B tem venturum. Ergo primi parentes non ſunt iuſtificati ex Chriſti meritis,nullam ergo cauſalitatem habuit Chriſti humanitas circa primos noſtros parentes in ſtatu innocentiæ.

Pro huius ſecũdæ partis explicatione multa, & difficilia eſſent præmittenda, quæ metas vnius controuerſiæ excederent, & quæ faſtidio eſſent lectori, ea Deo fauente in commodius tempus reſeruamus. Sed quantumuis à minus neceſſarijs abſtinere curemus,illud vnum pro hac ſecunda parte, & pro innumeris alijs Theologiæ difficultatibus , aperire neceſſarium duximus:quem ordinem excogitare liceat in actibus diuinæ voluntatis. Sunt enim de hac re quot capita , tot ſententiæ. Quoniam vnuſquiſque pro ſententia quam defendere conatur ordinem in diuina volitione ponit,& fingit,qualẽ ſua opinio exigit,& multi (quod
C peius eſt) duos vel plures ordines admittunt,vt duobus vel pluribus faueant placitis. Quo nihil aliud fit,quàm eorum ingenia,qui veritatem cognoſcere deſiderant, confundere:cum tamen iſta omnibus opinionibus deberent eſſe communia,vt exinde quæ ſit opinio verior,& probabilior,colligeretur. Illum igitur ordinem , vt aperiamus. *Vitioſa diuerſitas in aſſignãdo ordine diuinarum volitionum ſecundũ noſtrũ modũ intelligendi.*

Præmitto primo,nequaquam concedendam eſſe prioritatem ex natura rei in ordine diuinæ volitionis,vt falsò conceſſit Scotus in 3.diſt.7.quæſt. 4.neque illam negandam ſecundùm noſtrum modum intelligendi , vt malè negauit Gabriel in 3. diſt. 2. quæſt. 1. art. 3. dub. 3. Quamuis enim ex parte ipſius actus Deus omnia ſimul cognoſcat,& velit ; nihilominus eſt aliquis ordo,ex eo,quòd nos conſideramus diuinam voluntatem prius ferri in vnum obiectum,quàm in *Præmittitur primò. Qualis ſit ordo in diuina volitione.*
D aliud . Sicut enim nos prius intelligimus hominem eſſe rationalem,quàm riſibilem, quia re vera prius ſecundùm naturam eſt hominem eſſe rationalem, quàm riſibilem: ita imaginamur Deum prius velle hominem eſſe rationalem , & poſt eſſe riſibilem:quoniam voluntas diuina ſecundum noſtum modum intelligendi prius terminatur ad vnum obiectum,quàm ad aliud,& hæc appellatur prioritas rationis,nam qualem ordinem habent res a Deo volitæ,talem nos in diuina volitione balbutiendo conſideramus . Et iſte rationis ordo in diuina voltione, reducitur ad prioritatatem cauſalitis , quam poſuit Ariſtoles in Poſtprædicamentis cap.de modis prioris, non quia ſecundùm rem vnus actus ſit cauſa alterius; cum ibi non ſint plures actus, ſed vnus,& ſimpliciſſimus , ſed quia ſecundum rationem vnum cognoſcitur eſſe volitum propter aliud , ac ſi verè eſſent

plures

plures actus, & vnus cauſa eſſet alterius, & in hac prioritate vnum intelligitur A procedere ab alio, nō tamen cognoſcitur vnum eſſe ſine alio, quę alijs verbis dici ſolet prioritas a quo, non prioritas in quo. Sed eſt hic maximè aduertendum, quòd etiam ſi in Diuinis huiuſmodi ordinem actuum ſecundum rationem cōtemplemur, ita vt vnum appellemus priorem alio, & alium poſteriorem, tamen non debemus intelligere prioritatem hanc ita ſe habere, vt ille actus, qui cognoſcitur prior, cognoſcatur eſſe ſine poſteriori. Immo ſemper ille actus, qui dicitur poſterior comitatur, & ſequitur priorem; quoniam, vt diximus, eo modo quo res ſe habent interſe, eo ipſo nos imaginamur Deum eas voluiſſe. Sicut enim homo prius ſecundùm naturam eſt rationalis, quàm riſibilis, tamen non poteſt eſſe rationalis, quin ſit riſibilis. Ita imaginamur volitionem efficiendi hominem rationalem eſſe rationē, & veluti cauſam volitionis, quòd fuerit riſibilis, & priorem eſſe volitionem hominis rationalis, quàm ſit volitio riſibilis, tamen ita eſt B prior illa volitio, quòd non ſine poſteriori.

Præmittendū ſecundò. Secundò præmitto, quòd cum tripliciter aliquid ſit alio prius apud Ariſtotelem loco dicto: duratione, ſubſiſtentia, & cauſalitate, certumque ſit ordinem diuinorum actuum non poſſe reduci ad prioritatem durationis, neque ad prioritatem ſubſiſtentiæ, ſed ſolum ad prioritatem cauſalitatis ſecundùm rationem, (vt diximus) inde eſt poſſe nos conſiderare in Deo duplicem ordinem cauſalitatis, & ordinem in genere cauſæ efficientis, & ordinem in genere cauſæ finalis: (cauſalitas etenim formalis, & materialis parum ad propoſitum cōducunt.) Sed vt colligitur ex Ariſt. lib. 2. Phyſic. cap. de cauſis, illud eſt dicendum prius ſimpliciter, quod eſt prius ſecundùm illud genus cauſæ, quæ abſolutè, & ſimpliciter C eſt prior: at certum eſt, inter omnes cauſas, finalem haberi tamquam priorem, eamque ideo appellari cauſarum cauſam. Quamobrem præcipuum ordinem in diuina volitione conſideremus oportet in genere cauſæ finalis. In quo genere quo res fuerint nobiliores, & perfectiores, eo priores debemus iudicare: cū pro eodem habeantur bonum, perfectum, & finis. Sed cū apud omnes Philoſofos, & rectè ſentientes illud in communem prouerbium verſum ſit: quæ priora ſunt ordine intentionis, & in genere cauſæ finalis, poſteriora debent iudicari ordine exequutionis, ſeu in genere cauſæ efficiētis, rectè nos abſolutum ordinem ſtatuemus, atque in genere cauſæ finalis, ſi ordinem imaginemur contrarium, & oppoſitum ordini exequutionis. *Ordo diuinæ volitionis in genere exequutionis.* Ordo autem exequutionis ſatis clare ex ſacris literis colligitur. Principio enim creauit Deus cœlum, & terram, reliquaque corpo D ra ſimplicia, herbam, & arborem multiplicem facientem fructum iuxta genus ſuum, nec non piſces, aues, & reliqua terreſtria animantia; quæ, vt hominum vtilitati, & commoditati deſeruirent, producta fuere. Poſt quæ omnia creatus eſt homo in gratia, & originali iuſtitia. Quoniam verò productus iſte homo in veritate non ſtetit, diuina poſtulante iuſtitia (cui rigurosè ſatisfaciendum erat) Dei Filius in hominis redemptionem ac liberationem ab æterno Patre miſericordia commoto promiſſus eſt, temporiſque plenitudine deinceps veniente Filius datus, & natus eſt liberādis hominibus. Quo factum eſt, vt diuina bonitas, quæ principio mundi, & labētibus ætatibus, ſe aliquantulum communicare, & in creaturas diffundere cæperat, diuini Verbi incarnatione ſummo modo ſe cōmunica-

A municaret, & diffunderet: vt magis patefieret diuina bonitas, aperirenturque theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Sed ea omnia & cuncta alia tandem propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.

Hinc non erit difficile ordinẽ inter ea quę Deus voluit, in genere cauſæ finalis & ſecundum intentionem abſolutè cõſtituere. Primo enim Deus Optimus Maximus ſe, ſuæque bonitatis manifeſtationem vt finem voluit. Quam ob cauſam ſecundò Verbi diuini incarnationem, tamquam illud in quo maxime diuina bonitas declaranda erat, futuram decreuit; vt ipſa mediante Verbum diuinum in dupliei natura ſubſiſteret, homoque fieret: ſuper cuius humerum electorum principatus reſideret, cum futurus eſſet primogenitus in multis fratribus, Princeps pacis, & Pater futuri ſæculi. Statim tertio creaturas aliquas intellectuales per *Ordo in gen. re cauſæ finalis & qui ſimpliciter eſt ponendus.*

B Chriſti merita conformes fieri imaginis filij ſui deſtinauit, certumque earum numerum, partim ex accidenti, (quod dicitur propter Angelos) partim tamquàm ex occaſione veniendi, (quod additur propter homines) in æternum ſecum regnare ſtatuit, virtutibus, auxilijs, multisque ſupernaturalibus gratijs & donis tributis. Deinde quarto, permittere voluit, vt homines in primis illis duobus hominibus contenti, & in iuſtitia originali creati Dæmonis ſuggeſtione ruerẽt, & in peccatum laberentur. Item quinto, animantia omnia cum reliquis ſimplicibus corporibus creare conſtituit; ex quibus omnibus Vniuerſum hoc integrum & ornatum reſultare voluit. Ecce breuiter expoſitum diuinę volitionis ordinem ſecundùm genus cauſæ finalis, & iuxta viam intentionis, ad noſtrum modum intelligendi. Quem equidem ordinem videtur nobis innuere Paulus priori ad

C Corinthios epiſtola cap. 3. cum inquit: *Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Appollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors ſiue præſentia ſiue futura, omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Quibus verbis innuit Apoſtolus, finem Chriſti eſſe Deum, finem electorum Chriſtum, electos tandem reliquorum omnium, ſiue naturalium, ſiue ſupernaturalium finem eſſe & ſcopum. Neque noſtri inſtituti ratio finit, vt ad magis particularia tum prædeſtinationis, tum incarnationis, deſcendamus. Sufficiant nobis in propoſito quæ ob oculos poſuimus: ex quibus facile quicunque, quod deſiderauerit rem iſtam concernens, colliget. *Videtur Paulus innuere ĩ dictũ ordinẽ. 1. ad Corinth. 3.*

In quo ordine illud (vt diximus) maximè conſiderandum eſt, quòd licèt prædeſtinatio Chriſti, & eius incarnatio prius ſit a Deo volita, quàm præde- *Maxime aduertendum in ijs rebus.*

D ſtinatio, & iuſtificatio cuiuſcumq; creaturæ intellectualis, & prius etiam quàm permiſſio peccati; tamen non eſt volita ſine ordine ad omnia illa. Quoniam prædeſtinatio, & incarnatio Chriſti in particulari fuit volita cum omnibus proprietatibus particularibus, quas habiturus erat Chriſtus in tempore. Et quoniam Chriſtus in tempore non erat futurus, niſi hominis fuiſſet peccatum, ideo volita eſt eius incarnatio & prædeſtinatio in ordine ad peccatum futurum. Sicut etiam ſi pręuideatur prius gloria, quàm gratia, non tamen ſine ordine ad gratiam. Vnde non rectè colligitur ex eo quod in genere cauſæ finalis aliquid ſit prius volitum, quòd ſit ſine poſteriori. Immo potius loquendo de facto, ſuppoſita priori volitione, ſequi quidem non deſinet poſterior: quamuis de potentia abſoluta aliter euenire potuerit. Sed parum id

refert, quoniam nos loquimur ſuppoſita determinatione, diuinę voluntatis, prout terminatur volitio ad noſtrum modum cognoſcendi ad obiecta in ęternitate pręſentia. His breuitate qua potuimus explicatis, pro explicatione ſecundę partis. A

Tertia Aſſertio in ordine.

Tertia ſtatuitur in ordine aſſertio. Primi noſtri parentes iuſtitiam originalem, & quęcun que dona ſiue auxilia ſupernaturalia, quę eis donata ſunt ante peccatum, ratione meritorum Chriſti receperunt. Quoniam etiam ſi; via exequutionis poſterior fuerit incarnatio Chriſti & eius merita; via tamen intentionis priora fuerunt.

Ratio prima pro aſſertione.

Probatur primò aſſertio. Apud Theologos hoc eſt certum, Chriſtum dominum fuiſſe cauſam finalem & exemplarem prædeſtinatorum, iuxta illud ad Rom. cap. 8. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*. Ergo etiam reſpectu primorum parentum, immo & Angelorum, fuit cauſa finalis & exemplaris: aliàs ratione Pauli arguendo, non eſſet Chriſtus primogenitus reſpectu Angelorum, & primorum parentum. Si ergo fuit caúſa finalis, & exẽplaris. Igitur in illo genere prius præuiſus eſt Chriſtus, & omnia eius merita, quàm donum aliquod Angelis & primis parẽtibus tribueretur. Quis ergo tunc neget, ratione illorum meritorum, Patrem ęternum illa dona Angelis & hominibus tribuiſſe? cum ex Ioanne cap. 1. ſciamus de plenitudine Chriſti omnes gratiam pro gratia accepiſſe. B

Ratio ſecũda ad idem.

Secundo, Si Adam iuſtitiam originalem, ſeu primam gratiam ex Chriſti meritis non habuiſſet, ſequeretur aliquem modò gradum eſſentialem gloriæ habere Adam. & non per merita Chriſti: probatur ſequella. Quoniam Adam poſt ꝓprium delictum pænitentiam egit, vt olim contra Encratitas, & Tatianum Encratitanæ ſectæ auctorem, & contra Seuerum, & Seuerianos hæreticos docuerunt D. Auguſtinus, de hæreſibus. hæres. 25. Euſebius lib. 4. hiſtor. eccleſiaſt. cap. 27. Epiphanius lib. 1. hæres. 45. & colligitur ex illo ſapientię cap. 10. vbi loquens ſapiens de Adam ait: *Et eduxit illum Deus a delicto ſuo*. Ergo per illam pęnitentiam ſurrexit ad eandem gloriam, ad quam antea fuerat acceptus ratione primę gratię, & illam non habebat ex meritis Chriſti, habet ergo modo pręmium aliquod eſſentiale illi gratię correſpondens, & non ex meritis Chriſti. Quod concedi ſine dubio impium apparet: cum audiamus Paulum ad Ephes. cap. 1. dicentem *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti*. & ſubdit: *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*. Vnde ſicuti a capite quęcunque motio, & vitalis operatio procedit in corpore animali, ita a Chriſto quamcunque gratiam dimanare credendum eſt in quacunque rationali creatura. Hę ſunt rationes, quę licet non euidenter conuincant, probabiliter tamen ſuadent poſitam concluſionem. In ijs enim, quę ad gloriam & Chriſti dignitatem pertinent, non ſolum rationes demonſtratiuę non eſſent petendę, verum neque conuincentes eſſent expectandę dum modo, nihil repugnans & contradictionem inuoluens admitteremus. C D

Sat ſunt rõnes probabiles in ijs, quę ſunt in maiorem gloriã Chriſti.

Neque conuincunt Argumenta in contrariũ initio ſecundę partis huius controuerſię poſita. Primũ enim ſi prędicta inſpiciamus, nullam habet vim: nã Verbum diuinũ carnem non ſibi vniret, niſi peccatum fuiſſet: inde tamẽ non ſequitur, quòd abſolutè loquendo, ſiue in genere cauſę finalis, (quod idem eſt, cum ſit

illa

A illa ſimplicier prior cauſa) præceſſerit peccatum, ſatis eſt, non fuerit illa vnio ſine ordine ad illud, tamquam ad occaſionem, propter quam Verbum diuinum caro factum eſt. Illud verò quod adducitur in probationem conſequentiæ, & quod in hac parte concludere multi putant, de medicina præſupponente vulnera, & morbos, non concludit, quia non tenet in omnibus illud exemplum neque in omni genere cauſæ. Quoniam medicina ſolum in genere cauſæ efficientis ſe habet reſpectu morbi, morbus verò ex parte materiæ, & ſubiecti. Vnde cum cauſa efficiēs neceſſariò præſupponat materiam circa quam valeat operari, inde eſt medicinam neceſſariò præſupponere morbum. At Chriſti incarnatio nō ſe habet reſpectu omnium in genere cauſæ efficientis, ſed ſolum reſpectu eorum qui poſt Chriſti incarnationem fuerūt. Habet ſe tamen reſpectu omnium in genere cau- *Quomodo intelligēdum ſit dum de incarnatiōe Chriſti loquimur, qđ medicina ſupponit morbū.*

B ſæ finalis, exemplaris, & meritoriæ. Cum ergo in propoſito nos loquamur de genere cauſæ finalis, & meritoriæ, & ſecundum diuinæ voluntatis intentionem, illud ſimile de medicina non eſt ad propoſitum. Cum verò aliquando via executionis loquimur, & eo modo quo ſucceſſu temporis facta ſunt, illud exemplum ex Sanctis Patribus deſumimus, & aſſerimus paſſionem Chriſti, eiuſque merita, & incarnationem fuiſſe medicinam ad peccatum delēdum: quod verum eſt. Vnde falſo nititur fundamento ea prima argumentatio, cum præſupponat, prius abſolutè præuiſam peccati permiſſionem, ac volitam, quam fuerit præuiſa, & volita Chriſti incarnatio; & eius prædeſtinatio: quod falſum eſt, cum potius ante cuiuſcunque creaturæ volitam prędeſtinationem aut iuſtificationem, præuiſa fuerit, & volita Chriſti incarnatio, & prædeſtinatio, quamuis in ordine ad illa

C prædicta. Hac via ſaluantur exactè omnia dicta S. Thomæ, & preſertim (vt obiter exponam) illud quod docet 3. Part. quæſt. 1. art. 3. ad quartum, quo loco aſſerit prædeſtinationem præſupponere præſcientiam futurorum. Eo enim loco S. Thomas non loquitur de prædeſtinatione abſolutè, ſed de ipſa prædeſtinatione actu adimplenda, & in genere exequutionis. Nam etiam ſi in genere cauſæ finalis, & ſecundum intentionem, pręcedat prędeſtinatio gratiam, orationes, & alia ſimilia, tamen ſecundùm exequutionem, prius ſunt orationes, & gratia, quàm prædeſtinatio actu adimpleatur. & ideò addidit S. Thomas in illa ſolutione, particulam illam: per orationes aliorum adimplendam. Quod verò hoc fuerit intētum S. Thomæ in illo loco, ex eo colligo, quia ibidem docet prædeſtinationem Chriſti ordinari in remedium peccati: quod in genere exequutionis intelligen- *Exponitur difficilis locus S. Thom. 3. P. quæſt. 1. art. 3. ad quartum.*

D dum eſt. Hæc dixerim de teſtimonio S. Thomę difficili, & in cuius explicatione aliqui Thomiſtæ multa ponunt contra mentem S. Thom. vt opinor.

Secundum argumentum poſtulabat pulchræ illius difficultatis elucidationē: A quo incęperit Eccleſia? Sed arduum eſt, ne dicam moleſtum omnia, quæ in argumentis obiter prætanguntur, latè examinare. Breuitate tamē quàm maxima, argumentorumque ſtrepitu relicto, de illa difficultate tres celebres opiniones referam, easque non eſſe aduerſas & repūgnātes oſtendam. quibus quantacunque breuitatate poſitis integram (vt ſpero) eius rei cognitionem lector habebit. *De illa difficultate breuiter agitur à quo incęperit Eccleſia.*

Fuit igitur prima ſententia Altiſiodorenſis lib. 3. ſuæ ſummæ, tractatu. 1. cap. 4. quæſt. 1. & 3. Turrecrematæ lib. 1. ſummæ De Eccleſia, cap. 25. & Caietani in cap. 28. Genes. dum exponit illud: *Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli.* *Prima ſententia q incęperit ab Abel.*

 tenen-

tenentium, Eccleſiam incœpiſſe ab Abel, cum ante ipſum non fuerit hominum congregatio, & multitudo, duo enim nō dicuntur omnes, neq; multi, vt docuit Ariſtoteles lib. 1., de cælo cap. 1. Neque ante Abel leguntur in Scriptura ſigna aliqua exteriora, & ſacrificia proteſtatiua fidei ac religionis exhibita, & ſic ferè ſemper connumeratur primus Abel in Scriptura, tamquam ille à quo cœpit Eccleſia, vt conſtat Matth. cap. 23. *Vt veniat*, inquit Chriſtus Phariſæis, & Scribis *ſuper vos omnis ſanguis iuſtus &c. a ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ, quem occidiſtis &c.* & ſimiliter Paulus ad Hebræos. cap. 11. connumerare incipit iuſtos omnes ab Abel. A

Secunda Opinio & initium habuerit ab Adam.

Secūda opinio fuit Alberti Pyghij lib. 1. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ; Driedonis lib. 4. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 2. part. 1. concluſione. 1. & Hoſij Cardinalis lib. de fide & Symbolo cap. 27. quam tenuit etiam Synodus Colonienſis titulo de officio priuato ac publico, vitaque ac moribus Clericorum generatim, cap. 2. quæ ſententia aſſerit, Eccleſiam initium habuiſſe ad Adam. Quoniam, vt docuit S. Thom. 2. 2. quæſt. 2. art. 7. primi noſtri parentes fidem habuerunt Dei & Chriſti, per quam vnuſquiſque intra Eccleſiam contineri dicebamus Controuerſia. 3. Scholaſtica, immo ante Abel eam fidem ſacrificijs, & ſignis exterioribus pteſtati ſunt, vt videtur docere S. Thom. 2. 2. quæſt. 85. art. 1. ad ſecundum quo loco rationem reddit, ob quam ſacræ litteræ nequaquam mentionem fecerint illius ſacrificij, Nè in eo (inquit) in quo notatur origo peccati, ſimul etiam ſanctificationis origo notaretur. Vnde Petrus Commeſtor Magiſter hiſtoriarum appellatus, in hiſtoria Genes. cap. 26. aſſerit Adamum docuiſſe filios primitias, & decimas Deo offerre. B C

Tertia ſententia docet ortū habuiſſe ab Angelis.

Tertia ſententia eſt aliquorum Iuniorum, exiſtimantium Eccleſiam ab Angelis incœpiſſe, & non ab hominibus, cum Eccleſiæ membrum per fidem conſtituatur, quæ eiuſdem rationis fuit in Angelis viatoribus, & hominibus. Vnde cū Angeli prius fuerint in fide, & gratia conditi, quam homines, ab eis credendum eſt Eccleſiam incœpiſſe. Quod ſi eis obijcias Angelos eſſe ſpiritus, & incorporeos, homines verò corporeos, & materiales; & ideò non poſſe eos ad vnam Eccleſiam viſibilem pertinere, præcipue cum de viſibili Eccleſia interroget dubitatio. Reſpōdent varietatem materiæ, vel ſubiecti non variare rei eſſentiam, dummodo ſalua maneat integra ratio formalis: Sicuti ſi conſtituamus, ſigillum Regis impreſſum pro pretio, & valore alicuius rei exhibendum, tunc quòd ſit in auro, vel in argento, per accidens eſt. Cum ergo imago Dei per fidem Eccleſiam cōſtituat: per accidens eſt, huiuſmodi imagines per fidem eſſe in rebus, ſiue ſpiritualibus, ſiue corporeis. Et ſi adhuc illis opponas ante hominum productionem Angelos iam beatitudinem fuiſſe adeptos, & ſpectare ad Eccleſiam triumphantem, de qua hic non eſt ſermo, ſed de militanti, ad quam homines pertinebant. Reſpondent adhuc, quòd ſicut in naturalibus eadem eſt Reſpub. eorum, qui in ciuitate pacifice viuunt, & illorum, qui in bello decertant, ſiue intelligatur reſpectu diuerſorum hominum, in eodem tempore, ſiue reſpectu eorundem hominum, in diuerſo tempore: Sic etiam in Repub. Eccleſiæ ad eandem pertinēt Angeli beati, qui iam pacifice viuūnt in ciuitate ſancta Hieruſalem, quæ ideo dicitur pacis viſio; quaſi eius ciues pacifice Deū videntes viuant; & præterea homi- D

nes

A nes viatores exiſtentes in Eccleſia militanti, intra quam militant, & decertant, vt poſt pacifice in æternum viuant: pertinentque omnes illi ad eandem Repub: cum habeant Chriſtum tamquàm vnicum caput influens in eos omnes, pro par tium illius corporis diuerſitate. Vnde ſicut caput naturale mediante principio vitali alio modo influit in oculos, alio in pedes, & in reliquas partes, etiam ſi om nes illæ idem corpus conſtituant; ita quamuis Chriſtus aliter influat in Angelos per viſionem, & aliter in homines viatores per fidem, omnes tamen illi vnam: Rempub. & vnum corpus myſticum conficiunt, & ita (inquiunt) ab Angelis cre dendum eſt Eccleſiam exordium habuiſſe.

Vt iſthæc interſeſe non repugnare intelligantur: Animaduerte vnam & eandem rem poſſe multipliciter generari, & initium habere: vt docuit Ariſtoteles B lib. 1. de generatione cap. 3. Primò ſecundùm eſſe ſimpliciter, ſicut Petrus per generationem. Secundò, quantum ad eſſe ſecundùm quid, & accidentale: vt idem Petrus incipit ambulare, loqui, & diſputare. Vnumquodque verò abſolutè dicitur incipere, cum initium habet ſecundùm eſſe ſimpliciter. Cum ergo fides ſit, quod vnumquodque conſtituit Eccleſiæ menbrum, ſitque ſubſtantia, & fundamentum, & petra ſupra quam fundata eſt Eccleſia, tunc dicenda eſt ſimpliciter incepiſſe, quando cæpit fides, & congregatio fidelium. Tunc autem incæpit ſecundùm quid, quando initium habuit ſecundùm alia, quæ accidentaliter ſe habent, reſpectu congregationis fidelium: ſicut quod ſit congregatio hominum fidelium, vel Angelorum. Vnde Eccleſia multipliciter ſolet ſumi. Primò præciſe pro quacunque congregatione fidelium, qui ſunt vel, fuerunt, & ita Gloſſa in C telligit illud ad Ephes. cap. 1. *ipſum*: ſcilicet Chriſtum: *dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, ſiue quæ in cælis eſt, ſiue quæ in terra.* Secundò, ſolet ſumi pro congregatione fidelium viſibili ſecũdùm ſe totam, quo pacto loquitur Paulus de Eccleſia ad Ephes. 5. cum ait: *Chriſtus dilexit Eccleſiam & traddidit ſemetipſum pro ea.* at Chiſtus mortuus eſt tantum pro hominibus ſaluandis. Denique accipitur pro cõgregatione fidelium viſibili, ſaltem ſecũdùm partem: & ita vnam Eccleſiam hominũ & Angelorum dicimus eſſe reſpectu vnius capitis Chriſti. Quarum acceptionũ, prior eſt ſecundum eſſe ſimpliciter, & ſecundùm rationem formalem conſtitutiuam Eccleſiæ, duæ poſteriores inuoluunt aliquid accidentale.

Pro conciliatiõe prædictarum opinionũ. Aduert.

Dicas ergo primò cum tertia ſnĩa, Eccleſiam ſimpliciter incæpiſſe ab Angelis, cum ibi incæperit congregatio fidelium. & hoc eſt quod voluit docere Au- D guſtinus lib. 11. & lib. 15. de ciuit, vtrobique cap. 1. cum ait: ciuitatem Dei, nempe Eccleſiam ortum habuiſſe ab Angelis. & Bernardus homil. 27. in Cantica. cum aſſerit: Deum ſecum habere voluiſſe multitudinem Angelorum, tanquam ſponſam ſibi adhærentem, eandemque Eccleſiam etiam hominibus conſtare decreuiſſe.

Tertia ſentẽtia è vera de eccleſia ſimpliciter icipiẽte & quantũ ad intrinſeca.

Dicas ſecundò cum ſecda opinione, Eccleſiam ſecũdùm quid, prout viſibilis eſt, ſecũdùm partem incæpiſſe ab Adam in ſtatu innocẽtiæ, cum in eo inceperit congregratio fidelium ſecundùm aliquam partem viſibilis, licet enim ipſe, ſiue ſolus, ſiue cum vxore Eua, non poſſet tunc temporis conſtituere Eccleſiam, cum non poſſet, etiam vterque, multitudinem & congregationem conſtituere: tamẽ ex Adam, ſiue cum Eua, ſiue ſine illa, & Angelis, ſiue beatis, ſiue viatoribus, mul-

Secunda ſnĩa è vera de eccleſia viſibili ſecũdum partem.

multitudo reſultabat fidelium pro aliquo tempore, dicitur autem cæpiſſe in Adam, quia numquàm ante illum ſecundùm aliquod membrum fuerat Eccleſia viſibilis. A

Prima ſnia eſt uera de Eccleſia uiſibili quã tũ ad omnes partes.

Dicas tertiò cum prima opinione, Eccleſiam ſecundùm quid, prout eſt congregatio fidelium ſecundùm omnem partem viſibilis, cæpiſſe in Abel, & Cain, cum vſque ad illos non fuerit multitudo viſibilis ſufficiens conſtituere Eccleſiam viſibilem, intra quam nuſquam ſanctitas deficeret, in aliquo ſaltem. Vnde tres illæ ſententiæ non ſibi repugnant, Verum eſt in rigore logico tertiam eſſe propriam, & veram, ſed quoniam raro ſancti Patres de Eccleſia loquũtur in alia acceptione, quàm pro congregatione fidelium viſibili, ſiue ſecundùm omnes partes, ſiue ſecundùm aliquas, ideò vt in plurimum, vel ab Adam, vel ab Abel Eccleſiam incæpiſſe apud eos inuenies, vt videre eſt apud Ambroſiũ libro de Cain B & Abel, & Auguſtinum lib. 15. de ciuit. cap. 11. & apud Gregorium homil. 19. ſuper Euangelia.

Adhuc de Eccleſia viſibili ſecũdũ omnẽ ſui partẽ. põt dici incæpiſſe ab Adam.

Neque deſinam vltimò dicere, quòd loquendo adhuc de Eccleſia pro congregatione fidelium ſecundùm omnes partes viſibili, poſſet aliquis aſſerere incæpiſſe Eccleſiam ab Adam ſtatim poſt peccatum: quoniam vt ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 85. art. 1. ad ſecundum retulimus, ſuam fidem proteſtatus eſt Adam ſecundum ſui temporis congruentiam, ſacrificijs & ſignis exterioribus. Vnde cum ante Abel eduxerit illum Dominus a delicto ſuo media eius pænitentia, credibile eſt medijs alijs atque ſignis exterioribus eduxiſſe. Neque eſt neceſſarium ſaluari multitudinem in eo, in quo debet incipere Eccleſia, ſicut neque in vnitate, in qua incipit numerus: cum ipſa ſit principium numeri. neque in fundaméto domus a quo incipit, ſaluatur integra domus. Verum eſt, quòd completiuè de Eccleſia & congregatione loquendo, nõ potuit incipere in Adam, ſed in eo, in quo incipit compleri congregatio viſibilis fidelium, quemadmodum completiuè per vltimam vnitatem conſtituitur numerus. C

Aduertendũ & præcipuè circa ea quæ. 3. Controuer. Scholaſt. Cõcl. 1. dictum eſt.

Sed obiter animaduertat lector circa hæc omnia, & circa ea, quæ Controuerſ. 3. Scholaſtica concluſion. 1. diximus, quòd ſumendo Eccleſiam pro viſibili congregatione, fides prout ſigno aliquo exteriori manifeſtari apta veluti ſuſceptione Baptiſmi, vocali confeſſione, aut ſenſibili aliqua inſtructione, eſt quæ conſtituit membrum illius. Hoc dixerim, vt illi difficultati ſatisfaciam, quæ inquirit. Quomodo, cum fides ſit habitus quidam ſpiritualis, & interna ac inuiſibilis qualitas, conſtituere poſſit membrum viſibile Eccleſiæ viſibilis. Accepimus enim ex Philoſophia animam rationalem inuiſibilem, incorpoream, & D ſpiritualem eſſe, ex eo tamen hominis viſibilis, corporei, materialis formam eſſe conſtitutiuam non dubitamus, quòd virtualiter & eminenter formam corporeitatis contineat. Cum ergo in hominibus fides, quantumcunque ſit ipſa in ſe inuiſibilis, virtualiter quodammodo contineat vocalem myſteriorum Chriſtianæ religionis confeſſionem, iuxta illud Prophetæ Pſalm. 115. *Credidi propter quod loquutus ſum:* & iuxta illud Pauli ad Roman. cap. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* inde eam conſtituere poſſe membrum viſibile, hominem ſcilicet fidelem, qui Chriſtianæ religionis myſteria aptus ſit debito & opportuno tempore proteſtari ſignis exterioribus. Et ſicut inſuper anima rationalis

inclina-

A inclinationem habet, vt medio corpore viſibili operetur; ita fides, vt fidei my-
ſteria viſibiliter fideles confiteantur, incitar, & inclinat.

Ex dictis ſoluitur ſecundũ Argumẽtum.

Sat ſit hoc loco iſta poſuiſſe. Ex quibus facilè ſecundum ſolues argumentum,
ſi aſſeras in ſtatu innocentiæ Adam fuiſſe membrum Chriſti & Eccleſiæ, ſecun-
dum quod Eccleſia accipitur pro congregatione fidelium præciſè, ſiue pro con
gregatione fidelium viſibili ſecundùm aliquam partem. Vnde quamuis poſtea
amiſſerit gratiam, & iuſtitiam, ſat eſt illam remanſiſſe in Angelis, tamquam in
membris illius Eccleſiæ. Si verò ſermo ſit de Eccleſia ſecundum omnem partem
viſibili, tunc Adam non erat membrum illius, cum illo modo nondum incępiſ-
ſet Eccleſia, ſat erat tunc eſſe membrum Chriſti ſicut, & Angeli erant.

Ad tertiũ. R.

Ad tertium & vltimum reſpondeo, non ſolum in Adamo in ſtatu innocen-
B tiæ, verum & Angelis viatoribus fuiſſe fidem, docente S. Thom. 2. 2. quæſt. 5. art.
1. & Doctores in 3. diſt. 25. Scotus quæſt. 1. Cathuſianus quęſt. etiã prima; quę ad
Chriſtum incarnandum extendebatur, explicite, ſecundum quod Chriſtus co-
gnoſcitur tamquam conſumator gloriæ, non verò inquantum peccatorum libe
rator, non enim homo fuit præſcius ſui caſus; implicite tamen ſi loquamur, fi-
dem redẽptoris in ſtatu innocentiæ habuit Adam cum crederet Deum ſibi ſuf-
ficientiſſimè in omnibus ſuæ ſaluti neceſſarijs remedium exhibiturum. De quo
videatur S. Thom. 2. 2. quæſt. 2. art. 7. & quæſt. 18. de veritate art. 3. ad quar-
tum. Immo & Angelis non omnino abſconditam fuiſſe illud myſterium do-
cuit Auguſtinus. lib. 5. de Geneſi ad litteram, cap. 19. & S. Thom. dicto artic.
7. ad primum.

In tertia parte huius cõtrouerſiæ inquiritur: An humanitas reſpectu hominum habuerit aliquã efficientiam.

Non eſt Dubitatio de hominibus Chriſtũ precedẽtibus.

C VENIAMVS iã ad tertiam & vltimã noſtrę controuerſiæ partẽ. In qua de
humanitate Chriſti reſpectu omnium huminum poſt peccatũ inquirit: Num ha-
buerit efficiẽtiam aliquam? & ne amplius lectorem detineamus reſpectu omnium
illorum qui Chriſtum dominum præceſſerunt, & donorum omnium quæ recepe-
runt, Illud certũ ſtatuamus, Chriſtũ ſolũ ſe habuiſſe in genere cauſæ finalis & me-
ritoriæ, docente Concilio Tridentino ſeſſione 6. cap. 7. ſunt enim eius merita ab
æterno Patre pro eis ante mundi cõſtitutionem acceptata. Dicuntur enim antiqui
Patres ſpiritualem potum bibiſſe de conſequẽte eos petra, petra aũt erat Chriſtus,
vt Paulus ait prima ad Corinth. cap. 10. & quamuis ab æterno merita Chriſti Do
mini a Patre acceptata credamus, pecculiari ratione ab initio mũdi id factum fuiſ
ſe concedimus. Quoniam tunc incæperunt effectum & applicationem habere, ſi-
D cut innuit Ioannes in Apocalipſi cap. 13. cum vocat Chriſtum agnum acciſum ab
origine mundi. & iſta equidem ſufficiunt, vt confiteamur Chriſtum fuiſſe caput
reſpectu omnium hominum pręcedentium. Quod dixerim ad cauendum errorẽ
cuiuſdam Auguſtini de Roma Epiſcopi Nazareni aſſerentis reſpectu omniũ prę-
cedentium Chriſtum non fuiſſe caput. In cuius erroris defenſionem librum edi-
dit qui damnatus eſt tunc temporis, a Concilio Baſilienſi ſeſſ. 22. & in Indice ex
decreto. S. Concilij Trident. facto: quamuis enim in genere cauſę efficientis gra-
tiam in illis nõ cauſauerit, neque in eos efficienter influxerit, bene tamen merito-
riè, & tanquam exemplar, ac finis. Nam vt ſit eo modo caput, non eſt neceſſe,
quòd actu extiterit ab origine mundi, ſat eſt, fuiſſe à Deo pręuiſum, eiuſque me-
rita in eos omnes ordinata: quod eleganter docuit. V. Beda explicans cap. 11.
Marci

Cauendus error Auguſtini de Roma epiſcopi Nazareni.

Marci narrantis Chriſto dño introëunte Hieroſolymam, tam præeuntes, quàm A ſubſequentes clamaſſe Hoſan:na filio Dauid. Præceſſit(inquit Beda) populus Iudaicus, ſequutus eſt gentilis, ſed omnes ſalui facti ſunt, quia in vnum Chriſtum credebant, erat enim vna fides antiquorum & ſubſequentium, iuxta illud ad Ephes. 4. *Unus Dominus, vna fides*, atque ita vnus influxus, per quem omnes membra Chriſti conſtituebantur. reuincit latè & exactè prędictum errorem Cardinalis Turrecremata lib. 1. ſummæ de Eccleſia ca. 51. eſt enim ortus ille error(vt ipſe refert) ſua ætate,

Difficultas eſt de hominibus poſt Chriſti incarnationem. Reſtat ergo ſolum difficultas reſpectu hominum, qui ſequuti ſunt Chriſtum, & pro nunc id ſolum inquirimus. Num humanitas tamquam Verbi diuini inſtrumentum efficientiam aliquam habuerit reſpectu gratiæ illorum? Sunt enim *Primũ quod reddit rẽ hanc difficilem.* aliqua quæ rem hanc reddunt valde difficilem: Primum eſt, quia omne, quod in B genere cauſæ efficientis concurrit ad aliquem effectum producendum, neceſſe eſt, ſit ſimul tempore & loco cum eo in quod agit, non enim ſine contactu cauſa efficiens operatur. Sed Chriſtus ſecundùm humanitatem modo diſtat ab hominibus, immo antequam tranſiret de hoc mundo ad Patrem longe diſtabat a multis. Igitur non poteſt in genere cauſæ efficientis gratiam in animas hominum mediante humanitate vt inſtrumento efficiente producere. Et confirmatur, quoniam eadem videtur ratio de humanitate, & de ſacramentis, in propoſito, ſolum eſt differentia: quòd humanitas ſe habet veluti inſtrumentum coniunctum & immediate motum, ſacramentum verò tamquam inſtrumentum ſeparatum, & mediante humanitate motũ. Sed cuiuſcunque inſtrumenti vt operatio eſſe poſſit, oportet ipſum inſtrumentum eleuari a principali agente median- C te propria eiuſdem inſtrumenti operatione, vt docuit S. Thom 1. Part. quæſt. 45. art. 5. hanc autem propriam operationem neque humanitas Chriſti, neq; ſacramentum circa animam habere poteſt in gratiæ productione, cum gratia & anima ſint ordinis ſpiritualis, & altioris: ergo.

Secundum qđ facit difficultatem. Secũdum eſt, quoniam gratia eſt habitus ſupernaturalis creatus a Deo in anima cuiuſq; iuſti. Igitˀ neq; humanitas neq; etiam ſacramentũ adhuc vt inſtrumẽtum, poterit ad illius creationẽ concurrere. Hæc ſunt pręcipua, quę rẽ iſtã difficilẽ ſemper reddiderunt, & in quorũ explicationẽ multa à multis dicta accipiũtur.

Prima ſententia Gabrielis. Primò namque Gabriel in 4. diſtin. 1. quæſt. 1. & Durandus quęſt. 4. & Scotus quęſt. 5. aſſerunt humanitatem Chriſti, ſiue ſacramentum, eſſe cauſam ſine qua non, reſpectu gratiæ. Vnde(inquiunt) non obſtat diſtantia inter Chriſti hu D manitatem & gratiam productam ſiue ſecundùm locum, ſiue ſecundùm tempus, ſiue ſecundùm materialitatẽ vel ſpiritualitatẽ. Sed iſta ſententia iam merito *Reſſellitur.* ab Scholis reiecta eſt. ſequeretur enim ex ea nullam eſſe differentiam inter ſacramenta nouę legis, & antiquę, quãtum ad productionem gratię: antiqua namq; ſacramenta cauſæ erant ſine quibus gratia non dabatur. Sequella aũt eſt contra Paulum ad Rom. cap. 8. & ad Hebręos. cap. 10. apertam ponentem inter vtraque differentiam, & cõtra multas & conuincentes rationes, quas cõſulto pretermitto.

Secunda ſñia. M. Victoriæ. Secundò Magiſter Franciſcus a Victoria(vt referunt eius diſcipuli) arbitrabatur humanitatem Chriſti & ſacramentum eſſe cauſam motiuã gratiæ, quia mouet & inclinat diuinã voluntatem ad conferendã gratiam. ſicut Ioannis cap. 20.

viſio

A viſio Thomæ fuit cauſa motiua ad credendum. *Quia vidiſti* (inquit Chriſtus) *me Thoma, credidiſti.* ſimiliter & mater diligit filium ſuũ, quia genuit illũ: nõ φ generatio ſit cauſa productiua dilectionis, ſed motiua. Tamen ſine dubio hæc ſententia non differt a præcedenti, quare ex ea etiam ſequeretur, nullam eſſe aſſignandã differentiam inter ſacramenta nouę legis, & antiquę. Nam etiam circũciſio erat cauſa motiua ad dandam gratiam paruulo, neq; vlla eſſet diſtinctio inter homines, qui anteceſſerũt Chriſtum, & illos, qui ſequuti ſunt illum; cum reſpectu vtrorumque humanitas Chriſti cauſa fuerit motiua. Neque denique plus ſacramentis videtur iſta ſententia tribuere, quàm orationi Stephani, qua Deus motus dedit gratiam Paulo: quæ omnia concedere abſonum eſſet. *Confutatur ſicut præcedens, ea opinio.*

Tertio S. Thomas in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. quem ſequuntur Ca B preolus & Palude eadem diſt. quæſt. 1. & Ferrarienſis lib. 4. contra gent. cap. 57. maiorem cauſalitatem ponit, quàm ſit cauſalitas ſine qua non. exiſtimat enim humanitatem Chriſti & ſacramenta efficienter cauſare gratiam, quia attingunt & producunt diſpoſitionem ad gratiam, nempe characterem in ſacramentis, quæ illum imprimunt, ſiue ornatum quendam aut decorẽ in iis, quæ characterẽ non tribuunt. Eodem modo Philoſofatur Caietanus. 3. Part. quęſt. 8. art. 1. circa ſolutionem ad primum, quo loco, eodẽ modo loquitur ipſe de humanitate Chriſti producente hominem gratum, quia attingit diſpoſitionem gratię, quo loquũ ſolent Philoſophi de homine generante alium hominem, quia producit vltimã animæ diſpoſitionem. Sed hęc opinio non tollit difficultatem, pro qua ſoluenda poſita eſt. Citati enim auctores ne concederent rem corpoream, qualis eſt hu C manitas Chriſti & ſacramẽtum, gratiam poſſe producere, eo modo loquuti ſunt; non attendentes characterem, vel ornatum illum, quem ponũt, eſſe etiam quid ſpirituale, cum eiuſdem ordinis eſſe debeant forma, & eius diſpoſitio. Vnde difficultati ea ſolutione non obuiant. *Tertia ſnīa S. Tho. in 4. ſent. quã ſequũtur Capreolus Palude, & Ferra. Non tollit difficultatem ea ſententia.*

Quartò, Ruardus Taper (qui fuit Decanus Louanienſis) art. 3. de pænitentia cõtra Lutherum, Petrus de Soto Parte 1. lib de inſtitutione ſacerdotis, M. Cano in relectione de ſacramentis in genere part. 4. poſt ſextam concluſionem, & deniq; Andræas de Vega lib. 7. in Concilium Tridentinum. cap. 18. aſſerunt humanitatẽ Chriſti & ſacramenta eſſe vere & proprie cauſas efficientes gratiæ, non phyſicas, ſed morales. Sicut ille (inquiunt) qui præcibus, aut pecuniis captiuum redimit, cauſa eſt efficiens illius redemptionis non phyſica, ſed moralis. Cauſam verò con D ſulentem, deprecantem, aut quomodocunque impetrantem, in cauſam efficientem reduci docuit Ariſt. lib. 2. Phyſ. cap. 5. & lib. 5. Metaph. cap. 2. Sed quamuis hæc ſententia aliquãtulum magis ad veritatem videatur accedere, tñ non eſt vera. Quoniã in primis ratio cauſæ moralis, ſaluari poteſt ſolum cum cauſalitate ſine qua non, vt conſtat in eo, qui applicat ignem domui, vt comburatur. Ille cã eſt moralis combuſtionis, quare eũ Theologi adſtrictum & obligatum ad dãni reſtitutionẽ docent: at ille homo cauſa ſolum eſt ſine qua domus conbuſtio nõ fieret. Similiter ſigillum Regis causã moralem appellamus, rõne cuius recipimus & exequimur eius iuſſa & imperia, & tñ in eo ſolum ĩuenimus rõnem cauſę ſine qua non. Non ergo differre videtur a prima illa ſententia ſuperius reiecta. *Quarta opinio Ruardi & aliorum. Reiicit ea ſnīa*

Rurſum circũciſio in veteri lege cauſa erat moralis gratię, ſiquidem per illam

fidei proteſtationem mouebatur Deus ad conferendam gratiam. Cum ergo aliquid amplius tribuendum ſit ſacramentis nouę legis, quàm circuncifioni, non ſufficiet in eis cauſalitatem moralem conſtituere. Si forſan aſſeras, hanc verſari differentiam inter vtraque, quòd per circuncifionem nõ applicabatur pretium iam ſolutũ, per baptiſmum verò e contrario paſſio iam exhibita applicatur: hoc nihil eſt, quia ad cauſam moralem per accidens eſt ꝙ præcedat ſolutio pretij, vel ſit ſubſequens & futura, redemptio enim captiui quæ nõ fit reali pecuniæ ſolutione, ſed fideiuſſione, vel chyrographo, vere procedit a cauſa morali. Igitur cũ paſſio exhibenda applicaretur per circuncifionẽ, veluti per ſignum & ſcripturã fideiuſſionis ſoluẽdi pretij per Chriſtũ, verè ibi reperiebatur cauſalitas moralis. A

Vltima ſententia D. Soto.

Vnde iam Iuniores oẽs cum Dñico de Soto in 4. diſt. 1. quęſt. 3. art. 1. mori teſtimonijs ſcripturę, Conciliorũ, & ſanctorum Patrũ, quę in humanitate Chriſti & ſacramẽtis efficientiã aliquã, & cauſalitatem phyſicã innuũt; abſolute credũt, in genere cauſæ efficientis cõcurrere tamq̃ inſtrumenta ad gratiæ productionem. Quo tñ modo id intelligi valeat, & percipi poſſit, (ſalua eorũ reuerẽtia dixerim) non vñr explicare Id vt Deo fauente elucidemus, ſequentẽ ſtatuamus aſſertionẽ. B

Vltima Aſſertio huius controuerſ.

Vltima aſſertio. Humanitas Chriſti & ſacramenta nõ ſolum cauſant gratiam per modum meriti, & vt cauſæ morales in hominibus, qui ſequuti ſunt Chriſtũ, ſed etiam per modum cauſæ phyſicæ verè efficiendo. Videtur mihi iſta concluſio colligi ex Paulo ad Rom. cap. 5. vbi collationem faciens inter Chriſti redemptionem, & Adami damnationem in omnes deriuatam, inquit: *Vbi abundauit delictum ſuperabundauit & gratia*. Ex qua comparatione infertur, quòd ſicut primus parens non ſolum fuit cauſa ſine qua non, neq; fuit ſolum cauſa moralis, aut demeritoria, ſed verè efficiens peccati originalis, & damnationis, cum iſta comproducãtur a producente naturã per modum cauſę phyſicæ; ita eodẽ modo & multo melius dicendum eſt, Chriſtum non ſolum fuiſſe cauſã ſine qua non, aut ſolũ moralem, aut meritoriã, ſed cauſam phyſicam regenerationis, & gratiæ, & ita Concilium Trident. ſeſſione. 6. ca. 7. baptiſmum cauſã inſtrumentalem eſſe docuit. Quãobrem rectè S. Thom. 3. Part. quęſt. 8. art. 1. ad primũ, efficientiam conceſſit in humanitate Chriſti reſpectu gratiæ, & quęſt. 48. art. 6. paſſionẽ Chriſti cauſã efficientem noſtrę ſalutis poſuit, quod idẽ aſſeruit de morte Chriſti quęſt. 50. art. 6. & denique de ſacramentis idem fatetur quęſt. 62. art. 1. Neque opus eſt hoc loco multiplicare teſtimonia & rationes, quæ cuique obuia eſſe poſſunt. Solum conabor explicare (ſi id conſequi poſſim) quo modo ſaluari valeat huiuſmodi efficientia inſtrumentalis in humanitate & ſacramentis. Pro quo. C D

Explicatur quo modo humanitas & ſacramenta effectiuè attingãt ad productionem gratiæ.

Illud ſcimus apud Philoſofos eſſe receptum, cauſã efficientem aliquãdo producere ſuum effectum, quãdo non eſt, media tamen virtute relicta ab eadem cauſa efficiente: quæ virius vt inſtrumẽtum principalis cauſæ, illum effectum dicitur producere efficienter. ſic fatentur grauia & leuia moueri effectiue a generãte; animal produci ab alio animali, etiã ſi ſtatim poſt ſeminis deciſionem, & ante fætus animationẽ generãs pereat, & vt in ſuperiori Pauli collatione Perſiſtamus: Primus noſter parẽs dicitur cã phyſica peccati originalis cuiuſcunq; hoĩs modo naſcẽtis, etiã ſi Adã tempore & loco diſtet: ſat eſt maneat ſemen infectũ, in quo virtualiter manet natura cum infectione: vt docuit S. Thom. 1. 2. quęſt. 81. art. 1. ad ſecundũ, & tertium

A & tertium. Non diſſimiliter a Chriſto domino, à quo tamquam à cauſa efficiente ſuperabundans gratia regenerationis manauit, mediante humanitate, exiſtimandum eſt, poſt ſuam paſſionem & mortem relictum eſſe ſemen quoddam diuinum, virtute continens efficientiam cauſæ principalis; ratione cuius verum eſt dicere, quòd modo inſtrumenta continentia illud ſemen relictum effectiuè gratiam producunt. Quòd autem ſit ſemen hoc diuinum virtute continens efficientiam humanitatis Chriſti eleuatæ a Verbo diuino, ex ſacris litteris, & ex ſanctis Patribus colligere debemus. Ab eis enim accipimus verbum vocale, à Chriſto ſacramentorum auctore ſemel inſtitutum, & cum pecculiari virtute emiſſum, tamquàm ſacramenti formam eſſe ſemen diuinum, per quod propagantur & regenerantur filij Dei. Si enim Lucæ. cap. 8. de prædicatione dicitur: *Semen eſt verbum* *Valde Notáda q̃ ſequunt.*

B *Dei*. quantò maiori ratione, verba, quæ exprimunt ſacramenti formam, dici debent ſemen Dei? vnde Paulus ad Rom. cap. 9. *Verbum* (inquit) *conſumans & abreuians in æquitate, quia verbum abreuiatum faciet Dominus ſuper terram, & ſicut prædixit Iſaias* (cap. 1.) *niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus &c.* quod non incongruè intelligitur de formis ſacramentorum, quæ ſunt verba in æquitate abreuiata, & a Domino Sabaoth tamquam ſemina relicta nobis. Quare gratia reperitur in ijs, qui ſubſequuti ſunt Chriſtum, ab eo producta tamquam à principali cauſa, mediante aliquo inſtrumento continente virtutem Chriſti, quale inſtrumentum, ſi fuerit ſacramentum, fit medijs verbis exprimentibus formam, & continentibus diuinum ſemen, diuinamque virtutẽ.

Vtrũ tñ hęc virtus, quam in ſacramẽtorũ formis ponimus, res ſit, ſiue qualitas C ſuper addita & ab eis diuerſa, inter Theologos cõtrouerſũ eſt. Enimuerò ex ijs, quę in maiorẽ incęptę difficultatis explicationẽ adduximus, occaſionẽ aliquis ſumere poſſet exiſtimãdi, virtutẽ illã a Chriſto relictã, & formis ſacramentorũ impreſſã eſſe quid diſtinctũ ab eis: ſicut virtus ſeminis diuerſa qualitas eſt a ſemine, & impetus ſeu virtus proijciẽtis quid diſtinctũ à ſagitta. Tũ & maximè, q̃ hęc vr̃ ab oĩbus aſſignari differentia inter inſtrumẽta cõiuncta, & inſtrumẽta ſeparata; quaſi cõiuncta ſola indigeãt principalis agentis motione, ſeparata verò vt à principali agẽte moueanť, virtute aliqua ſupaddita opus habeant. Cũ igitur ſacr̃a reſpectu Chriſti, inquantũ eſt hõ, ſint inſtrumẽta ſeparata, virtute aliqua ſuper addita indigere vñr, vt virtute ipſius Chriſti, inquãtum eſt homo, efficiẽter agere dicanť: Sed de his alibi latiùs. Interim tñ, ne aliquis occaſione dictorũ erret, exiſti- *Nũ virtus ſacramentorum ſit aliquid ſuper additum ipſis.*

D mauerim cõformiter ad S. Thom. 3. Par. quęſt. 62. art. 4. pręcipuè in ſolutione ad tertiũ, virtutem illã nil eſſe aliud pręter motionẽ Chriſti dñi mouentis ſacr̃orum miniſtros, qui ſunt inſtrumẽta nõ cõiuncta in perſona, ſicut humanitas, ſed cõiuncta per virtualẽ cõtactum. Cũ enim ſacr̃orum miniſtri actu applicãdo eorũ formas, virtute ipſius Chriſti ſacr̃a moueãr, inde eſt, à Chriſto vt a ſacramenorũ auctore motionem illã deſcendere. Quare ſicut Adam per actualem motionem generando Cain cauſa fuit phyſica peccati originalis illius, & Cain rurſum generãdo filiũ, & ſic deinceps Adæ infectio deriuať: ita Chriſtus per actualẽ motionẽ regenerauit Apoſtolos, q̃ inſup media actuali ſacr̃orũ motione Chriſto filios pepererũt, & illi cõſequẽter alios, ita vt vſq; ĩ hodiernũ diẽ virtus Chriſti in vnũquẽq; regeneratũ deſcendat multò meliùs, q̃ infectio Adę in eius poſteros. Quẽ

modum propagationis & regenerationis a Chriſto primo regeneratore dimanã A tem explicuit Paulus ad Rom. cap.1.cum inquit: *Iuſtitia Dei in eo,* (ideſt in euangelio) *reuelatur ex fide in fidem.*ideſt,ab vno homine fideli in alium hominem fidelem mediis verbis diuinis. Eundem regenerationis & propagationis modum pulchrè & ſatis clare prædixerat Iſaias ca. 59. vbi de redemptore Chriſto loquens inquit: *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis, ſeminis tui, dicit Dominus amodo & vſque in ſempiternum.* Sunt notanda illa verba. *Spiritus meus, qui eſt in te,* quaſi dicat Pater æternus Chriſto, Diuinitas & Spiritus meus, qui eſt in te (vt denotetur cauſa principalis productionis gratiæ.) *Et verba mea quæ poſui in ore tuo,* ideſt verba, quæ exprimunt ſacramentorum formas, quæ poſui in ore tuo, tamquã in ore auctoris ſacramentorũ nouę legis. *Non recedent de ore tuo.* hoc eſt, ſem- B per habebũt, quantum eſt de ſe, eandem efficaciam, ac ſi eſſent in ore tuo. Et explicans quo modo ſemper illam habebunt, inquit: *Et de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui amodo & vſque in ſempiternũ.* ideſt, ex vno fideli in aliũ ea verba deſcendent vſque in ſempiternum. Quod idem videtur innuere Chriſtus Ioannis. cap. 17. cũ ait: *Non pro eis* (ſcilicet Apoſtolis) *rogo tantum, ſed pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint.* per verbum (inquit) eorum in me, quaſi per ſemen cõtinens meam virtutem, credituri ſunt in me. Et ita Paulus. 1. ad Corinth. 4. ſe in Chriſto generare fideles fatetur dicens: *Nam in Chriſto Ieſu per euangelium ego vos genui.* hoc eſt, media doctrina euangelica, & medijs ſacramentorum formis, tamquàm per ſemen a Chriſto relictum ego vos genui. Et de cooperatoribus in myſterio redemptionis dicitur Iſaiæ cap. 27. *Qui egrediuntur impetu ab Iacob, implebunt* C *totum orbem ſemine.* quod eſt idem cum illo, *In omnem terram exiuit ſonus eorum & in fines orbis terræ verba eorum.* Neq; iſte dicendi modus quaſi a me confictus accipi debet, eius enim occaſionem dedit D. Auguſtinus lib. 2. contra epiſtolam Petiliani cap. 5. quo loco explicat, quo modo in baptizato verbum Dei ſit ſemen Chriſti. videatur eo loco. Eſt etiam conformis S. Tho. 3. Part. quæſt. 45. art. 6. ad ſecundũ, docenti paſſionem Chriſti per ſpiritualem contactum efficientiam ſortiri, ſcilicet per fidem, & fidei ſacramentum, id eſt, per promulgationem fidei, & per ſacramẽtorum applicationem.

Prædictus modus dicẽdi colligitur ex D. Auguſtino.

Ex quibus omnibus ſatis aperte colligitur, quã exquiſitã & exactam collationem fecerit Paulus inter Adam, in generatione naturali, & damnatione; & inter Chriſtum, in regeneratione ſupernaturali, & redemptione. Quemadmodũ enim D Adam, antequàm eſſet, non erat cauſa phyſica generationis alicuius hominis, ſed poſtquam extitit, fuit efficiens cauſa ſubſequentium mediante virtute relicta in ſemine: ita Chriſtus, antequam ſubſiſteret in humanitate, non fuit cauſa efficiẽs gratiam media humanitate, tamen poſtquam venit in mundum, mediante virtute communicata humanitati, tamquam inſtrumento ſibi in perſona vnito, & exinde alijs extrinſecis inſtrumentis, nempe ſacramentis, tamquam ſeminibus cõtinentibus virtutem in forma verbis expreſſa, cauſa fuit producens gratiam per veram efficientiam. Et ita ſaluamus in rebus diuinis ſecundum proportionem id ipſum, quod in cauſis naturalibus efficientibus.

Reſpondetur primę difficultati.

Reſtat tamen argumenta illa principio poſita diluere, adhuc enim vis difficultatis in

A tis in eis remanere videtur. Nam etiam ſi cōcedamus virtutem Chriſti contineri in forma ſacramentali tamquàm in ſemine, tamen ſæpe euenit, formam ipſam ſacramentalem non eſſe ſufficienter aproximatam. Immo contingit aliquando hominē iuſtificari per ſacramenta, quæ iam præceſſerunt, vt cū quis iuſtificatur recedente fictione; & rurſus aliquando abſentibus & longe diſtātibus miniſtrat̃ ſacramentum, reſpectu quorum omnium neque res, neque verba contactum aliquem habere poſſunt. Et hæc eſt vis primæ difficultatis principio poſitæ. Cui reſpondeo, in primis de ſacramentis verum eſſe, quòd quotieſcunque ea tranſeunt ſine gratiæ ꝓductione ob appoſitū obicem, vel ob nimiam diſtantiam, tunc non cōcurrūt effectiue, ſed ſe habent veluti cauſæ morales & ſine quibus nō. Id tñ prouenit non ex defectu ſacramenti, cum ipſum potens ſit, quantum eſt de ſe, effe-
B ctiue & inſtrumentaliter gratiam producere, potius prouenit ex defectu ſubiecti ponentis obicē, ſiue non ſufficienter approximati. Vnde quoties affirmamus, ſacramenta effectiuè gratiam producere, de eis loquimur quando actu exercentur, & ſufficienter applicantur, ſeu approximata exiſtunt. Neque hoc eſt incidere in ſententiam Gabrielis & aliorum, quam ſuperius ab Scholis iam reiectam diximus. Quoniam illa ſententia loquitur de ſacramentis ſufficienter applicatis & approximatis. Nos verò in particulari, caſu loquimur, quādo deficit approximatio. Tum vel maxime, quod illa ſententia non concedit ſacramenta quantū eſt de ſe efficientiam habere ſemper, niſi aliunde ea efficientia impediatur; ſicut nos aſſerimus. De humanitate verò Chriſti aliter loquendum eſt, & credendum ſemper effectiuè concurrere. Quoniam ſaltem effectiuè mouet Angelos, & eorū vti-
C tur miniſterio in productione gratię, quoniam illi ſemper in ꝓductione gratiæ aliquid in nobis tamquam miniſtri operātur, cum ſint adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, ſiue obiectum proponēdo, ſiue illius apprehenſionem cauſando, ſiue aliud ſimile præſtando. Quamobrem ſaluatur ſemper in humanitate Chriſti reſpectu ſubiecti recipientis gratiam cōtactus virtualis, qualis ſufficit inter cauſam efficientem & effectum. Et ad confirmationem illius rationis dicatur, propriam humanitatis, aut ſacramenti operationem à Deo eleuari ad gratiæ productionem: nam humanitas Chriſti per actiones intellectus, & voluntatis, immo, vt ſupra diximus priori parte controuerſiæ, per actiones corporis, vt per locuutionem, ſpirituales Angelos effectiuè poteſt mouere, quid ergo mirum quòd illis mediantibus gratiam producat? Neq; diſſimiliter actiones proprias & natu-
D rales ſacramentorum mirum eſt virtute diuina eleuari ad eundem effectum, ſicut neque mirum eſt quod corpus tangēdo, animum ſanctificent, virtute diuina id efficiente. Neque iſta impoſſibilia cenſeri debēt, cum in rebus naturalibus videamus accidentia virtute ſubſtantię ſubſtantiam producere.

Aliqñ ſacra non effectiue producūt gratiam etiam ſi de ſe ſint ad id ſufficientiſſima.

Secundū argumētum, quod ſoluendū ſupereſt, illā poſtulat dubitationē: An gratia ſolum incipiat eſſe per creationē? Fuerunt enim aliqui tenētes nulla alia actione produci niſi per creationē. Quoniam omnis productio, ſi ſit ſubſtantię, dicitur generatio, ſi ſit qualitatis, alteratio. Igitur ſi non creatione, ſed alia actione, gratia, quę eſt qualitas, eſſe inciperet; per alterationē produceretur. Id verò concedi non poteſt: quoniam alteratio eſt motus ſucceſſiuus, perquē gratiam produci non concedimus, cum ex S. Thom. 1. 2. quæſt. 113. art. 7. accipiamus,

Ad ſecūdam Difficultatem. An gratia ꝓducatur per creationem.

Primus modus dicendi.

gratiæ

gratiæ productionem inſtantaneam eſſe. Igitur creatione fit. & ita concedimus A gratiam a Deo infundi, & de foris aduenire. Sicut id fatemur de anima rationali. Vnde ſecundùm hos auctores magnam habet vim propoſita difficultas: ſic adeò, vt concedant creaturam inſtrumentaliter creare gratiam.

Confutatur ſuperior ſñia. Sed proculdubio ea opinio in vtroque eſt falſa. Quoniam vt rectè docuit S. Doctor 1. Part. quæſt. 45. art. 4. & 5. id, quod eſt alteri inhærens, produci non poteſt, niſi dependenter a ſubiecto, ſi modo ſibi connaturali fiat. Atque ita gratia, cum non ſit ſubſiſtens, ſed inhęrens, per creationem non producitur, ſuppoſita Dei ordinatione. Præterea nam illud, quod per creationem incipit, anihilatione deſinere debet, ſed gratia cum per peccatum deſtruitur, non anihilatur, nam vt docuit S. Thom. 1. Part. quæſt. 104. art. 4. de facto Deus nihil, quod produxit, anihilat: idq; ratione conuincitur. Quoniam peccator non per ſe intendit non B eſſe gratiæ, quod requiritur ad anihilationem, cum ideò in tranſubſtantiatione dicamus, deſitionem panis non eſſe anihilationem, quia non cadit ſub intentione per ſe id quod eſt, non eſſe panem, ſed exiſtentia corporis Chriſti eſt id, quod per ſe intenditur. Igitur cum peccatum deſtruit gratiam, ipſa non anihilatur. Ergo cum producitur, non creatur. Et hinc eſt quod concedunt rectè aliqui Thomiſtæ, peccatum effectiue expellere gratiam, ſicut frigus expellit calorem.

Eorum inſuper auctorum ratio nullam vim habet, cum videamus plures qualitates mutationibus inſtãtaneis produci, vt de lumine per illuminationem, & de verbo mentis per intellectionem productis manifeſtum eſt. Sic gratia per inſtantaneam actionem produci poteſt, quæ non eſt alteratio, neque creatio, ſed ſpiritualis regeneratio, vt eo nomine vtamur iuxta Pauli verba. 1. ad Corinth, ca. C 4. *In Chriſto* (inquit) *Ieſu per euangelium ego vos genui*, & clarius iuxta verba Chriſti Ioannis cap. 3 *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto non poteſt introire regnum Dei.* Vnde gratia de foris dicitur aduenire, non quia creatur, ſicut anima, ſed quia neque ab agente naturali, neque ex potentia naturali ſubiecti educitur: ſicut figura aut forma ſtatuæ de foris aduenire dicitur ligno, nõ quia creatur, ſed quia ex parte ligni non eſt naturalis inclinatio in formam ſtatuæ. Et dicitur tandem gratia infundi, ſicut lumen infunditur aut diffunditur per aerem. Quod verò falſo etiam concedant, creaturam inſtrumentaliter creare: facile eſſet probare, ſed in commodius tempus relinquamus.

Secundus modus dicendi Ferrariens. Quapropter alia via incedunt Ferrariens. lib. 4. contra gent. cap. 57. & Caietanus. 1. 2. quæſt. 112. art. 1 docentes gratiam non creari, ſed cõcreari. Quoniã D. illud creatur, quod eſt ſubſiſtens: illa autem concreantur, quæ alteri inhærent, & ad alterius creationem concreantur. Sicut illa comproducuntur, quæ ad alterius productionem eſſe incipiunt, ut paſſiones hominis. Et credũt iſti auctores eam eſſe ſententiam S. Thom. 1. 2. quæſt. 110. art. 2. ad tertium, quia ibi docet, quòd etiam ſi accidens nõ creetur, tamen quia ſubiectum incipit eſſe in actu ſecundùm illud accidens, dicitur creari, iuxta illud ad Ephes. cap. 2. *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.* & quæſt. 3. de potentia art. 8. ad tertium, ſaluat S. Thomas rationem creationis reſpectu gratiæ, quia non educitur de potentia ſubiecti. Et ita reſpondent ad difficultatem, humanitatem Chriſti ſiue ſacramenta immediate cõcurrere aut attingere ad eſſe gratum, non vero ad gratiã: ſicut homo at-

tin-

A tingit ad productionem hominis, ſed non ad productionem animæ rationalis.

Sed adhuc hæc ſententia non videtur poſſe ſtare. In primis, quoniam illud di- citur congenerari, quod ſimul cum eo, quod vere, & propriè generatur, compro- ducitur. Ergo illud dicitur concreari, quod ſimul cum alio quod propriè creatur, comproducitur. Sed quando gratia incipit eſſe, nihil eſt, quod ſimpliciter & pro ptiè creatur: quia neq; creatur homo, vt conſtat, neque homo gratus, cum homo gratus fiat ex homine non grato, ſupponatq; hominē nō gratum tamquā ſubie- ctū. Eſt ergo productio hominis grati ſuppoſito ſubiecto, & ſic non erit creatio. *Explodiē prædicta ſententia.*

Rurſus quia impoſſibile eſt aliquid attingere efficienter effectum formalem alicuius formæ accidentalis, quin efficienter attingat ipſam formam. Sed gratia habitualis eſt forma accidentalis, cuius eſſe eſt ineſſe. Non ergo poterit quis efficiē

B ter attingere eſſe gratum, quin efficienter attingat ipſam gratiam. Sed nō poteſt creatura efficienter attingere vt inſtrumentum ad creationem gratiæ. Ergo neq; ad creationem ſubiecti grati. Vnde S. Thom. locis citatis ab illis auctoribus ad ſenſum Pauli ad Ephes. cap. 2. loquitur. Ibi enim dicuntur creati in Chriſto in ope ribus bonis. ideſt, redditi per Chriſtum iuſti, & bonorū operum ſectatores, nul- lis ipſorum præcedentibus meritis, nullaque virtute naturali conferente vim. Quare per metaphoram appellantur creati: quia ſicut illud creari dicimus, quod nullo præſuppoſito ſubiecto fit, neque ab aliquo agente naturali; ita quia reſpe- ctu hominis iuſti & grati, & reſpectu gratiæ nulla precedunt merita nullaq; vis in natura ideò dicuntur metaphoricè creari. Et adhunc ſenſum loquitur expreſſē S. Thom. locis citatis. Quamobrem propoſitę dubitationi dicendum eſt, gratiā

C neque creari, neque concreari, ſed mutatione quadam inſtantanea produci. quæ an ſit eductio ex potentia obedientiali animę, nec ne (Deo fauente) dicemus alibi. *Reſpondetur dubitationi.*

Ceſſat igitur inconueniens in ſecunda principali difficultate prætactum. Quo- niam etſi Chriſti humanitas, & ſacramenta tamquam inſtrumenta effectiua pro ductionem gratiæ attingant, nō tamen creationem; ſiquidem gratiæ productio non eſt creatio, ſed inſtantanea quædam mutatio.

Huc vſque candide lector eas tibi Controuerſias, quas in prima diei parte recitauimus, ſuo ordine propoſuimus. Reliquas autem, quæ in ſe- cunda eiuſdem diei parte recitatæ fuerunt, breui ob oculos po- nere (fauente Deo) ſperamus: Ad laudem quod ſit, et

D *gloriam Omnipotentis Dei, Patris, Filij, & Spi ritus ſancti: Cui honor ſit & gloria in ſecula ſeculorum Amen.*

INDEX PRAECIPVORVM, QVAE CONTINENTVR IN HAC PRIORI PARTE CONTROVERSIARVM THEOLOGICARVM, ALPHABETICO ORDINE COLLECTVS.

A

B

C

I N D E X.

D

E

INDEX.

Honorius

M

N

O

P

T

V

Varia

FINIS.

ERRATA INSIGNIORA (QVAE SI QVAM PRIMVM EXPVNXERIS, GRATISSIMVM AVCTORI

feceris; aliquando enim aut mutant, aut confundunt fententiam:) fic corriges.

Pagina	*Linea*	*Vbi eſt*	*Sic leges*
7	17	*potuiſſit*	*potuiſſet*
8	24	*ſcEtum*	*ſcſtum*
9	25	כּוּעַר לְמֶן	כּוּעַר קָטָן
17	3	*quam*	*quandam*
20	32	*generaliſſiam*	*generaliſſima*
33	25	*Suinam*	*Suniam*
30	24	*vaicare*	*veicare*
40	43 & 44	*in aliquibus chartis non ſignat*	רון dun
42	*in ſecundo uerſu hebraico*	סַחַת	תַהַת
44	7	*inquit*	*inquiunt*
45	39	*friuolam*	*vt friuolam*
50	26	*geli*	*Angeli*
52	2	*citato*	*dele quia ſuperfluit*
59	6	*con*	*dele*
69	1	*inobidentiam*	*in obedientiam*
80	44	*Adde antequam legas. pag. 81*	*in eſſe peccati; ſecundo in eſſe, &c.*
86	30	*debitum*	*debito*
126	12	*S*	*ſ*
129	20	*quattor*	*quattuor*
139	30	*ſic lege*	*Gabriel ſuper Canonem lectione. 21.*
140	32	*allata ſententia*	*allatæ pro ea ſententia*
145	14	*hypoſtate*	*hypoſtatice*
156	28	*ocula*	*occulta*
164	27	*ſubſiſtentia ut ſic*	*ſubſiſtentia ſubſiſtentis vt ſic*
169	39	*vacabat*	*vocabat*
169	40	*incommunicabilitas*	*incommunicabilitatis*
171	14	*ſumus*	*ſuimus*
183	31	*nimicitiam*	*inimicitiam*
192	13	*præſidium*	*præſidentium*
201	18	*hareſos*	*hareſcos*
202	38	*ineffabiliter*	*infalibiliter*
205	18	*cõmentos fuiſſe.*	*cõmẽtos fuiſſe, iidem auctores narrãt*
207	8	*Cybelis*	*Cybelès*
207	20	*deciſio,ne*	*deciſione*
210	25	*ordinatum*	*ordinatam*
212	28	*molestum & difficili*	*molestum & difficile*
213	44	*vitulerum*	*vitulorum*
222	44	*ſignis exterioribus.*	*Signis exterioribus, dubitare non debemus.*

Series Chartarum.

* a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,

Aa Bb Cc Dd Ee Ff.

Omnes sunt duerniones, præter * a, qui sunt terniones.